BIBLIOTHECA

SCRIPTORUM LATINORUM,

CURIS

VIRORUM DOCTORUM EMENDATA

ET

COMMENTARIIS INSTRUCTA,

CONSILIO

GOD. BERNHARDY

INSTITUTA.

PARS I.

M. TULLII CICERONIS LIBRI.

TOMUS I.

BRUTUM CONTINENS.

HALIS, 1838.

SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI.

M. TULLII CICERONIS

BRUTUS.

EMENDAVIT

ET

COMMENTARIIS INSTRUXIT

HENR. MEYERUS.

HALIS, 1838.

SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI.

PRAEFATIO.

Paucos opinor hodie superesse, quin inter tantas librorum vicissitudines vel usu iuvenili vel rumoribus exempla scriptorum Latinorum perceperint, quae cum superiore saeculo fere medio bibliopolium Orphanotrophei Halensis emittere coepisset, sensim per scholas Germaniae invaluere. Constat autem ea non solum popularibus accepta fuisse atque satis vendibilia, sed exteris etiam hominibus expetita ad longinquas regiones pervasisse, diuque tironum studia formasse; ac ne nostra quidem aetate prorsus illorum honor exolevit. Quid quod alios ad utilissimam et laudis et quaestus aemulationem ita converterunt, ut lectissima copia subsidiorum publicis usibus patesceret: neque enim fugere potest, si quis ordines perpetuos et certationes a Bipontinis, Manhemiensibus et eorum sequacibus ductas usque ad Tauchnitios persequatur, quanti progressus in specie monumentorum veterum expolienda facti sint, quamque numerus scriptorum ultra fines orbis scholastici prolatus evolarit. Ceterum quispiam sapore nostri temporis imbutus, qui tales successus cum habitu et facie Halensis opificii contendat, causam rei haud vulgaris admiretur. Aberat omnino quicquid ornamentorum ab arte vel doctrina posset aliquam afferre commendationem. Eruditae quidem dotis nihil praeter contextum verborum, nisi forte vitas scriptorum leviter et umbratili modo confectas excipimus; oratio ipsa probatis ex editionibus ut fieri potuit repetita, non ut lepide tamen distinctis partibus et quasi remissione oculi reficerentur et honestam caperent oblectationem, sed ut omnia tenore continuo

geniosorum extuderint. Haesitantes enim et parumper opem tabularum anquirentes vereor ne perversum sit et iniquum ad Burmannos et Drakenborchios amandari vel quicunque vastis commentariis silvam discrepantis scripturae ita coacervarunt, vix ut exercitatissimi de condicione singulorum locorum liquido pronuncient. Itaque nostro iure negabimus prudenter fecisse, qui editiones scholis consecratas omni genere institutionis criticae fraudarint; sed adiungatur necesse est accurata MSS. et emendationum notatio summis lineis adumbrata: quae cum ex rudi materia solerter fuerit delecta severisque legibus dispensata, habebunt sane provectiores quod in quaestionibus criticis sequantur, nec deerit iusta supellex, unde vitia nunc dissimulata nunc per ignaviam perlata refingantur. Deinde summa rerum antiquarum varietas interpretis artem requirit, qui per singulas argumenti partes eundo cum mores, instituta, dicendi sentiendique formam veterum populorum commonstret et a fontibus suis solicite derivet, tum praestantiam, elocutionem et sensus quasi vitales scriptoris recludat. Cuius muneris splendor et magnificentia tametsi videtur modum ac terminos scholarum superare, apparet tamen eam consensionis rationem ac finium regendorum inveniri, ut proprius labor enarratoris tanquam officinam molientis in uberiore testium copiarumque doctarum designatione sese contineat, quibus adiutus praeceptor cautus et interioris doctrinae perspiciens animos iuveniles erudiat, incendat et ad antiquitatis intelligentiam adducat. Hac enim cautione provisum erit, ne temeraria turba multiplicis lectionis, quam claustris librorum committi decet, memoriam obruat aut alacritatem studiorum restinguat. Quamobrem qui hac temporum luce florentissimos scriptores ornari cupiunt et pro sua dignitate celebrari, his elaborandum est ut coniunctio criticae disciplinae cum luminibus interpretationis extet artissima: eamque consectantur duumviri clarissimi, qui Gothanum corpus cum summo Graecarum litterarum

emolumento susceperunt. Horum igitur vestigia qui premenda sibi arbitrantur bibliopolii de quo dicebam moderatores, cum desuetas illas editiones nollent nisi recreatas et novis subsidiis excultas in usum redire, abhinc annis quattuor a me petierunt ut viris idoneis in societatem advocatis Bibliothecam scriptorum Latinorum (unde liceret exempla scholis dicata refingere cum accessione quadam animadversionum) instruerem, cuius lex et definitio tota mei et consilii esset et iudicii. Ego vero, si quod sentio libere profitendum est, neque libenter morem gessi et voluntatem meam in studiis praeclaris desiderari paene religiosum fuit. Nam cum respiciebam, quot curis negotii taediique plenis distentus aliquem fructum litterularum cogerer raptim delibare, cumque necessitas illa subibat, ut dilatis, quae usuram otii perennis exposcerent, minus iucunda profligārem: parum consulto facturus mihi videbar, si diuturnis occupationibus novum onus adiicerem, cuius perpetuitas facile dimidium integrae vitae egrederetur. Contra saluberrimam rationem, quae varietatem horarum ac munerum dispensat leviora severis et arduis interponendo, probabam expertus et agnoscebam: quippe temperamenta laborum mutua vice sibi succedentium huc valent, ut vires longa contentione fessae relaxentur et vegetis quasi succis insitivae disciplinae laetius efflorescant fortiterque maioribus sufficiant. Hactenus negotium oblatum licuit tueri, modo spectator et medius in alienis conatibus partes procurationis implerem. Sed potior tamen causa me movit et animum percussit, quod intelligebam opportunitatem egregiam et ab meis institutis minime alienam ad litteras populi Romani iuvandas esse propositam. Neque enim aut aetas extitit, quae minus honorifice de litterarum illarum dignitate sentiret, quaeque patientius ferret earum reliquias fluxas et situ corruptas iacere; aut luculentior via cogitari potest, qua certam opem impertiamus easque ab immerito contemptu vindicemus. Id iudicium qua mente faciam etsi homini-

blica doctrina et omnium oculis exposita, quam nemo sanus digitisque pollens inculcari sibi ferat frigide repetitam vel potius exprobrari, debet ab editoribus cordatis et in graviora defixis praetermitti, ita neque grammaticam vulgaris observationis nec tritam hominum nobilium et antiquitatum cognitionem lectores ab aliis quam praesidiis locupletissimis et voce magistrorum arcessent. Si tamen decorum est copias aevi superioris renovari, profecto curabimus ut in ea parte, quae privam scriptorum consuetudinem et notationem vocabulorum ac formularum cum sermonis communibus institutis comparatam tradit, thesauros Batavorum undique circumfluentes et in spissis commentariis sepultos in recentem usum protrahamus et castigatos ad maturitatem huius aetatis exigamus. Praeterea cavendum erit a solito interpretibus pudore an ignavia, qui de obscuritate locorum deque suspectis difficultatibus sileant doctissime; sed aut acerrima contentione perficiamus ut aditus ad interiorem rationem patefiat, aut ingenua confessione feliciores ad verum inveniendum sollicitabimus. Deinde quicquid valuerit ad artificium dicentis et secreta compositionis, ad doctrinam antiquitatis elegantiorem, ad mores, vitam, instituta populorum et civitatium percipienda, cum universe quam certissime licebit quantaque maxima brevitate declaretur oportet, tum suis testimoniis comprobetur, et quidem illustribus nec ex longinquo petitis. Brevitatem autem cum profitemur, vel potius velocitatem sibimet instantem tantum abest ut exsanguem siccitatem et in digitis constitutam aequo animo perpetiamur, ut liberalis eruditio virium suarum moderatrix, si latius in totum interpretationis orbem evagetur, breviloquens ac nimis parca esse videatur. *Nam si quis* (ut Wolfianis utar) *ita exuberet litteris, ut ei parum videatur satisfacere officio, ut remotiora anquirat, sed quae adiuvent interiorem cognitionem veterum linguarum et doctrinae, si lectorem in deverticula abductum rebus novis, reconditis, suopte ingenio inventis, ditiorem remittat, denique si copia sit Salmasianae vel Val-*

ckenarianae similis: quis sanus erit quin talem vel iusto prolixiorem copiam anteferat aliorum venustulis angustiis?

Superest ut causam nostrorum additamentorum expediamus, quae necessitas quaedam extorsit quantumvis invito. Propositus erat, unde Bibliothecae primordia auspicaremur, *Ciceronis Brutus*, quem in suo genere praestantissimum libellum non solum argumenti gravitas commendat tam copiose ac diligenter enarrata, nihil admodum ut desiderari possit, sed orationis etiam incomptae nitor et gratia pellucens, quae cum plurimum conferat ad facultatem augendam et urbanitatis sapore molliter tingendam, tum hoc exoptatior esse debet et utilior ad opes eloquentiae Tullianae semper mobilis et ingeniosae perspiciendas, quod Brutus inter libros qui de Oratore sunt omnibus numeris artis et elocutionis absolutos et opusculum illud exactissimum totumque lacertis expressum Oratorem interiectus est et locum plane medium tenet, quasi qui placidum sonet oratione iamiam canescente. Huius tamen lectionem ut lepor nativus sensibus nostris reddit familiarissimam, ita remorantur severius inquirentem, quae curas criticorum solicitas cum amplissimis copiis interpretationis iunctas exposcant. Loci quidem haud pauci suspecti vel affecti, quibus persanandis auxilia praesto sunt nec satis vetusta nec bonitate aut numero pollentia nec fide eorum qui contulerant prorsus explorata: siquidem auctoritates optimorum testium, id est, MSS. Parisini et Guelferbytanorum cum editione Romana, utpote e communi fonte ductae, fere concordant ac rationes scripturae tralaticias, quae labe vulgarium exemplorum nondum essent infectae, plerumque probant. Quamquam reliquos libros rhetoricos contendenti praeclare cum Bruto videtur actum fuisse, qui paulo graviores mendas et fraudes raro susceperit, neque vitium recondat qualecunque, quod sagacitatem Lambini fefellerit. Sed longe plura supersunt interpretibus sui iuris emolienda, siqui multiplicem doctrinam Cice-

ronis singulatim persequi volent et in iudicium revocare: non enim sufficit ut nomina vitasque oratorum nimia quamvis copia circumfluentium teneamus, sed accedat etiam diligentissima notitia cum institutorum, quorum usus et color in voluntatibus et forma virorum eloquentissimorum spectaretur, tum consiliorum ac de arte rhetorica praeceptorum, quae Cicero solet in exigendis utriusque populi dictionibus sequi suisque propositis ita temperare, ut oratorem principem agnoscas in luce forensi nutritum et aequalium studia moderantem, non magistrum quendam ex umbraculis ludi progressum. Haec et similia negotia tametsi iucunde possunt otium interpretis pascere, quem iuvet doctos antiquitatis orbes pervagari eorumque fructus liberiore cursu degustare, muneribus tamen inter se partitis editores nunc orationem quantum licuit refictam explicarunt, nunc ad enarrationem veteris memoriae facundiaeque Romanae sese contulerunt. Nec prorsus alienum ab horum secta se praebuit *Henr. Meyerus*, cuius ego singularem industriam et cupiditatem de litteris Latinis bene modesteque promerendi libens intelligo magnique aestimo. Sed cum ille peculiares quasdam partes sibi delegisset, in quibus operam eruditam consumeret, et provinciam a prioribus traditam quasi supplementis redintegraret: effecit ut ab hac Bibliothecae Halensis professione paulum descivisse videretur locisque haud paucis, quos in editione separatim evulgata vix desideraremus, minus eam implevisse. Quam enim materiam commentariorum transmiserit, repetitis etiam curis collocupletatam magis quam amplificatam, faciendum est ut breviter monstretur: ne quis totius negotii meive moris ignarus necessitatem additamentorum a me significatam frustra iactari aut ambitiosius usurpatam suspicetur. Criticae quidem expositionis tantum aderat, quantum scripturis potissimum editionis principis, deinde codicum et exemplarium insigniorum, porro nominibus coniectorum decerpendis sufficeret, rationibus strictim adiectis et in eum fere habitum

redactis, quem hodieque solent multorum editiones quas dicunt criticae prae se ferre. Iam annotationis robur in uberrima narratione de vita civili librisque hominum Romanorum consumptum; nihil rerum Graecarum, nullum de placitis Tullii ac sententiarum fide iudicium, praeter raras id genus commonitiones; denique partem eam quae cernitur in observatione sermonis, in delectu verborum enucleando rimandisque praeceptis subtilioribus, in artificio scriptoris demonstrando, hactenus receperat editor, ut aliquanto reconditiora sectaretur cum testium apparatu modico. Ceterum oratio, si quaeris, remissior erat et contractior, quam cui vigor interpretis et plenior vox ad animos discentium inflammandos facta satis constaret. Diceres extrema lineamenta commentariis allata: quibus cum probae frugis ad intelligentiam Bruti meliorem et restitutionem insit plurimum, ad impellendum satis, ad edocendum parum esse videbatur. Profecto nullam rem fatemur tam abiectam ac pusillam fieri posse, quin ad explicationem antiquitatis et ornandum philologorum officium recte conferatur; si tamen optio detur, malim hercle Tullianum genus dicendi minutatim copiis vel confertissimis illustrari quam fortunas, magistratus, mortes et quasi contextum quendam annalium simul cum litterulis virorum obscurorum recenseri, cuius doctrinae laudem integram atque contentionem historici sibi arrogant et cummaxime quaestionibus accuratis suam propriamque fecerunt, partem vero rite dispensatam et magistri dudum in scholis propagant et interpretes debent in cumulum muneris et auctarium tanquam submissa voce transferre. Sane haud ineptum est Rusticelium Bononiensem, ut hoc utar, cognosci, quove anno tribunatum gesserit C. Curio, si forte quis auctor existat; sin ignoramus talia, quorum memoria ut plurimum evanuit, non impensius laborabimus, nec quicquam interest ad splendorem eloquentiae Romanae. Atqui permagni refert ut interiores recessus generis Ciceroniani teneamus: cuius limata proprietas luminibus figurati sermonis distincta si libera-

liter et exquisita doctrina, quae summo artifice digna sit, explicaretur, obmutescerent isti de vulgo reprehensores et iuveniles arbitri, qui litteris aliquantulum imbuti Ciceronem, sive huius simulacrum ad tristitiam magistrorum suorum conformatum, tanquam vanum clamatorem et pigmentis Asianorum superfluentem incessere pergunt.

Sed redeat, unde deflexit oratio, ad causas et hanc commentariorum indolem quasi collecticiam. Nam perpulit ipsa necessitas, ut, qui nullam nisi sequestris personam subire debuissem aut subiturum me divinassem, alienis laboribus operam commodarem vicariam, ne materia nimis manca consiliis nostris repugnaret. Hic quo dispendio temporis quantum taedii in colorandis, emolliendis, concinnandis, quae nunc intra modum subsisterent, nunc ultra fines concessos exuberarent, fuerit devorandum, alios malo suspicari quam in recordatione tot molestiarum haerere, cum praesertim sensum illum voluptatis et oblectationem animi desiderem, qualis solet studia constanter ad aequabilem normam exacta solari. Quod si subitariis annotationibus, quas memoriola fortuitae lectionis vel rerum scriniis conditarum suggessit, iudices contingant: his plane satisfactum erit, modo religionem procuratoris nihil praetermittentis, quod ad usum et integritatem disciplinae valeat, probe tuitus esse videar; nec quisquam numeros et consummatam interpretis vim ab eo requirat, qui nec voluntatem neque otium ad apparatus struendos contulerit. Nihil igitur antiquius habui quam ut difficultates locorum aut expedirentur, aut candide lectoribus ad solvendum commendarentur, vel offensiones parum animadversae eruerentur; nec poenituit quaedam ab Wetzelio peti, qui Brutum laudabiliter ut illis temporibus illustrarat. Recentiorum tamen symbolas et opellas placuit intactas dimitti, quas ad officium editoris arbitror pertinere. Iam orationem Tullii perlustrans providi, ne sincera librorum praesidia spernerentur, neve coniecturis (quamquam nonnullas pro re nata concessi) incertis ordo verborum inficeretur.

Haud equidem ignoro facilitatem quorundam, qui nolint nos in exemplis scholarum causa fabricatis esse morosiores; quasi critica lex pro hominum studiis et necessitatibus infringi posset vel exorari; sed vehementius libuit viri de litteris Latinis meritissimi vocem admirari: *quid enim attinet supra an infra legantur coniecturae, modo ne quis de origine celetur?* Attinet vero: nam ex intemeratis vestigiis contextus citius verum indagaveris, quam ex lenociniis et fucato suspicionum nitore, qui simul aciem perstrinxit et aliquo iudicio animos oneravit, non patitur acriores ad ipsa cubilia mendorum sensus aspirare. Porro cautum est ut orthographia praeceptis grammaticorum vel fidei monumentorum minus esset dissentanea; ne quis enim singulas quaestiones ad rigorem aequabilem et exceptione maiorem dirigat, ipsa criticorum vetat incuria, qui satis tenuem materiam solent enotare; quid quod ne verisimile quidem videtur scriptores variis litterarum generibus distractos, quos modesta quaedam inconstantia decet, in angustum orbem regularum praefracte cogi potuisse. Sed nullis testibus opus fuit in constituendis verborum interpunctionibus; quae cum olim minutissimis vinculis et ambitus numerorum suffocarent et sententias membrorumque convenientiam tenebris tanquam consulto obruerint, iamiam diligenter efficiendum est ut antiquitatis oratio liberior et suis interspirationibus distincta percipiatur. His intentus quam largissimum instrumentum criticae factitandae conquisivi, librorum scripturis et rationibus emendatorum excussis, quo plenior historia Tulliani contextus efficeretur; restant tamen, quae iterata veterum exemplorum comparatione debeant verius narrari vel augeri. Tandem in annotationibus subiiciendis ita sum versatus, ut alias ad supplementum editionis referrem, ne qua parte deficeret interpretatio, aliis autem difficultatum paulo graviorum admonerem vel causas persequerer, cur ab viris eruditis mihi discedendum videretur: neque hoc institutum lectores inique ferent, qui cum toties crebros

et prolixos editorum labores undique contrahant, ut e dissensionibus et ingeniosis erroribus suum fingant iudicium, haud incommode copias in eadem pagina et in una quasi tabula expromptas invenient. Sed quoniam annotationum illarum fuit ratio bipartita, prius quidem genus in damnis tollendis occupatum, quod huius natura talis est, ut quivis subsidiis paratis uti sciens conficere possit, et in medio positum id ad omnes patet, nolui singulari nota distinguere; quae contra spectant ad meliorem locorum explicationem, uncis vel ob eam cautionem circumscripsi, necubi editor eorum culpam sustineret, quae ipse commisissem. Ceterum quicquid est operae nunc in Brutum impensae, non licebit inde fructus probabiles lucrari, nisi quis sparsas observationes in corpus disciplinae perpetuum et concentum digerere calleat, mentemque sudore deterso iubeat in contemplatione Tullianae humanitatis et artis requiescere. Dico gratissimas curas familiaris interpretationis a duris laboribus avocatae, cui licet Euripideum illum *κάματον εὐκάματον* accommodare: cuius qui sit color et usus, quo minus vacat studiose commonstrare, siquidem sermo noster dudum ad perorationem spectat, eo iucundius est Seyfferti specimen elegantissimum nuper in libello scholastico descriptum appellari.

Reliquum est ut hos conatus faustissimis votis prosequamur, et favorem iudicum intelligentium, qui studia communium litterarum causa suscepta consiliis et strenue factis proferant, amanter impetremus. Ita certius assequemur, ut operis initia sensim ad florem et maturitatem perducta monumentis populi Romani lucem afferant et ornamentum.

PROOEMIUM.

Cum Cicero non usu solum et exercitatione dicendi orator esset, verum praecepta et artem eloquentiae teneret, non dubitavit quin operae esset pretium, si historiam oratorum Romanorum composuisset. In ea enim arte Romani plurimum excellebant, et in hac sola cum Graecis de laude et gloria aemulabantur, nec eloquentia apud eos Ciceronis demum aetate coli coepit, sed inde ab initiis prope rei publicae oratores extitisse constat. Cicero igitur, qui in multis aliis rebus probare studuit, Romanos non multum cedere Graecis aut eos iam aequasse, si ulla in re, in eloquentia certe id satis demonstrari posse arbitratus est. Nec tamen historiam tantum oratorum ex *Bruto* haurimus, sed maiorem etiam is affert utilitatem. Cum enim aetates oratorum distinguantur, et doceatur, quando ii esse coeperint quandoque rudes esse desierint atque elegantiam ornatumque receperint, non solum inde eloquentiae initia et processus perfectionemque discimus, sed una simul cognoscimus, quando omnino populus Romanus artes et litteras acceperit, quibusque initiis orsi totam et publicam et privatam vitam excoluerint. Eloquentia enim apud Romanos omnium artium prima fuit, ut quae bello Punico secundo nomen et auctoritatem habere inciperet, et simul ceteras quoque artes, quae cunctae artissimo inter se coniunctae sunt vinculo, moveret et excitaret. Hunc igitur librum maximi esse pretii iam ex eo intelligitur, quod nullum aliud existit monumentum, ex quo co-

piam divitiasque litterarum Romanarum cognoscere melius ac perspicere possimus. Enumerantur fere ducenti oratores: quorum licet multi nec magnam adepti sint laudem nec scripta reliquerint, ipsa tamen eorum multitudo docet, quantopere in eloquentiae studium incubuerint iuvenes, et quanto honore digni fuerint habiti ii, qui oratores evaserunt. Nisi enim praemia eloquentiae proposita fuissent maxima, profecto tam multi operam ei non dedissent.

In *Bruto* documentum dedit luculentum Cicero, quam rerum Romanarum fuerit peritus, et quam praeclare litteras Romanas tenuerit earumque ambitum perspexerit. Id cum ex eo apparet, quod eorum qui mentione fuerunt digni, praetermisit fere neminem, tum ex sincero incorruptoque de singulis oratoribus iudicio. Etsi enim tantam dicentium multitudinem enumeravit, in singulis distinxit adeo diligenter aetatem, vix ut semel erroris arguatur, nec accuratissimo indici continget, plures colligere, quamvis ipse nonnullos se ignoratione veterum omisisse fateatur. Equidem certe, qui his studiis iam dudum operam dedi, vix in duos tresve incidi oratores, quorum oblitus est Cicero, quique commemoratione digni fuisse videantur. Ut autem vere de hoc libro iudicari possit, magni refert scire, ex quibus *fontibus* hauserit quibusque usus fuerit auctoribus Cicero. Nec difficile id explorare et cognitum habere: omnia enim, quae desideramus, ipse suppeditat liber. Nam secutus est potissimum librum annalem T. Pomponii Attici, qui non ordinem tantum rerum gestarum populi Romani explicuit, sed viros quoque celeberrimos memoriae tradidit eorumque vitam, mores, facta, honores, studia, scripta persecutus est. Deinde Annales pontificum, ubi de vetustissimis temporibus loquitur, consuluit; porro auctores historiarum eos, qui orationes oratorum integras in libros suos rettulerunt. Eiusmodi fuere Catonis Origines et Fannii Annales. Postremo, qui erat uberrimus fons, ipsas orationes omnium oratorum inde ab Appio Caeco, quae ferebantur, sedulo conquisivit. Mirandum sane tantam earum extitisse multitudinem: ex quo verisimile fit, Romanos praesertim aetate Ciceronis tantopere litteris et eruditione fuisse imbutos, ut plurimi

non audiendo tantum et legendo diem consumerent, sed scribendis quoque libris operam darent. Non enim consentaneum est litteras Romanas tam inopes olim fuisse, quam nunc per temporum iniuriam et iacturam paene infinitam apparent. De veteribus igitur Cicero oratoribus ex ipsorum orationibus atque ex testimoniis aliorum auctorum iudicium tulit; de iis autem, quos ipse audivit, non aliena auctoritate egebat, verum suo iudicio summa exercitatione laboribusque infinitis limato et expolito usus est. Dicunt quidem nonnulli, eloquentiae Romanae laudem nimis auxisse Ciceronem: et profecto in priore libri parte veteribus oratoribus nimia liberalitate maximas virtutes tribuit, eosque Graecis oratoribus, et perfectissimis quidem, similes esse dicit; sed in extrema parte prudenter in eam quaestionem digressus, utrum de iis vere iudicaverit, an eorum laudes auxerit, hanc potissimum causam attulit, quod intelligi vellet, ex tanto dicentium numero quam pauci digni oratoris nomine evasissent. Hic aliquatenus iudicium suum corrigit; patet autem Ciceronem illis tantum tribuisse, propterea quod multi Romanorum nimis inique de iis iudicarent litterasque veteres fastidirent. [Non repperi tunc temporis Romanos eo fastidii progressos esse, quo post Augusti principatum. Sed istam laudum magnificentiam consentaneum est ad Ciceronis sensum revocari, quem constat antiquitatis Romanae studiosissimum fuisse.]

Conscriptus autem Brutus est a. 708. (46.) Caesare tertium consule. Id hinc apparet, quod L. Torquatus, Triarius, P. Lentulus, M. Calidius, Calvus, qui cuncti a. 707. (47.) perierant, inter extinctos enumerantur. Deinde Brutus ex Asia nuper reversus esse dicitur. Id vero a. 707. (47.) mense Septembre accidisse constat. V. Clinton. Fast. in a. 707. Atque initio anni 708. confectum esse docet Catonis memoria, qui cum mense Aprili Uticae semet occiderit, inter vivos nominatur. Tunc res publica in potestate Caesaris erat; cumque temporibus illis cursum suum amisisset Cicero, neque aliud ei relictum esset, nisi ut in litteris se absconderet et libros conficeret, ex ea re intelligi potest, cur omnia, quae in hoc volumine de republica dicuntur, tristem et vulneratum animum ostendant. Nec tamen adeo dolori se dedidit, ut succumberet mens atque animus, sed gloriam pristini cur-

sus et honores publicos otii privati ac litterati suavitate commutavit. Quid quod a sese impetravit, ut de ipso Caesare haud iniquum iudicium ferret: quod magni animi documentum esse arbitror. Ubi enim de Caesare oratore loquitur, de republica silet, virtutes eloquentiae laudemque litterarum, qua ille floruit, aequo animo illustrat et iusta approbatione prosequitur.

Superest ut dicendi formam commemoremus. *Brutus* igitur sermone et toto genere dicendi libris *de Oratore* similis est, etsi negari nequit, et hos et *Oratorem* magis esse elaboratos. Quamquam autem dialogum esse negligentem et nativa arte eloquentem confiteor, tamen sermonem eius longe illum superare puto, qui in libris de philosophia reperitur. Sane etiam in eo admirabilis esse videtur, quod nudam atque ieiunam oratorum enumerationem cum facetiis et lepore excitavit, tum doctis egressionibus delectat animos.

Commentariis illustrarunt hunc librum prae ceteris Corradus, Wetzelius, Ellendtius: qui explicandae oratorum historiae multam dederunt operam. Textus autem diu neglectus iacebat: nam et fraudibus codicum et multo magis vasta coniecturarum mole ita depravatus fuit, ut vera non amplius agnosci posset manus. Orellius igitur noster postquam collationem codicis Parisiensis D accepisset, librum a. 1830. separatim edidit, itaque egit, ut, quid codicum sit lectio, quid a coniectura profectum, nunc perspici possit. Hanc ille rationem secutus magnam dubiorum aut corruptorum locorum partem restituit. Mihi quoque novo et praeclaro subsidio uti contigit. Orellius enim Basileae in editionem principem Romanam a. 1469. inciderat, eamque mihi liberalissime tradidit. Haec vero editio non eam tantum utilitatem (etsi iam per se satis magna fuit) attulit, ut nunc demum intelligatur, Rivii quae feruntur coniecturas plerumque non coniecturas esse, sed ipsius editionis principis lectiones: praeterea haud paucos locos hac ope a me correctos emendatosque arbitror. Sed ne sic quidem omnes corruptelae evanuerunt: restant etiamnunc plures loci, qui novos codices, novos editores desiderant. Deinde litteras Romanas, in quibus totus versatur liber, commentariis quantum poteram illustrandas esse putavi. Cum enim

viderem eorum, qui in Bruto enumerentur, plerosque non orationes tantum scriptas reliquisse, sed aliis quoque doctrinae et eruditionis generibus excelluisse: cuncta eorum studia et scripta colligere et uno conspectu legentium oculis subiicere volui, ut et hi penitus cognoscerentur, et historia litterarum Romanarum augeretur. Ceterum in aetatibus oratorum distinguendis multum mihi profuit liber annalis Clintonis, sic inscriptus: *Fasti Hellenici. The civil and literary Chronology of Greece and Rome from the CXXIVth Olympiad to the death of Augustus. By Henry Fynes Clinton Esq. Oxford* 1830.

ARGUMENTUM.

Q. Hortensii deplorat obitum, sed qui commodissimo tempore acciderit; sibi vero nullum in tanta rerum adversitate remedium esse concessum, nisi ut per otium honestum litteras dilectissimas recolat: c. 1. 2. M. Iunius Brutus et T. Pomponius Atticus ad Ciceronem veniunt; qui post interpositam libri annalis, quem Atticus ediderat, laudem ab eo petunt, ut *de oratoribus*, *quando esse coepissent*, *qui etiam et quales fuissent*, sermonem nuper inchoatum perficeret: c. 3—5. Exorsus ille ab Atticis eloquentiam rem unam esse demonstrat omnium difficillimam: Athenis enim artes omnes ante excultae atque perfectae fuerunt quam eloquentiae vis et copia est elaborata, eaque post initia subitaria sero ad formulam disciplinae revocata, quippe pacis comes et bene constitutae civitatis quasi alumna: c. 6—13.

Transit ad oratores Romanos, quorum vetustissimi feruntur L. Brutus, M. Valerius, L. Valerius, Appius Claudius, C. Fabricius, Ti. Coruncanius, Manius Curius, M. Popillius, C. Flaminius, Q. Maximus Verrucosus, Q. Metellus, sed quorum nullus sit pro oratore habitus: c. 14.

Primus vero, de quo memoriae sit proditum, eloquentem fuisse, est M. Cornelius Cethegus, quem excepit M. Cato, cuius eloquentiae et summa tribuitur laus et defensio paratur ad iniqua recentioris aevi iudicia: c. 15—19.

Iisdem fere temporibus fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, Scipio Africanus maior, Scipio filius, Sex. Aelius, C. Sulpicius Gallus, Ti. Gracchus, pater Gracchorum, P. Scipio Nasica Corculum, L. Lentulus, Q. Fulvius Nobilior, T. Annius Luscus, L. Aemilius Paullus: c. 19. 20. Deinde Catone minores natu A. Albinus, Ser. Fulvius, Ser. Fabius Pictor, Q. Fabius Labeo, Q. Metellus, L. Cotta, cum his inprimis eloquentes viri C. Laelius et P. Scipio Africanus minor, quique arte dicendi et actionis vehementia praestabat, Ser. Sulpicius Galba: c. 21—24.

Sequuntur aetate L. et Sp. Mummii, Sp. Albinus, L. et C. Aurelii Orestae, P. et C. Popillii, C. Tuditanus, M. Octavius, M. Aemilius Lepidus, cuius in orationibus iam levitas Graecorum appareret, Q. Pompeius, L. Cassius, duo Caepiones, P. Crassus, Fannii duo, Mucius Scaevola augur, L. Caelius Antipater: c. 25. 26.

Extitit nova oratorum aetas. Ordinem duxerunt Ti. Gracchus et C. Carbo: quibus adiunguntur mediocri laude notabiles D. Brutus, Q. Maximus, L. Paulli nepos, Scipio Serapio, P. Lentulus, L. Furius Philus, P. Scaevola, Manius Manilius, Appius Claudius, M. Fulvius Flaccus, C. Cato, P. Decius, M. Drusus, M. Pennus: c. 27. 28.

His proxime accedunt M. Scaurus, L. Fufidius, P. Rutilius, quasi Stoicus orator: c. 29. 30. Per opportunitatem Stoicae disciplinae sermo digreditur et ad M. Catonem minorem et ad philosophiae coniunctionem cum eloquentia: c. 31. Perstringitur eiusdem aetatis orator Curio: c. 32. Sed omnibus plenior et uberior ad dicendum celebratur C. Gracchus, praestantissimus ingenio, doctrina, studio; cui adduntur diserti homines C. Galba, P. Scipio, L. Bestia, C. Licinius Nerva, C. Fimbria, C. Sextius Calvinus, M. Brutus, L. Caesulenus: c. 33. 34. Item T. Albucius, Q. Catulus, Q. Metellus Numidicus, M. Silanus, M. Aurelius Scaurus, A. Albinus, Q. Caepio, C. et L. Memmii, Sp. Thorius, M. Marcellus, P. Lentulus, L. Cotta, denique M. Antonius et L. Crassus, qui oratorum principes fuerunt et primi Graecorum gloriam aequipararunt: c. 35. 36. Utriusque praestantia demonstratur, interposita (c. 39.) digressione ad Q. Scaevolam: c. 37—44. Item sermo deflectit ad Ser. Sulpicium Rufum, in iure civili clarissimum: c. 41. 42.

Cum his coniuncti fuerunt aetate Cn. Domitius, C. Caelius, M. Herennius, C. Claudius, C. Titius, Q. Rubrius Varro, M. Gratidius: c. 45.

Colliguntur deinceps ex sociis atque Latinis oratores, quibus color urbanitatis defuerit, Q. Vettius Vettianus, Q. et D. Valerii Sorani, C. Rusticellus, T. Betucius Barrus, L. Papirius: c. 46.

Redit ad oratores Romanos tertiae aetatis. Itaque primum, qui magis in dicentium quam in oratorum numero fuerint, perstringuntur L. Philippus, L. Gellius, D. Brutus, L. Scipio, Cn. Pompeius Strabo, M. Brutus, C. Bellienus, Cn. Octavius: c. 47. His autem succedunt aliqua dicendi dote conspicui, C. Iulius, P. Cethegus, Q. Lucretius Vispillo, Ofella, T. Annius Velina, T. Iuventius, P. Orbius, T. Aufidius, M. Virgilius, P. Magius, Q. Sertorius, C. Gargonius, T. Iunius: c. 48.

Sequitur aetas quarta, in qua omnium iudicio facile primas tulerunt C. Cotta et P. Sulpicius. Digressio, qua demonstratur, de oratore probando aut improbando numquam fuisse populo cum doctis hominibus intelligentibusque dissensionem: c. 49—55.

Cottae adiungitur huius sodalis L. Aelius: c. 56. Non displicuit Cn. Pomponius: c. 57. Iam de C. Scribonio Curione

disputans, qui plus usu domestico quam litterarum valuerit doctrina, digressionem de institutione domestica delibat: c. 58—61. Recensentur porro C. Carbo, Q. Varius, Cn. Pomponius, L. Fufius, transmissis quibusdam, quos satis videbatur aut in praesidiis rei publicae collocasse aut turbulentis concionibus reliquisse, velut L. Appuleium Saturninum et C. Servilium Glauciam: c. 62.

Enumerantur iam brevissimis iudiciis oratores inferioris aetatis, P. Antistius: c. 63. L. Sisenna, additis Q. Hortensii primordiis: c. 64. 65. M. Crassus, C. Fimbria, Cn. Lentulus, P. Lentulus: c. 66. M. Piso, P. Murena, C. Censorinus, L. Turius, C. Macer: c. 67. C. Piso, Manius Glabrio, L. Torquatus, Cn. Pompeius Magnus, D. Silanus, Q. Pompeius, P. Autronius, L. Octavius, C. Staienus: c. 68. C. et L. Caepasii, C. Cosconius Calidianus, Q. Arrius, quasi faex oratorum: c. 69. T. Torquatus, M. Pontidius, M. Messalla, duo Metelli, Celer et Nepos, Cn. Lentulus, C. Memmius: c. 70.

Interponuntur iudicia de vivis oratoribus, M. Marcello et C. Iulio Caesare, qui orationis emendatae quasi bonam consuetudinem ratione firmarit: c. 71—75. Succedunt de iis qui vita excesserant, C. Sicinius, C. Visellius Varro, L. Torquatus, C. Triarius: c. 76. M. Bibulus, Appius Claudius, L. Domitius, P. et L. Lentuli, T. Postumius: c. 77. P. Cominius, T. Accius, C. Piso: c. 78. Quorum omnium recensu hoc potissimum scriptor putabat sese assecutum, ut intelligeretur, ex eorum numero qui ausi essent dicere quam pauci fuissent laude digni. Multo minus praetermittendi videbantur M. Caelius Rufus et singularis ingenii vir M. Calidius: c. 79. 80. Quibus adiunguntur in aetatis flore extincti C. Curio et C. Licinius Calvus: c. 81. 82. Quorum hic cum Atticum se dici voluerit oratorem, opportune fit digressio de Attico dicendi genere: c. 82—84.

Deinde cum ad perorandum spectet oratio, prudens quaestionem occupat scriptor, utrum de oratoribus Romanis, praesertim veteribus, vere iudicaverit, an eorum laudes ambitiosius auxerit: c. 85—87.

Iam enarrantur Hortensii cursus civilis atque studia eloquentiae, cum quibus suum cursum comparat Cicero, quasi laboris et industriae vestigia demonstrans, quibus ipsum Hortensium persecutus sit: c. 88—96.

In epilogo Brutus admonetur, ut, quamquam importuna civitatis clade pressus, in eloquentiae studiis velit sese continere, summique oratoris laudem acquirat, praesertim uberrimis Graecorum artibus ornatus: c. 96. 97.

M. TULLII CICERONIS
B R U T U S.

Brutus] Hic liber eo nomine cum in codicibus inscriptus est, tum ab ipso Cicerone (de Divinat. II, 1.) et a ceteris scriptoribus, ut a Quintiliano, Tacito, Macrobio, Charisio, Diomede, Rufino affertur. Nam altera, quae editionibus adiici solet, inscriptio *De Claris Oratoribus* Ciceronis non est. Eidem M. Iunio Bruto plures libri a Cicerone sunt inscripti, velut *Paradoxa*, *De finibus bonorum et malorum*, *De natura deorum*, *Tusculanae disputationes*, *Orator*. Eum praedicare solet ingenio, fama, litteris in iuventute Romana maxime florentem, praesertim cum inde ab anno U. C. 700. (54. a. Chr.) familiaritate Ciceronis uti coepisset, ipse uno et viginti annis minor, quippe anno 669. (85.) natus. Quamvis autem multae huius coniunctionis et necessitudinis causae appareant, duas tantum, quae graviores esse videantur, hic afferre placuit. Nam et earundem erat studiosus partium, quas in republica per totam vitam Cicero defendit, idemque acerrimus bonorum civium propugnator; et cum amore litterarum excelluit, tum ea scriptorum multitudine atque laude floruit, ut nemini fere Romanorum inferior esset. Praeterea eadem secutus est studiorum genera, quae Cicero tractarat: nam et insignis erat orator, et maiorem etiam libri eius de philosophia auctoritatem meruere. In eloquentia tamen aliam dicendi sectam probavit Cicero, aliam Brutus, qui cum pressam et astrictam compositionis formam sequeretur, omnino tenuitatem Atticae dictionis praetulit copiae atque ubertati orationis Tullianae: v. Cic. ad Attic. XIV, 20. XV, 1. Quintil. XII, 1, 22. Haec non solum morum, verum etiam studiorum similitudo atque communio effecit, ut intima Ciceronis uteretur amicitia. Cum autem iniquo litterarum Romanarum fato scripta eius interierint cuncta, a me impetrare non potui, quin vestigia eorum indagarem. Iam de libris Bruti ad philosophiam pertinentibus Cicero in Academicorum libro primo, quem ad Varronem misit, c. 3, 12. iudicium ferens, *Brutus quidem*, inquit, *noster excellens omni genere laudis sic philosophiam Latinis litteris persequitur, nihil ut iisdem de rebus Graecia desideret, et eandem quidem sententiam sequitur quam tu: nam Aristum Athenis audivit aliquamdiu, cuius tu fratrem Antiochum.* Porro Quintilianus X, 1, 123. *Supersunt*, inquit, *qui de philosophia scripserint, quo in genere paucissimos adhuc eloquentes litterae Romanae tulerunt. Idem igitur M. Tullius, qui ubique, etiam in*

hoc opere Platonis aemulus extitit. Egregius vero multoque quam in orationibus praestantior Brutus suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quae dicit. Nec aliter Tacitus in ea parte dialogi, qua in oratores invehitur, c. 21. *Brutum*, ait, *philosophiae suae relinquamus. nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur.* Philosophorum ex vetere Academia sectam secutus est, ut in Bruto legimus c. 31. 40. 97. et in eodem quem modo attulimus Academicorum loco: v. Goerenz. De Fin. V, 3, 7. Ac libros eius haud parvi momenti fuisse opinor, praesertim cum non amator tantum philosophiae, qualis Cicero erat, verum ipse philosophus fuisse videatur. Libri, quem Ciceroni misit, *De Virtute* Cicero meminit De Fin. I, 3. Tuscul. V, 1. et Seneca in Consolatione ad Helviam c. 8. et 9. Porro scripsit *De Officiis* sive *περὶ καθήκοντος*, ut ex Senecae Epist. 95. Charis. p. 83. Prisciano T. I. p. 222. ed. Kr. cognoscere licet; item *De Patientia*, teste Diomede p. 378.

Transeo ad Brutum oratorem. Eius laudes oratorias satis magnas extitisse ex iis perspicitur, quae in Bruto c. 6. et 95. Cicero scripsit. [Verum dicentis mediocrem apud populum fuisse favorem callido consilio idem arguit c. 50. *ego huic Bruto dicenti ut solet apud multitudinem, Mihi cane et populo, mi Brute, dixerim.*] Paucarum tamen orationum supersunt vestigia: afferuntur enim *pro Deiotaro rege, concio Capitolina post necem Iulii Caesaris habita, oratio pro Appio Claudio Pulchro* et [quam ab Appii defensione nolim distingui] *eiusdem laudatio* (v. Drumannus T. II. p. 197.), postremo *laudatio Catonis Uticensis* (v. Cic. ad Attic. XIII, 46. XII, 21.), cui libro Augustus opposuit *Rescripta Bruto de Catone* (Sueton. Octav. 85.). Sed de his cum in Collectione Oratorum Romanorum p. 205. (cf. Ellendt. Prolegg. in Brutum p. CXXVII.) disseruerim, nolim amplius disputare. Alias praeterea multas conciones Brutum reliquisse satis constat. Cremutius enim Cordus apud Tacitum (A. IV, 34.) his in defensione sua utitur verbis: *Antonii epistolae et Bruti conciones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur; sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere.* Eosdem Bruti libros Ovidius intelligit, qui in Epp. Pont. I, 1, 24. librum suum ita commendat amico:

> *Quod metuas, non est: Antoni scripta leguntur,*
> *doctus et in promptu scrinia Brutus habet.*

His enim versibus negat Augustum ab legendo ipsius libello quemquam esse deterriturum, quamvis oderit auctorem, cum aliorum scriptorum, quos idem infestos habuerit, libros extare concesserit, velut Antonii epistolas et Bruti conciones, refertas illas contumeliis Octaviani. Quae versuum explicatio haud scio an praestet ei, quam Weichertus in Poetarum Reliquiis p. 126. attulit, quasi Brutus libros quosdam inverecundi propudiosique argumenti ediderit. Quod autem idem Weichertus una cum Heinsio et Ellendtio p. CXXX. credit, istos inverecundos Bruti libros a Statio Silv. IV, 9, 20. significari, id sane prorsus incertum duco. Statius enim obiurgans amicum, quod librum dono misisset, non ipsius orationes continentem, sed libellum tineis situque putrem,

> *Sed Bruti senis oscitationes*
> *de capsa miseri libellionis*
> *emptum plus minus asse Caiano*
> *donas —*

multum abest ut librum quendam huius Bruti, de quo loquimur, intelligat, ut potius Bruti illius, qui aequalis fuerat Scipionis Africani minoris, *de iure civili* libros (v. infra c. 34.) augurer nominari: is autem senex potuit eodem sensu dici, quo Cato senex, ut a Catone Uticensi distinguatur. [Incerta coniectura. Nobis huius ipsius Bruti sive carminum libellus sive lucubrationes Statio parum probatae declarari videntur.] Redeamus ad Brutum nostrum, qui praeter orationes et *declamationes* et *historias* scripsit. Ac declamationes eius duas extitisse constat, unam *pro Milone*, alteram *de dictatura Pompeii*. Historiae vero eiusmodi sunt, quales in rhetorum scholis componi solebant; non ut eo nomine auctoribus rerum annumerarentur, sed ut stilum exercerent omnique eloquentiae generi satisfacerent. Sic Brutus *epitomen Fannianorum* (Cic. ad Att. XII, 5.), id est, historiae Fannii, et *Caelianorum*, id est, Caelii Antipatri (v. Cic. ad Att. XIII, 8.), de quibus infra dicetur c. 26. atque *Polybii* conscripsit (Plutarcho teste in Bruto c. 4.).

Superest ut de *epistolis* Bruti dicam, quarum et Graeca et Latina collectio ferebatur. Graecas vero celeberrimas fuisse apparet ex Photii testimonio (Cod. 158. p. 101. ed. Bekk.): *Φρύνιχός φησι Μαρκιανὸν τὸν κριτικὸν συγγραφέα ὑπερορᾶν μὲν Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους, τὰς δὲ Βρούτου τοῦ Ἰταλοῦ ἐπιστολὰς προκρίνειν καὶ κανόνα τῆς ἐν λόγῳ ἀρετῆς ἀποφαίνειν.* Easdem Plutarchus in Bruto c. 2. magnis effert laudibus. [Adde Suid. v. *Βροῦτος*.] Sed quae etiamnum feruntur, Bruti non sunt, verum ab rhetore nescio quo originem ducunt: v. Bentleii Opusc. Philol. p. 154. Schoell. Griech. Litt. T. II. p. 655. [Fabric. B. Gr. I. 414.] Epistolae autem Bruti Latinae a Tacito in Dialogo c. 18. Quintil. IX, 4, 75. Plinio Hist. XXXIII, 12. item a grammaticis, Prisciano T. I. p. 456. Diomede p. 383. Charisio p. 105. afferuntur. Origo autem epistolarum fictarum, quae adhuc supersunt, antiquissima est, ut quas non solum Plutarchus Cic. 45. et Brut. 22. 29. in testimonium advocaverit, verum etiam ita comparatas esse videamus, ut non multum post Bruti mortem prodisse debeant: v. Ruhnkenius in Velleium p. 109. Orellius ad Historiam Ciceronis in T. I. Onomastici p. 100. Voegelinus in Plutarchi Brutum p. 46. 63. Ipse iam Plutarchus fictas esse quasdam Bruti epistolas suspicatus est, qui in vita Bruti c. 53. dixerit: *φέρεταί τις ἐπιστολὴ Βρούτου* et, *τὸ ἐπιστόλιον, εἴπερ ἄρα τῶν γνησίων ἐστί.*

Ultimo posui loco carmina Bruti, quae ceteris scriptis longe erant inferiora. Tacitus enim in Dialogo c. 21. *Nec fere quisquam*, inquit, *aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. Fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.* Quale autem carminum fuerit argumentum, Plinius indicat Epp. V, 3. lascivorum carminum auctoribus Brutum annumerans.

I. 1. Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso cum consuetudine iucunda tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii deminutam dolebam: qua in cogitatione et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo

Cap. 1. 1. multorum] *mutuorum* Ellendt. deminutam] *diminutam* editio princeps. Quo modo haec differant verba, Oudendorpius in Suet. Caesar. 5. et Ochsnerus in Cic. Eclog. p. 13. docuerunt.

Cap. 1. 1. e Cilicia] Cicero proconsul postquam Ciliciam administraverat a. u. 703. (51.), ex ea provincia medio anno 704. (50.) decessit.

de Q. Hortensii morte] Q. Hortensius (de quo infra dicetur c. 64. 88. 89. 92—96.) diem obiit Aemilio Paullo, C. Claudio Marcello coss. a. u. 704. (50.)

opinione omnium] Cicero morte Hortensii doluit vehementius quam quisquam opinabatur: plerisque enim Hortensius videbatur amicitiam erga Ciceronem simulasse, cum adversarius potius et obtrectator eius fuisset. De qua re humanissime iudicatur c. 94.

multorum officiorum coniunctione] Hortensius et Cicero multis coniuncti erant officiis: nam et senatores erant, et eadem obtinebant munera, et iisdem intererant iudiciis, in quibus easdem saepenumero causas egere. Omnino *consuetudo* vitam privatam, *coniunctio officiorum* vitam publicam spectat. Nos: *Gemeinschaft in vielen Berufsverhältnissen.*

cooptatum — in collegium] Cicero augur factus est a. 701. (53.) Philipp. II, 2. *me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt (neque enim licebat a pluribus nominari).* Similiter Plinius Epp. IV, 8. *Gratularis mihi quod acceperim auguratum. — Mihi vero etiam illud gratulatione dignum videtur, quod successi Iulio Frontino, principi viro, qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tamquam in locum suum cooptaret.* Antiquitus vero sacerdotes non in comitiis, sed in collegiis sacerdotum suffici solebant, ita ut augures ab augurum collegio, pontifices a pontificum nominarentur, id est, cooptarentur. Dionysius Hal. A. R. II, 73. *ἐκλιπόντος δέ τινος τῶν ἱερέων τὸν βίον, ἕτερος εἰς τὸν ἐκείνου καθίστατο τόπον, οὐχ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθεὶς ἀλλ' ὑπ' αὐτῶν ἐκείνων, ὃς ἂν ἐπιτηδειότατος εἶναι ἐδόκει τῶν πολιτῶν. παραλαμβάνει δὲ τὴν ἱερατείαν ὁ δοκιμασθεὶς, ἐὰν εὐόρνιθες τύχωσιν οἰωνοὶ γενόμενοι.* Quamvis autem tribuni plebis, qui bene intellexerant, collegiis sacerdotum patricios adiuvari, debilitari rem popularem, aliquoties legem rogassent, ut ad populi transferretur beneficium cooptatio collegiorum, eam tamen non ante pertulerunt, quam vetus rei publicae constitutio medio seculo septimo dissolvi coepisset (cf. Walter Geschichte des Röm. Rechts T. I. p. 186. Drumann Gesch. v. Rom T. II. p. 493. Orellius in Cic. Oratt. sel. Philipp. II, 4.). Extabat de hac re Laelii *de collegiis* oratio: c. 22. cf. Oratorum Rom. Fragm. p. 97. Itaque cooptabantur quidem

iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. 2. Augebat etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque penuria, vir egregius coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate alienissimo rei publicae tempore exstinctus, et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram. 3. Etenim si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poetas nobiles poetarum aequalium morte doluisse, quo tam-

in parentis eum loco] Lambinus omittit *in*.

2. sapientium] *sapientum* ed. pr. *magna bonorum civium sapientiumque penuria* ex veteribus libris memorat Corradus. *magna bonorum sapientiumque civium penuria* Lamb. Certe simplicior haec verborum collocatio est. [Sed parum illa consentanea Ciceronis artificio verborum collocandi.]

3. *morte* ed. pr. *mortem* Lamb.

augures a collegis duobus, populus autem nominationem sanciebat.

iuratus] Ex hoc loco rationem cognoscere licet augurum creandorum. Itaque iuratus eum, quem aliquis proposuisset, collegio quam maxime dignum esse confirmabat. Huic autem consequens erat ut, qui plurima suffragia tulisset, a collegis inaugurareter.

2. alienissimo rei p. tempore] Cum bellum inter Pompeium et Caesarem, quo totam rem publicam eversum iri iam diu augurabatur Cicero, erupturum esset: id quod paucos menses post Hortensii mortem evenit a. u. 705. (69.) [*Tempus* in talibus formulis de ea rerum condicione, cum alicuius salus in periculo versatur, legitimum esse docet Ruhnk. in Rutil. Lup. p. 28.]

sed socium] Hortensius inde a consulatu Ciceronis consiliis eius favebat, cum antea de re publica multum inter se dissedissent. Infra c. 94. *Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, cum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, coniunctissime versati sumus, consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat.*

gloriosi laboris] Laboris in eo positi, ut bonorum civium auctoritatem ab iniuriis perditorum ac sceleratorum hominum defenderet.

3. leviorum artium] Levior sane ac felicior condicio est poetarum quam eorum, qui mediis in turbis civilibus rem publicam gubernare debent. Itaque non erat cur nonnulli dicerent, iactanter has artes appellari leviores. Cato c. 14, 50. *Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo!* [Sed probabilius est poesin cum gravitate ceterarum disciplinarum, potissimum eloquentiae contendi. Non enim poetarum agitur condicio, sed poesis auctoritas et in vita communi existimatio. Cf. de Or. I, 16.]

poetas nobiles] Velut traduntur Sophocles et Io Chius Euripidis decessu doluisse.

dem animo eius interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? cum praesertim non modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adiutus et communicando et monendo et favendo. 4. Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita suo magis quam suorum civium tempore, et tum occidit, cum lugere facilius rem publicam posset, si viveret, quam iuvare, vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo detrimentoque, si ést ita necesse, doleamus, illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius quam misericordia prosequamur, ut, quotiescunque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius quam nosmet ipsos diligere videamur. 5. Nam si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum: quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. sin, tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. II. 6. Etenim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus, hunc aut praeter ceteros

5. nam si id] *si* om. ed. pr.
C. 2. 6. hunc aut praeter] Lamb. Orelli. *hunc autem et praeter* ed. pr. prob. Goerenz. De Fin. p. 517. *hunc autem praeter ceteros, aut cum paucis* Ernesti. Ellendt. Hand. in Tursellino T. I. p. 546.

4. felicitate usus] Cic. ad Fam. II, 16. *etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum, Q. Hortensium, quod numquam bello civili interfuisset.*

cessit e vita] Id Orellius ἅπαξ λεγόμενον esse dicit. Sed eadem fere formula in Tuscul. I, 15, 35. *quod ad eos pertineat, qui vita cesserint.* Tacit. Hist. II, 55. *At Romae nihil trepidationis: Cereales ludi ex more spectabantur, ut cessisse vita Othonem et a Flavio Sabino praefecto urbis, quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum, certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere.* Nec differt ab altera *excedere e vita*, quae est c. 75. [Prior tamen nititur figura convivii vel deversorii, quam et Cicero Cat. 23. expressit et eadem oratione pronunciavit Horatius sub finem primae Satirae: *et exacto contentus tempore, vita cedat, uti conviva satur.* Quod accurate dixit Lucret. III, 951. *recedis.* Eodem referendum illud fortiter inculcatum *cedes*, in Carm. II, 3, 17.]

suo magis — tempore] Mors ipsi felix, civibus incommoda fuit, qui illis praesertim temporibus, cum bellum immineret civile, sapientiam atque auctoritatem eius vehementer desiderabant. Cf. c. 96.

[5. non satis grato animo] In deos, qui bello civili eum eripuerant. Sic recte *Wetzelius*, coll. de Or. III, 2.]

aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita et Romanis Graecisque auribus digna spoliatum atque orbatum videret. 7. Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rem publicam, quae didiceram tractare quibusque me assuefeceram, quaeque erant propria cum praestantis in re publica viri, tum bene moratae et bene constitutae civitatis. quod si fuit in re publica tempus ullum, cum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio, tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exclusum est aut errore hominum aut timore. 8. Ita no-

7. augor animo] *animi* Manutius, cui obversabatur, opinor, illud *pendeo animi.* [V. Gronov. in Liv. VII, 30.] Sed ipsum *animi* proprie genitivum non esse, quamvis id consuetudo tenuerit, verum pro vetustiore ablativi forma habendum, contendit R. Klotz. in Tuscul. I, 40. p. 138.

egere] *geri* coniectura Corradi. Illud dolori Ciceronis accommodatius.

pacis] *civitatis* ed. pr.

errore] *terrore* ed. pr. Illud verum: Pompeiani enim partim timore (metuebant enim Caesaris iram), partim errore, quia victores se fore opinabantur, abiectis pacis condicionibus bellum civile ultro susceperant.

C. 2. 6. forum populi Romani] Dum libera erat res publica, Hortensius ceterique principes viri in senatu maxima fruebantur auctoritate, in concione valebant plurimum, in iudiciis regnare solebant, cum omnes eorum uti patrocinio cuperent. Cum vero Caesar rerum potitus esset, ipse atque amici eius terrore vel obsequio et senatum et concionem subegerunt; iudicia nutu Caesaris reos absolvebant aut condemnabant. Cicero ad Fam. XII, 18. epistola a. u. 709. scripta: *Hic pax consecuta: sed tamen eiusmodi pax, in qua, si adesses, multa te non delectarent: ea tamen, quae ne Caesarem quidem delectant. Bellorum enim civilium ii semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quae velit victor, sed etiam, ut iis mos gerendus sit, quibus adiutoribus sit parta victoria.* [Addit Wetzelius earundem Epp. X, 1.] Adde c. 6. pr.

7. patrocinium pacis] Pacis perpetuus auctor suasorque fuerat Cicero. Ad Fam. XVI, 12. *Quo in discrimine versetur salus mea et bonorum omnium atque universae rei publicae, ex eo scire potes, quod domos nostras et patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta est, ut, nisi qui deus vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire et dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent: sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante nihil esse bello civili miserius.* Item VI, 6. VII, 3.

[errore hominum] Errorem dixit lenissime consilia civium fatali quadam vi corrupta, quo refertur Graecum θεοβλάβεια. Sententiam

bismet ipsis accidit, ut, quamquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quod quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis tamquam in portum confugere deberet, non inertiae neque desidiae, sed otii moderati atque honesti; cumque ipsa oratio iam nostra canesceret haberetque suam quandam maturitatem et quasi senectutem, tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. 9. Itaque ii mihi videntur fortunate beateque vixisse cum in ceteris civitatibus tum maxime in nostra, quibus cum auctoritate rerumque gestarum gloria tum etiam sapientiae laude perfrui licuit. quorum memoria et recordatio in maximis nostris gravissimisque curis iucunda sane fuit, cum in eam nuper ex sermone quodam incidissemus.

III. 10. Nam cum inambularem in xysto, et essem otiosus domi, Marcus ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines cum inter se coniuncti tum mihi ita cari itaque iucundi, ut eorum adspectu omnis,

8. inertiae neque desidiae] *inertia neque desidia* ed. pr.
9. itaque ii mihi] *itaque mihi* ed. pr.
C. 3. 10. itaque iucundi] *atque iucundi* ed. pr. *itaque* i. e. et ita: v. Hand. Turs. T. III. p. 500.

istam antiquitatis explicavit Ruhnk. in Vellei. II, 57. Errorem vero, quod nos dicimus *Verblendung*, similiter Virgilius in clarissimis versibus: *Di meliora piis, errorem que hostibus illum.*]

8. aetas nostra] Cicero a. u. 705. (49.) agebat aetatis annum 58.

[canesceret] Figuram dicendi annotavit Quintil. XI, 1, 31. ubi suum eloquentiae genus cuique aetati monuit convenire. Mireris tamen orationis quasi colorem et gradum cum civilibus armis Pompeii et Caesaris, quos continuo tangit, sociari: nam ut publica calamitas et dominatio forensem usum debilitarit, ita senescens et temperatus sermo non potuit in ordinem cogi. Itaque Cicero videtur illum rei publicae statum desiderasse, quo senatoria valeret auctoritas virorum gravissimorum, nullis illa vel modicis artis lenociniis commendata.]

C. 3. 10. xysto] Xystum in usu Romanorum ambulationem fuisse subdialem ante porticum viridibus exornatam, (ein Altan, eine Terrasse vor der Gallerie des Hauses) tradit Schneiderus in Varron. III, 5. p. 509. sq. (adde Lex. Auctt. Rei Rusticae v. *xystum*) sive in Lex. Gr. v. *ξυστόν*.

inter se coniuncti] Corn. Nep. vita Attici c. 8. *Secutum est illud* (bellum) *occiso Caesare, cum res publica penes Brutos videretur esse et Cassios ac tota civitas se ad eos convertisset. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius quam hoc sene, neque solum eum principem consilii haberet sed etiam in convictu.*

quae me angebat de re publica, cura consederit. Quos postquam salutavi, Quid vos, inquam, Brute et Attice, nunc? quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis aut ego pro certo dicere audeam. 11. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de re publica esset silentium, et aliquid audiremus potius ex te quam te afficeremus ulla molestia. Vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis. nam vestris primum litteris recreatus me ad pristina studia revocavi. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere te prudenter et consolari amicissime. 12. Recte, inquam, est visus. Nam me istis scito litteris ex diuturna perturbatione totius valetudinis tamquam ad aspiciendam lucem esse revocatum. Atque ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit, posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt: sic post rerum nostrarum et communium gravissimos casus nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem aut quod aliqua ex parte solicitudines allevaret meas. 13. Tum Brutus, Volui id quidem efficere certe, et capio magnum fructum, si quidem quod volui tanta in re consecutus sum. sed scire cupio, quae te Attici litterae delectaverint. Istae vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt. Salutem? inquit ille. quodnam tandem genus istuc tam praeclarum litterarum fuit? An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio aut ad hoc tempus

consederit] *considerit* Garatonius in Pison. p. 432. Sed cf. c. 24, 93. 62, 223. 91, 316.

11. perlubenter] *perlibenter* ed. pr. et sic ubique.

11. vestris pr. litteris] Cum epistola Bruti, quam ex Asia ad ipsum miserit, tum libro Annali, quem Atticus sibi inscripserit, Cicero se recreatum dicit. Illam autem epistolam, quae iterum c. 96. commemoratur, Brutus ex Asia misit, cum Caesarem in Asiam secutus esset a. 707. (47.). V. Clintoni Fast. Hellen. ad a. 46. a. Chr.

12. post Cannensem] Eodem anno 538. (216.), quo pugna ad Cannas committebatur, ad Nolam proelium insecutum est, quo Claudius Marcellus felici eventu conflixit cum Hannibale. Extat epigramma in M. Marcellum in Anthologia Latina T. I. p. 236.

[post rerum nostrarum — casus] Breviter in eandem sententiam ad Fam. IV, 14. *nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas quam rempublicam offendissem.*]

aptior quam illius libri, quo me hic affatus quasi iacentem excitavit? 14. Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est? Istum ipsum,

13. illius libri] *illius liber* ed. pr.
14. eum dicis] *eum dices* ed. pr.

13. affatus] Id est, mihi dedicans.

14. omnem rerum memoriam] Intellige omnem rerum Romanarum memoriam. Atticus enim annalibus suis solam Romanorum historiam illustravit, eamque ab initiis Urbis ad annum usque septingentesimum perduxit. Magnam vero litterae Romanae in iis fecerunt iacturam, quibus et diligenter ordo temporum ac series magistratuum consulumque exploraretur, et historia rerum non rhetorum ornamentis, sed ad veritatis modulum esset exposita. Cuius accurationis exemplum sit, quod de morte Coriolani infra c. 11. narratur. Sed alii (ut Corradus, Vossius, Orellius) cum Attici librum non Romanorum tantum, verum ceterorum quoque populorum res gestas continuisse putent, auctorum locos qui huc pertinent recensebo. Primum Atticus infra c. 5, 19. *Nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane accepimus: eisque nosmet ipsi ad rerum nostrarum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus.* Hic ipse locus demonstrat, annales suos Atticum, quem libris de Republica impulsum esse dicat, non ante annum 700. (54.) inchoasse, quo Ciceronem illud constat opus absolvisse. Deinde c. 11. *Ego cautius posthac historiam attingam te audiente, quem rerum Romanarum auctorem laudare possumus religiosissimum.* Corn. Nepos in Attico c. 18. *Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ordinavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata, et quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere.* Accedat locus quamvis ambiguus Ciceronis Orat. c. 34, 120. *Cognoscat etiam* (orator) *rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. Quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus, nihil cum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit.* Conf. porro Cic. ad Atticum XII, 5. et 23. De Fin. II, 21. Asconius p. 13. Intpp. Virgilii Aen. II, 717. Ex cunctis his locis collegisse mihi visus sum, Attici librum unice res Romanas illustrasse. Idem alia de hoc argumento reliquit. Nam et *Imaginum* volumen Plinius XXXV, 2. eum edidisse auctor est, ita quidem, ut singulis imaginibus epigramma subiiceret (cf. Corn. Nep. Attic. 18.); et *Origines familiarum*, Iuniorum, Marcellorum, Fabiorum, Aemiliorum contexuit; et Graece *de consulatu Ciceronis* librum confecit. V. Corn. Nep. Attic. 18. Cic. ad Atticum II, 1.

inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. IV. Tum Atticus, Optatissimum mihi quidem est, quod dicis: sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum aut tanto usui posset esse? 15. Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem, quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia viderem: quae cum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio litterarum salutaris fuit admonuitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum si non pari, at grato tamen munere: quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. 16. Ego autem voluntatem tibi profecto emetiar, sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas, a te peto. Nec enim ex novis (ut agricolae solent) fructibus est unde tibi reddam quod accepi; sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis

C. 4. 15. multa et eam] *multa attulit et eam* Guelf. 1. Verbum *attulit* quod in uno codice Guelf. invenitur, ab eo videtur adiectum, qui defectum verbi duriorem putabat. Sed intelligendum *habuit*.

qua acceperis] Recte Beierus in Cic. Off. T. I. p. 115. emendat *quae acceperis*. [Id melius intelligitur quam pronunciatur.]

16. emetiar] Sic et ed. pr. I. e. voluntate te aequabo. *remetiar*, Rivii coniecturam, Lamb. Wetz. Schütz.

siti veteris ubertatis] *exustusque flos siti: veteris ubertatis* ed. pr. Collocatio verborum postulat, ut *siti veteris ubertatis* iungantur. In qua lectione cum multi haererent, transposuit Lambinus (quem sequitur Ellendt.): *sic omnis fetus repressus exustusque siti flos*

[mihi saluti fuisse] Id est, animos meos viresque excitasse et recreasse.]

C. 4. 15. ipsa m. tractatio litterarum] Tuus liber adeo me commovit, ut ex eo ipso materiem sumerem tui remunerandi: hoc enim libro, qui historiam oratorum ordinibus temporum ab Attico definitis continet, amicum remuneratus est. Itaque nullo iure quidam in illis *a te ipso* offenderunt.

Hesiodium] *Ἔργ.* 347, 48. Iterum usus est ad Att. XIII, 12. *ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον, si modo potuissem. nam hoc etiam Hesiodus ascribit, αἴκε δύνηαι.*

16. [ex novis, ut agricolae solent, fructibus] Tibull. I, 1, 13. *Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante deo.* Ubi Heynius ascripsit Censorin. 1. *cum perceperant fruges, antequam vescerentur, dis libare instituerunt.*]

[fetus repressus] Proventus in ipsis primordiis deletus; nos: *im Keime erstickt.* Deinde *exustus flos siti* artius esse iungenda docent vel exempla, quibus siti homines exuri dicuntur: quasi flos et incrementum deficientibus succis et copiis vigoris veteris cessarit. Nam *exustus* non ad ignes solis refertur, qui tum temporis Cicero-

exaruit: nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris, modo idem noster animus efficere possit, quod ager, qui cum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet. 17. Tum ille, Ego vero et exspectabo ea, quae polliceris, nec exigam nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, si solveris. Mihi

veteris ubertatis exaruit i. e. flos veteris ubertatis exustus siti exaruit. Orellius *siti* delendum censebat, ex coniectura pro *sati*, quod in aliis codd. legitur, ortum esse putans. Sed explicavit Schützius: *sitis. veteris ubertatis est desiderium antiqui status reip., in quo largus erat oratorum proventus et amplissima eloquentiae materia.* Obscure Fritzschius in Euangelio Marci p. 10.: *sitis veteris ubertatis* i. e. sitis, quae consecuta est veterem ubertatem.

efferre] *afferre* ed. pr.

ni non potuit officere, sed ex usu pendet utriusque populi, qui quicquid frigoris vel caloris vi laeditur, ut usus partium vitalium extinguatur, id dicerent ἀποκαίσθαι, ἐντύφεσθαι (v. Etym. M. v. Θυμιάτον), *peruri*. V. Valck. in Adoniaz. p. 224.]

ex conditis] E paratis et in futuros usus reservatis. Veget. Veterin. VI, 11. *Adversum omnia genera morborum salutaris confectio praeparanda est, ut inter ipsa initia ex conditis possit occurri.* [Latet significatio rei rarioris et exquisitae: v. Burm. in Propert. p. 700.]

qui paene solis patuit] Schützius: *Conditi fructus sunt orationes olim quidem habitae, sed nondum elaboratae atque editae. Has dicit in tenebris iacere i. e. neglectas in scriniis; aditumque sibi ad eas, qui paene solis patuerit, obstructum, h. e. iniuria temporum se absterreri, ut eas iterum in manus sumat edendasque curet, omnino vix ab alio quodam adhuc lectas.* At ne sic quidem me illud *solis* intelligere posse fateor: nec orationes tantum, sed omnia studiorum genera intelligit. [Schützianam rationem evertit vel particula *paene:* nam aditum ad ineditos libros soli Ciceroni tanquam domino patuisse certum est. Neque dubitamus quin iure litteras eas, quae sibi paene soli patuerint, Cicero de studiis philosophiae intelligi voluerit: nimirum ea per occupationes fori intermissa, quod narrare solet, tandem renovavit, ut et reipublicae prodesse pergeret et animum molestiis levaret variisque solicitudinibus. Vide potissimum libri de Divin. II. c. 1. 2. Hoc igitur tempore, cum Brutum conscriberet, tanta laborabat aegritudine ac perturbatione, ut propemodum desperaret de retexenda philosophia; nec prius instituta et praecepta Graecorum in hanc librorum philosophorum perpetuitatem redegit, quam opuscula rhetorica confecisset, ab ipso cum monumentis illis disciplinae severissimae copulata de Div. II, 2. extr.]

quoque, inquit Brutus, expectanda sunt ea, quae Attico polliceris, etsi fortasse ego a te huius voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, incommodo exacturum negat. V. 18. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem ausim. nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen et acrem fore. Tum Pomponius, Ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim iamiam te ausurus esse appellare, quoniam longo intervallo modo primum animadverti paulo te hilariorem. 19. Itaque quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est; quod huic debes, ego a te peto. Quidnam id? inquam. Ut scribas, inquit, aliquid. iampridem enim conticuerunt tuae litterae. Nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea acce-

17. quoque — et expectanda] Sic codd. et ed. pr. defendente Handio T. II. p. 524. „*Critici* (inquit) *levi stilo oblitterant et ab omnibus codicibus defensum. Quoque ad personam, et ad rem pertinet, nec quicquam offenditur in cogitationis ratione. Virgil. Aen. I, 5. multa quoque et bello passus.*“ Deleverunt *et* Lamb. Ern. Schütz. Orelli.

debes, incommodo] Sic etiam ed. pr. Ernestius *incommodo* pro adverbio capiendum dicit. Lambinus dedit, *debes, se incommodo tuo.*

C. 5. 18. ausim] Orellius ex codd. prob. Madvig. in Programm. 1835. *ausus sim* ed. pr. Ac nescio an alteri praestet haec forma. In Cicerone quidem non amplius invenitur: neque in aliis scriptoribus, qui pedestri oratione utuntur, legitur nisi aut in antiquissimis aut in iis, qui poetarum dictionem imitantur, ut Livius (v. Freundii Lex.).

iam] *iamiam* ed. pr. Quod maiorem iucundioremque vim sententiae adiicit. c. 14, 55. *possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit.*

[voluntarius procurator] Facete dixit et praeter expectationem, siquidem procuratores ex mandato res privatas agebant. Nam differunt negotia publica, quae hominis eiusdem cura et procuratione, id est, opera tam legitima quam sequestri, poterant administrari: v. Cic. Acad. I, 3. Hinc continua pendent: nimirum procurator de rato cavere et adversario satisdare cogebatur. Vide Cuiacii Observ. VII, 27.]

C. 5. 19. illos de re publica libros] Eos confecit a. u. 700. (54.) v. Cic. ad Att. IV, 16. ad Q. Fratrem II, 14. III, 5. cf. De Divin. II, 1. *Libros sex de re publica tum scripsimus, cum gubernacula rei publicae tenebamus.* Adde Clintoni Fastos Hellen. ad a. 700. Hoc eos loco refelli opinor, qui libros *de Legibus* a. 702. (52.) compositos editosque esse dicunt.

pimus: eisque nosmet ipsi ad rerum nostrarum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. Sed illa cum poteris atque ut possis, rogo. 20. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent. Quem ego sermonem cum ad Brutum tuum vel nostrum potius detulissem, magno opere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, cum te sciremus esse vacuum. Quare, si tibi est commodum, ede illa, quae coeperas, et Bruto et mihi. 21. Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis. Poteris, inquit: relaxa modo paulum animum aut sane, si potes, libera.

Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta, causam Deiotari fidelissimi atque optimi regis ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse defensam. VI. Scio, inquit, ab isto

19. rerum nostrarum] *rerum naturalium* ed. pr. *veterum annalium* Victor Pisanus. Item Corradus, qui Attici annales res solas Romanorum complexos esse negabat, illud *rerum nostrarum* improbavit. Sed ea de re supra diximus in c. 3, 14.
ut possis, rogo] *ut potes* Ern. Wetzel. Iungenda *cum poteris atque ut possis*, i. e. ut poteris.
20. Quod mihi nuper] *quod nuper mihi* ed. pr.
magno opere] *magnopere* ed. pr.
21. si potuero] *Cum* ed. pr. I. e. si a me impetravero. Nam de futuri exacti ratione v. Klotz. in Cic. Tuscul. I, 43, 103. *si potero* Lamb. Ern. Wetz. Schütz.
paulum] *paululum* ed. pr.
aut sane] *aut plane* Wetzelius, speciose: accuratius enim *plane* respondet illi *paulum*.
si potes] *si potest* Corradus i. e. si fieri potest: v. Ochsnerus in Cic. Eclog. p. 102. Sed infra similiter c. 82. *qui potes, cum sint ipsi dissimillimi inter se.*
hinc tum] *hinc tamen* ed. pr.
ornatissime et] *ornatissime atque* ed. pr.

20. ede illa, quae coeperas] trade nobis omnia, quae de oratoribus eorumque aetatibus sentias.

21. causam Deiotari] Deiotarus, rex Gallograeciae, in bello civili causam senatus atque Pompeii adiuvit. Deinde cum Caesar victor a. u. 707. (47.) in Asiam profectus res componeret amicosque Pompeii puniret, etiam Deiotarus iram eius expertus est. Tunc Brutus patrocinio regis suscepto Nicaeae, urbe Bithyniae, illustri eum oratione defendit. V. Cic. ad Att. XIV, 1. Hirtius de bello Alex. c. 67. Clinton. Fast. Hellen. ad a. 708. „Ita ut veri sit simile, Brutum unum fuisse ex iis hospitibus atque amicis Deiotari, quorum precibus adductus Caesar regi ignovisse narratur de B. Alex. 68, 3." *Wetzel.*

initio tractum esse sermonem teque Bruti dolentem vicem quasi deflevisse iudiciorum vastitatem et fori. Feci, inquam, istuc quidem, et saepe facio. 22. Nam mihi, Brute, in te intuenti crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. cum enim in maximis causis versatus esses, et cum tibi aetas nostra iam cederet fascesque summitteret, subito in civitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. 23. Tum ille, Ceterarum rerum causa, inquit, istuc et doleo et dolendum puto; dicendi autem me non tam fructus et gloria quam studium ipsum exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te praesertim tam studioso. etenim dicere

C. 6. 22. ecquodnam] Sic ed. pr. *quoddam* D. *quodnam* Asc. fascesque] *fascisque* ed. pr. Item c. 7, 26. *omnis*. Haec finitio sane in Ciceronis aetatem cadit, et si in omnibus rebus, non in una alterave tantum vetustior orthographiae ratio restitui posset, ab more hodierno libenter recederem.

23. Ceterarum rerum causa] Sic ed. pr. Rittershusius et Beierus delebant *causa:* quasi *ceterarum rerum* eodem extaret sensu quo *cetera*, *ceteroquin* (v. Ruhnk. in Terent. Adelph. IV, 5, 61.). Sed eam formulae explicationem falsam esse demonstravit Madvigius in Opusc. p. 401. Huius autem formulae quae sit vis declarat Cicero ad Famil. XV, 14. *Ego ceterarum rerum causa tibi Romam properandum magno opere censeo.* Et ibid. VI, 17. *Cum ceterarum rerum causa cupio esse aliquando rem pub. constitutam.*

etenim dicere] *et dicere enim nemo bene potest* ed. pr. Hand. in Tursell. T. II. p. 545. *Recentissimi quidem scriptores*, ait, *distracto nomine dixerunt et — enim, non antiquiores: etiamsi igitur in Bruto codicum auctoritate confirmetur, tamen librariis tribuendum est.*

C. 6. iudiciorum vastitatem et fori] Caesar devicto Pompeio libertatem senatus oppressit, concionis auctoritatem fregit, iudicia ipse vel per amicos exercuit. Qua ratione cum iter adolescentibus ad honores, opes, gloriam praeclusum esset, contra auctorem sensim sensimque odium excitari coepit, donec id nece Caesaris extinctum est. Cf. c. 2, 6.

22. in maximis causis] Nos praeter defensionem Deiotari regis unam tantum novimus, Appii Claudii Pulchri, quam egerat a. 704. (50.) Vide c. 64.

23. istuc] Rem quam dicis. Vide c. 3, 13. c. 49, 183. *Quomodo istuc dicis?* c. 74, 260. *Quidnam istuc est?* c. 78. *non ego istuc ignoro.* c. 80, 278. 81. 85. Hand. Turs. T. III. p. 466.

te praesertim tam studioso] Orellius: *Te praesertim tam mei studioso.* Ego aliter intelligebam: te praesertim tam studioso eloquentiae i. e. cum tu sis tantus auctor suasorque studii dicendi. [Huic interpretationi firmandae est quod Cicero tradit ad Fam. IX, 16. *Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magi-*

bene nemo potest nisi qui prudenter intelligit. quare qui eloquentiae verae dat operam, dat prudentiae, qua ne maximis quidem in bellis aequo animo carere quisquam potest. 24. Praeclare, inquam, Brute, dicis, eoque magis ista dicendi laude delector, quod cetera, quae sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci aut adeptum putet; eloquentem neminem video factum esse victoria. sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus. Cum idem placuisset illis, tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus.

25. Hic ego: Laudare igitur eloquentiam, et quanta vis sit eius expromere, quantamque iis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco neque necessarium. hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam sive natura, rem unam esse omnium difficillimam. quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaeque est ars ipsa magna per sese.

25. iis, qui sint] Sic ed. pr. *iis qui sunt* D. Gu. 1.

stros. Puto enim te audisse — illos apud me declamitare. Accedit *Sueton.* de claris rhett. 1. *Cicero ad praeturam usque Graece declamitavit, Latine vero senior quoque, et quidem cum Hirtio et Pansa, quos discipulos et grandes praetextatos vocabat.* Cf. Davis. in Tusc. I, 4.]

prudenter intelligit] I. e. recte sentit. [Nos: *wer hellen, praktischen Verstand hat.*] Itaque etiam.

dat prudentiae, i. e. auget, alit prudentiam, *bildet den Verstand.*

24. nemo est tam humilis] Eventu belli civilis accidit, quod omnino in turbis civilibus fieri solet, ut satellites Caesaris praemii loco summos nanciscerentur honores. Immo peregrinorum multi in senatum allecti, quos perstringit epigramma illud in Anthologia Latina T. I. p. 246. *Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam. Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.* Deinde postquam Cicero hunc librum scripserat, Ventidius mulio consul factus est a. u. 711. (43.) in quem duo epigrammata sane lepida et iucunda in Anthol. T. I. p. 25. et 246. extant.

[25. arte pariatur] Veteres ut rerum humanarum originem solebant statuere triplicem, velut Aristoteles Metaph. VI, 7. (p. 139.) *τῶν δὲ γιγνομένων τὰ μὲν φύσει γίγνεται, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου*, item deinceps, *πᾶσαι δ' εἰσὶν αἱ ποιήσεις ἢ ἀπὸ τέχνης ἢ ἀπὸ δυνάμεως ἢ ἀπὸ διανοίας*: ita eloquentiam alii praeceptis dicendi, alii usu et exercitatione, alii natura tantum et ingenio perfici voluerunt. Quas autem eloquentiae partes quinque tradit Cicero, et notissimas quidem c. 59. sunt inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio vel actio. V. Cic. de Invent. I, 7. Partit. Orat. 1. Quintil. III, 8.]

quare quinque artium concursus maximarum quantam vim quantamque difficultatem habeat, existimari potest. VII. 26. Testis est Graecia; quae cum eloquentiae studio sit incensa iamdiuque excellat in ea praestetque ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet, et multo ante non inventas solum sed etiam perfectas, quam haec est a Graecis elaborata dicendi vis atque copia. In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenae tuae, qua in urbe primum se orator extulit, primumque etiam monumentis et litteris oratio est coepta mandari. 27. Tamen ante Periclem, cuius scripta quaedam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athe-

concursus — habeat] Codd. et ed. pr. scripturam *habeant* Lambinus in numerum singularem mutavit *habeat*, quasi magis conveniret substantivo *concursus*. At nulla est ratio, cur pluralis numerus legibus linguae latinae repugnare videatur, atque adeo infra c. 84. legitur, *ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent.* [Verum non inde continuo sequitur plurale *concursus* de societate quadam artium esse dictum.]

C. 7. 26. a Graecis] Ex margine illatum puto. Languet enim oratio: *Graecia habet multo ante omnes artes perfectas, quam a Graecis elaborata est dicendi vis.* Adde quod sequitur, *In quam cum intueor.*

C. 7. 26. monumentis et litteris] Sive monumentis litterarum. Hanc figuram, quam et Graeci et Latini amant, nostra lingua non patitur. c. 55, 201. *iudicio illorum hominum et illius aetatis*, c. 83, 288. *de musto ac lacu.* V. Ochsner. in Cic. Eclog. p. 18. [Vetus haec et ab philologiae primordiis ducta interpretandi forma, quae plurimum contulit ad dignitatem et poetarum et Ciceronianae dictionis extenuandam. Ac nuper admodum Lobeckius in Soph. Aiac. 145. uberrimam in hoc genere materiam congessit. Sed *monumenta* cum dicantur opera, quibus memoria hominum publice conservetur (v. Ruhnk. in Vellei. I, 11.), orationem Cicero dicit Athenis primum litteris et usibus publicis esse traditam.]

27. Periclem] Aliter sensit Quintilianus III, 1, 12. *Cicero in Bruto negat ante Periclea scriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat; eius aliqua ferri. Equidem non reperio quicquam tanta eloquentiae fama dignum, ideoque minus miror esse qui nihil ab eo scriptum putent, haec autem quae feruntur ab aliis esse composita.* [Huic accedens quicquid sub Periclis nomine extaret commenticium duxit Ruhnkenius H. Crit. Oratt. Gr. p. 39. Opposuit Aristotelem, qui Periclis ex laudatione funebri sententiam ingeniosam servavit, sed incertum ex commentariis an populari memoria proditam, Spengel. Artium Scriptt. p. 61. Neque absonum est ex eo coniectare, quod Pericli Thucydidem adiungit. Nam apud nobilissimum historicum, cuius conciones infra c. 83. et Orat. 9. (cf. de Orat. II, 22.) diiudicantur, cum extet oratio funebris omnium sermone celebrata, sane Cicero videtur inde de scriptis Periclis aliquid esse suspicatus.]

nis, sed iam adultis fuerunt, littera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est, et eum qui multis annis ante hos fuerit Pisistratum, et paulo seniorem etiam Solonem posteaque Clisthenem multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. 28. Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat cum prudentia, tum etiam eloquentia praestitisse: post Pericles, qui cum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. 29. Huic aetati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidi scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam

28. ex Atticis monumentis] Id est: ex libris, quibus res traduntur Atheniensium. *Attici* ed. pr.

29. Thucydidi] Sic ed. pr. Item c. 83, 288. Graeca nomina propria, quae in ης primae declinationis terminantur, in latina oratione genitivo *i* finiuntur: in reliquis autem casibus tertiae declinationi subiiciuntur; eademque in genitivo flexio sensim invaluit. V. Schneider. Lat. Gr. II. p. 163. Zumpt. Lat. Gr. p. 57.

quae quidem — habeat] „Ubi per pronomen relativum, addita particula *quidem*, notio indefinita generalis sive negativa sive affirmativa (v. c. numeralis) ad certum tamen genus astringatur, ibi constanti Ciceronis, opinor, etiam aliorum bonorum scriptorum, usu coniunctivus modus ponitur. Eandem esse pronominis solius sic positi rationem in vulgus notum est. Magis tamen id in certis quibusdam locutionibus animadvertunt (cuiusmodi est *quod sciam*, *meminerim*). Sed Cic. in Bruto 33, 127. *hic, qui in collegio sacerdotum esset*, *primus — est condemnatus*, indicativo uti non potuit. Ab eadem causa Cicero dixit pro Balbo 21, 48, *T. Matrinius unus ex iis*, *quos C. Marius civitate donasset*, *dixit causam.*" *Madvigius* in Opusculis p. 504.

[Pisistratum] Huius eloquentia mirifice laudatur de Or. III, 34.]

[ut temporibus illis] Eadem formula c. 28. De quo particulae *ut* significatu videatur vel Heindorf. in Horat. S. I, 6, 79.]

28. etiam temporibus illis] I. e. iisdem fere temporibus.

[eloquentem constat fuisse] Mireris fiduciam explicantis de re minime confessa. Nam Cleonis facundiam non modo turbulentam fuisse et flagitiosam, sed dictionis etiam omni turpitudine sordibusque deformem evincit Aristophanes, qui quantumvis infestus umbram quandam veritatis ostentavit. Cicero tamen Thucydidis opinor iudicium est secutus, qui concioni hominis atrocissimae hanc praemisit descriptionem III, 36. *Κλέων ὁ Κλεαινέτου ... ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παραπολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος*: coll. IV, 21.]

29. compressione rerum] Cic. de Orat. II, 13. Thucydides dici-

causam interdum subobscuri. VIII. 30. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus in honore magno fuit, aliique multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. 31. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum

C. 8. 30. Ceus — Eleus] *Chius — Elius* ed. pr.
31. iis opposuit sese] *his se opposuit* ed. pr.

tur ita aptus et *pressus*, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Quintilianus VIII, 3, 40. *abundanter* et *presse dicere* invicem opposuit. Is igitur scriptor compressione rerum brevis est, qui paucis verbis multas res vel sententias involvit. (Ernesti Lex. Rhet. s. v. *pressus.*) Gesnerus in Thes. mavult *comprehensione*, sed alterum multo significantius. [Praestaret id sane, modo novicia formula niteretur aliqua sermonis similitudine, velut quae esset *comprimere res* vel *oratio compressa*. Nunc tutius videtur *comprehensione*, quod scribi solebat *comprensione:* hoc est, ambitu rerum et complexu magnifico.]

C. 8. 30. facta quodammodo] Oratio facta ea est, quae arte et praeceptis utitur, illi opposita, quae naturali quodam instinctu fluit. V. Ernesti Lex. Techn. v. *facere*. [Similitudine ab argento ducta *factum* dicit Cicero, quicquid est, perfectum et compositum. Vid Goerenz. in Acad. II, 1. qui quos protulit locos, iis accedat ad Att. II, 24.]

Leontinus Gorgias] Quintil. III, 1, 8. *Artium scriptores antiquissimi Corax et Tisias Siculi, quos insecutus est vir eiusdem insulae Gorgias Leontinus, Empedoclis ut traditur discipulus. Is beneficio longissimae aetatis (nam CIX vixit annos) cum multis simul floruit, ideoque et illorum, de quibus supra dixi, fuit aemulus et ultra Socraten usque duravit. Thrasymachus Chalcedonius cum hoc et Prodicus Ceus et Abderites Protagoras, a quo decem millibus denariorum didicisse artem, quam edidit, Euathlus dicitur, et Hippias Elius et Alcidamas Elaeites. — Horum primi communes locos tractasse dicuntur Protagoras, Gorgias, affectus Prodicus et Hippias et idem Protagoras et Thrasymachus.* Alia porro ad Quintiliani locum attuli.

[causa inferior] Nota Sophistarum professio, potissimum vero Protagorae (Aristot. Rhet. II, 24. extr. *τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*): quam Aristophanes cum ad Socratis personam detorqueret, spectavit ille ut solet potissimum Euripidis institutum, scenicis sermonibus quasi comprobantis vocem illam Antiopae fr. 28. *Ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων Ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.* Ab aliorum vero temeritate longe distat Gorgiae ratio, qui de omni re, quaecunque in disceptationem vocaretur, se dicturum esse polliceretur. Cf. Welckerum in Mus. Rhen. I. p. 556. sq.]

instituta solebat verbis. huius ex uberrimis sermonibus extiterunt doctissimi viri: primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur. quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus reiiciamus, ad oratores, a quibus degressi sumus, revertamur. 32. Extitit igitur iam senibus illis, quos paulo ante diximus, Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi: magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem iudicio est postea consecutus. is et ipse

verbis] Sic codd. et ed. pr. Cum sit difficile explicare, quid sibi velit *verbis*, Wetzelius, Schütz. et Ellendt. id delerunt: poterat enim oriri ex nota vocis sequentis *huius*, hs cum bs i. e. *verbis* confuso. At cum ea ratione hexametri existat clausula, quae raro certe in Cicerone reperitur (v. Zumpt. in Cic. Verrin. p. 259. et Orell. in Verrin. IV, 8, 18. Oratt. sel.), sub hoc vocabulo *urbanissime* latere arbitratus est Orellius. Aliam vero Klotzius in Tuscul. III, 20. iniit viam, *verbis* Socratis *instituta* Sophistarum opponi censens. [*Instituta*, hoc est, praecepta Sophistarum *verbis* Socratis referri eo minus credibile videtur, quod illorum disputationes ipsae verbis continebantur, sed oratione perpetua diductis; eorumque λόγους vel λόγους μακροὺς Plato distinguere solet ab magistri sui ἐρωτήσεσιν. Quod si tutamur *verbis*, etsi duplex ablativus parum habet concinnitatis, debet id ad colloquia Socratis referri, qui coram omnes quaestiones transigeret, nec litteris quicquam mandaret.]

32. Extitit igitur] Totus hic locus apud Rufinum De Metris p. 189. ed. Orell. legitur.

caruit] Item ed. pr. *caruerit* Asc.

meo quidem iudicio] *quidem* om. Rufinus.

postea] Item ed. pr. *poeta* Rufini cod. Einsidl. et ed. Iunt. probante Lipsio Varr. Lectt. III, 14. quem sequuntur Grut. et Ern.

31. [non illa de natura] „Alias tamen nude sic loqui non solet, sed addito semper *rerum*.“ *Wetzel*. Nimirum significantur ex philosophis οἱ φυσιολόγοι, quorum erat physica disciplina. Nam de natura rerum alii plurimi quaesiverunt, quos constat ab rationibus physiologorum abhorruisse. Similem vero laudem Socrati concessit Aristoteles Metaph. I, 6. p. 20. *Σωκράτους δὲ περὶ μὲν τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς ὅλης φύσεως οὐθὲν, ἐν μέντοι τούτοις τὸ καθόλου ζητοῦντος καὶ περὶ ὁρισμῶν ἐπιστήσαντος πρώτου τὴν διάνοιαν.* Adde p. 266. Cuius philosophia dicitur *haec*, quod et Cicero moralem partem prae ceteris excoluit, et illius aetate reliqua genera fere contempta iacebant.]

32. [cuius domus — officina dicendi] Eadem prope laus Isocratis extat in Orat. 13. et magnifice ornata apud Dionys. iudic. de Isocr. 1. Deinde quod ille *forensi luce caruit*, ipse causas attulit duas, quod confidentia et vocis magnitudo defuissent. Vide Valcken. in E. Hipp. 986.]

scripsit multa praeclare, et docuit alios: et cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari. 33. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam: quae forsitan laus sit; verumtamen natura magis tum casuque nonnunquam quam aut ratione aliqua aut observatione fiebat. 34. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam: quae cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. nam et aures ipsae, quid plenum, quid inane sit, iudicant, et spiritu quasi necessitate aliqua verborum comprehensio termina-

Sed poetarum mentionem ab hoc loco prorsus alienam esse demonstravit Ruhnkenius Hist. Crit. Oratt. p. LXII. Ciceronem contra docere, quod ex historia constet, Isocratem ea floruisse gloria, quam nemo quidem magister dicendi postea sit consecutus.

33. [*dedita opera* fuit cum Schneiderus damnaret, ut quod contineretur verbo *quaesitam*. Nimirum huic tribuebat notionem tentandi, cum deberet significatum elaborandi conficiendique cura solicita: quam vocis proprietatem illustravit Broukh. in Propert. III, 16, 5. Itaque Tacitus dixit *militem quaeri*, h. e. solicitari, A. I, 69.]

verumtamen — fiebat] Sic ed. pr. *verumtamen natura magis tum casuque nonnunquam, haud ratione aliqua aut ulla observatione fiebat* Rufinus.

primus intellexit] Isocrates de numero oratorio praecepta primus tradidit. [Reliquit ille, si credimus, Τέχνην ῥητορικήν: cuius ex ea parte, quam Cicero significavit, ipsam Isocratis orationem Graeci Rhetores servarunt, velut Io. Siceliota T. VI. p. 166. ὅλως δὲ ὁ λόγος μὴ λόγος ἔστω· ξηρὸν γάρ· μηδὲ ἔμμετρος· καταφανὲς γάρ· ἀλλὰ μεμίχθω παντὶ ῥυθμῷ, ἰαμβικῷ μάλιστα ἢ τροχαϊκῷ. Cf. c. 12. et Orat. 52. 61.]

33. [Ante hunc — nulla erat] In hoc genere principem inveniendi fuisse Thrasymachum, quem Isocrates moderatione vicerit, recte traditur Orat. 13. 52. Nec minus illud pro vero habendum, neminem prosae scriptorem, antequam praecepta quaedam in artis formulam Isocrates redegisset, diligenter et aequabili studio secutum esse compositionem verborum (συνθέσεων ὀνομάτων), quae Ciceroni *quasi structura* dicitur. Nam Plato fuit illorum temporum aequalis.]

34. circumscriptione quadam] Ipsa natura intra certum verborum numerum sententiam includit: spiritus enim in infinitum volvere verba non patitur, sed modum adhibere cogit. Quodsi nimiam deinceps verborum vim eloqui voles, spiritus laborabit aut plane deficiet.

cadit — numerose] *Numerose cadere* dicitur oratio, si in extremis verbis numerus sentitur: velut verba in syllabas longas cadunt, si extremae eorum syllabae longae sunt, ut in spondeo et iambo. V. Ernesti Lex. Techn. v. *cadere.*

comprehensio] C. 37, 140. *In verbis et eligendis et collocandis et comprehensione devinciendis.* Id est ambitus, velut periodi: c. 79.

tur: in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est. IX. 35. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. nam plane quidem perfectum et cui nihil admodum desit Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil ut ita dicam subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. 36. Huic Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is, cuius nulla extant scripta, Demades, aliique plures. Haec enim

34. defici] *deficere* ed. pr.

C. 9. 35. et cui nihil] Sic ed. pr. *et cui in quo nihil* D. *et in quo nihil* Gu. 2. Schütz.

[quo fieri possit] Schneiderus desiderabat *posset:* quem fugit formula Ciceroniana, *nihil fieri potest*, significans nihil aut existere posse aut cogitari. De N. D. II, 17. *quo nihil fieri excellentius potest:* coll. Acad. II, 4, 11. Fam. XVI, 5.]

verborum gravitate vel sententiarum] Lambinus negans *verborum* ullam esse per se *gravitatem*, sed verborum esse granditatem, gravitatem sententiarum, proposuit *verborum granditate vel sententiarum gravitate;* item Orellius, paulo tamen aliter collocatis vocibus, *verborum granditate vel gravitate sententiarum.* Sed usus Ciceronis, cui *verborum gravitas* dignitatem significat, Lambini iudicium infringit. Infra c. 62. *Erat in verbis gravitas et facile dicebat.* C. 76. *Erant in Torquato plurimae litterae, divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia.* De Oratore III, 8, 31. *Sulpicius fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.* Nec veri est simile, omnes hos locos in eo vocabulo corruptos esse. Accedit Charisius, ipsum hunc locum afferens p. 179. *Cicero in Bruto: nihil tam ornatum aut verborum gravitate aut sententiarum, quo quidquam esset elatius.*

[defici — laborare] Utrumque cum de voce diceretur (quorum illud nobis est *den Athem verlieren*, alterum *stocken*), deinde id coeptum est ad orationem scriptam transferri. Ut Quintilianus IX, 4, 33. accidere monet, ut concursu vocalium *hiet et quasi laboret* sermo, non satis numerose cadens.]

C. 9. 35. nihil admodum] C. 58, 210. *admodum nihil.* quo loco formulam explicui.

36. Demades] Quintilianus quoque nihil Demaden reliquisse litterarum dicit II, 17, 13. XII, 10, 49. Neque repugnat, quod hodieque fragmentum orationis extare fertur: etsi defendunt Speng. Artt. Scriptt. p. 154. et ut videtur Ruhnkenius Hist. Crit. Oratt. p. 71.

aetas effudit hanc copiam; et ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. 37. Phalereus enim successit eis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra. itaque delectabat magis Athenienses quam inflammabat. processerat enim in solem et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti doctissimi hominis umbraculis. 38. Hic primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit, et

37. palaestra] Sic ed. pr. *palaestrae* Lambinus: quasi Cicero contenderet, Phalereum non tam veris causis atque foro quam ludo aptum fuisse. Verum negat ille veris causis atque exercitatione forensi institutum eum oratorem evasisse, sed in ludo versatum et umbraculis rhetorum. [Exiguum sane discrimen, quod in utramque partem locis suis possit confirmari. Cic. Or. I, 18. *Nitidum quoddam genus est verborum et laetum, sed palaestrae magis et olei quam huius civilis turbae ac fori.* Disertius etiam Orat. 13. *orationis genus — pompae quam pugnae aptius, gymnasiis et palaestrae dicatum;* similiterque de Isocratis discipulis Or. II, 22. f. *partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt*, coll. III, 52. *qui utuntur armis aut palaestra.* Iam cum figuratus sermo civilem publicamque rationem agendi cum armis et acie (Quintil. X, 1, 29. *nos vero armatos stare in acie, et summis de rebus decernere, et ad victoriam niti*, coll. XII, 9. f. adde Lipsii Saturn. II, 19.), scholasticam et quasi ludicram exercitationem cum praelusionibus gladiatorum ac palaestritarum (Orat. 56. *quasi quandam palaestram et extrema lineamenta orationi attulit*) soleat comparare: Demetrium hominem a turbis forensis eloquentiae remotum Cicero dicit haesisse in palaestra, viresque sumpsisse ostentationi quam veris periculis aptiores. *Institutus* igitur idem fere quod excultus et perpolitus.]

umbraculis] Macrobius Sat. VI, 4. *Cicero similiter in Bruto: Sed ut et Theophrasti doctissimi hominis umbraculis.*

[in qua] Id nulla dubitatione refertur ad *aetatem oratorum*, i. e. societatem temporibus aequalem: in qua nitor extaret naturalis, quae quidem proprie non potuit laus aetatis esse.]

37. Phalereus] Demetrius Phalereus. Orat. c. 27. *Haec frequentat Phalereus maxime.*

38. inflexit orationem] Orationem quam incomptam antiquitas fecerat et rectam, figurarum pluribus quasi flexibus distinxit, quibus suavis aliqua varietas conciliaretur. Cf. Ernesti Lex. Rhet. v. *inflectere.* [Quod Cicero hunc Demetrium praestantissimis oratoribus frequenter adiungit tanquam novissimum Atticorum, effecit ut ille et in eloquentiae historia locum acciperet quasi legitimum et corruptor artis haberetur. Velut Quintilianus X, 1, 80. *Quin etiam Phalerea illum Demetrium, quamquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator:* pendens ille

suavis, sicut fuit, videri maluit quam gravis, sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perstringeret, tantum ut memoriam concinnitatis suae, non (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.

X. 39. Videsne igitur, in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? Siquidem ante Solonis aetatem et Pisistrati de nullo ut diserto memoriae proditum est. at hi quidem, ut populi Romani aetas est, senes: ut Atheniensium secula

38. perfringeret] *perstringeret* D. Gu. 1. Schütz. Orell. *perfringeret et tantum* ed. pr. *praestringeret* Moserus in Symbol. spec. alt. male.

C. 10. 39. in ea] *ut in ea* ed. pr. *vel in ea* falsa Heusingeri suspicio.

alta] Sic ed. pr. *alita* Ellendt. [Sed extra controversiam positus de N. D. II, 46. locus; omninoque scriptoribus Augusto vetustioribus *altus* vindicavit Garatonius Exc. XIV. ad Plancianam.]

ab Ciceronis sui iudicio (Off. I, 1. *disputator subtilis, orator parum vehemens*), quamquam ingenue dubitationem profitetur II, 4. extr., an Demetrius primus fictas ad imitationem fori materias sive declamationes introduxerit. Equidem auctorem desidero, qui orationes Demetrii lectitarit vel in testimonium protulerit: nam quod Rutilius Lupus p. 129. fragmentum laudat, id ad *μελέτην* licet referri. Tullius vero cur Demetrium, affinem illum rhetorico generi, sed professione tamen philosophum, oratoribus annumeraret, causam non aliam opinor fuisse graviorem quam studium et incredibilem admirationem, qua domum Peripateticorum, eruditione et iucundissimo dictionis nitore commendatissimam, prosequebatur. Itaque vehementer amplexus est scriptorem, qui cum floridam et versicolorem quasi vestem (v. *Grundriss der Griech. Litt.* I. p. 111.) elocutioni induisset, tum stellis istis verborum immutatorum flumen orationis placidum (Orat. 27.) sic illustraverit, ut Athenas ipsas ex eius libris redolere Noster memoret infra c. 82.]

perfunderet — perstringeret] Perfunditur animus voluptate (ut c. 50, 188. *delectatur audiens multitudo — et quasi voluptate quadam perfunditur*), cum laxatur et remittitur; contra *perstringitur*, qui pungitur et incitatur. Quod in vulg. legitur *perfringeret*, vix in comicam orationem cadere videtur *perfringi suavitate*.

Eupolis] Versus celeberrimos Scholiasta Aristophanis Acharn. 529. affert, quorum novissimos Cicero (cf. de Or. III, 34.) tetigit hos:

οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Vide supra c. 7.

C. 10. 39. senes] Cum Romanis si comparentur, senes videbuntur: quippe Solo quingentis fere annis ante Ciceronem vixit. Adolescentes autem, si Athenarum respicias antiquitatem. Athenae enim dicebantur plus mille annos ante Solonem extitisse: unde vere colligi potuit, eloquentiam Athenis sero natam esse.

numerantur, adolescentes debent videri. nam etsi Servio Tullio regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenae iam erant, quam est Roma ad hodiernum diem: nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam semper oratio. 40. Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset Homerus et Nestori, quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem, nisi iam tum esset honos eloquentiae; neque ipse poeta hic tam idem ornatus in dicendo ac plane orator fuisset. cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedaemoniorum astricta legibus.

40. Neque enim iam] *neque iam* ed. pr.
Ulixi] Sic ed. pr. *Ulyssi* Ern. [De hoc nomine breviter monendum, *Ulixes* profectum illud ab Siculo *Οὐλίξης* (v. Plutarchi Marcell. 20.) vetustis scriptoribus unice probatum fuisse. Cf. N. Heins. in Virg. Ecl. 8, 70. quaeque congessit Tzschuck. in Melam II, 7, 10.]

40. [Troicis temporibus] Vetus opinio Graecorum fuit, Homerum et tenuisse triplex eloquentiae genus et discrimina sublimis, mediae, tenuis orationis in Ulixe, Nestore, Menelao tanquam exemplis descripsisse. Itaque Schol. Il. γ'. 212. praeter alia: *ἀπολελυμένος Μενέλαος Λυσίας, πυκνὸς Ὀδυσσεὺς Δημοσθένης, πιθανὸς Νέστωρ Ἰσοκράτης.* Cf. Schol. Hermog. T. IV. p. 43. et Spengel. Artt. scriptt. p. 6. sq.]

[alterum vim] Obversabatur Ciceroni luculenta descriptio Il. γ'. 221. sqq., quam diserte laudat Quintil. XII, 10, 64. ubi v. Gesner.]

incerta sunt tempora] Tuscul. V, 3. *Itaque et illos septem, qui sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante seculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur, etiam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientis.* De Republ. II, 10. *Nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno Olympiadis septimae, in id seculum Romuli cecidit aetas, cum iam plena Graecia musicorum et poetarum esset, minorque fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. nam CVIII. annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est Olympias: Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati XXX. annis anteponunt fere. Ex quo intelligi potest, permultis annis ante Homerum fuisse quam Romulum.*

infra] Loci notio ad tempus translata: v. Handii Turs. T. III. p. 377.

superiorem Lycurgum] *Superiorem* appellat Lycurgum legislatorem, quoniam modo c. 9. Lycurgi oratoris Atheniensis fecerat mentionem. Similiter alibi Africanus dictus superior. Parum probabiliter Ellendtus ab interprete additum putabat *superiorem.* [Corradus opinabatur duos Lycurgos ab Cicerone concessos fuisse. Ceterum de temporum computatione, quibus Lycurgum antecesserit Homerus, Romulum Lycurgus, quae perstringit Cicero, his illustrandis potissimum est de Rep. II, 10.]

41. Sed studium eius generis maiorque vis agnoscitur in Pisistrato. Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est, ut apud nos perantiquus; ut apud Athenienses, non ita sane vetus. fuit enim regnante iam Graecia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata. Nam bellum Volscorum illud gravissimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem fere tempore, quo Persarum bellum fuit, similisque fortuna clarissimorum virorum: 42. siquidem uterque, cum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria, se ad hostes contulit conatumque iracundiae suae morte sedavit. nam etsi aliter est apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar. XI. At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu, quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius. ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. 43. nam quem

41. vis] Om. ed. pr.
non ita sane vetus] Om. ed. pr. *vetus:* quasi *perantiquus* suppleatur.
clarissimorum virorum] Sic Lamb. *clarorum virorum* ed. pr.
42. aliter est apud te] *aliter apud te est* ed. pr.
C. 11. quoniam quidem] *quando quidem* ed. pr. Nihil refert.

41. ut apud nos perantiquus] Supra §. 39. *hi quidem, ut populi Romani aetas est, senes; ut Atheniensium secula numerantur, adolescentes debent videri.* C. 13, 49. *Et Graeciae quidem oratorum partus atque fontes vides ad nostrorum annalium rationem veteres, ad ipsorum sane recentes.*

42. Coriolano] Quid in Coriolani historia verum quidve fabulosum esset, Niebuhrius in Hist. Rom. T. II. p. 272. enucleavit.

C. 11. [sic Clitarchus, sic Stratocles] Clitarchus, rerum Alexandri scriptor ingenio quam fide laudatior, quo libro quave sermonis opportunitate Themistoclis obitum tetigerit ignoramus; quamquam non miramur hominem pigmentis verborum luxuriantem ad locum illum copiosum devertisse. Neque apertior Stratoclis causa, qui cum ab Cicerone nusquam memoretur, tum historiae quasi auctor excitatur, quem constet inter Demosthenis adversarios eloquentiae tantum famam eamque mediocrem habuisse. Quamobrem Ernestius dubitabat, historicus an orator significaretur; cui repugnans Ruhnkenius in Rutil. Lup. p. 34. Atticum oratorem intelligi iussit. Quaestio satis ambigua quaeque in diversas coniecturarum partes possit dilatari; nos tamen rhetorem quendam recentis memoriae putamus afferri. Utut est, mortem illi Themistoclis praeter fidem vetustatis (v. Schol. Aristoph. Equ. 84. coll. Plut. Themist. 31. Flamin. 20.) uberiorem in modum ornarant, alisque exemplum praebuere, ut Coriolanum, quem in Volscis placide decessisse omnes prodiderant, ad eandem normam transfigurarent. Ceterum intuentibus et digressio-

Thucydides, qui et Atheniensis erat et summo loco natus summusque vir et paulo aetate posterior, tantum mortuum scripsit et in Attica clam humatum, addidit fuisse suspicionem veneno sibi conscivisse mortem: hunc isti aiunt, cum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera, et eo poto mortuum concidisse. hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt: illa mors vulgaris nullam praebebat materiem ad ornatum. Quare, quoniam tibi ita quadrat, omnia fuisse in Themistocle paria et Coriolano, pateram quoque a me sumas licet: praebebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit plane alter Themistocles. 44. Sit sane, inquam, ut lubet, de isto: et ego cautius posthac historiam attingam, te audiente, quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Sed tum fere Pericles, Xanthippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam: quae quamquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora physico eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque facile traduxerat. huius suavitate maxime hilaratae sunt Athenae: huius ubertatem et copiam admiratae, eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt. XII. 45. Haec igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rem publicam nec in bella gerentibus nec in impeditis ac

43. ad ornatum] *ad ornandum* Lamb. in marg. 1584.
et Coriolano] Item ed. pr. *et in Coriolano* Lamb.
44. quamquam tum] *q. tunc* ed. pr. item c. 14, 56. *tunc ullum.*
sunt Athenae] *Athenae sunt* ed. pr.
C. 12. 45. nec in bella gerentibus nec in imp.] *nec bella gerentibus nec impeditis* ed. pr.

nem paulo longius arcessitam et voces illas, *ego cautius posthac historiam attingam* (quamquam licuit Ciceroni quicquid id fuit imprudentiae in dialogo refugere), suspicio facile nascatur, Ciceronem alicubi fabulam istam de Coriolano usurpasse: quo facto in Attici reprehensionem inciderit.]

43. Thucydides] I, 138.

44. de quo ante dixi] C. 7.

ab Anaxagora phys. eruditus] V. Heind. in Plat. Phaedr. 120.

terroremque] In Oratore c. 9, 29. *Pericles si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus esset.* Infra c. 77, 268. *L. Lentulus satis erat fortis orator, vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio.* [Huc sententia Thucydidis inter alia quaedam respicit, ubi maiestatem Periclis depingit magnifice II, 65. *ὁπότε γοῦν αἴσθοιτό τι αὐτοὺς παρὰ καιρὸν ὕβρει θαρσοῦντας, λέγων κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι, καὶ δεδιότας αὖ ἀλόγως ἀντικαθίστη πάλιν ἐπὶ τὸ θαρσεῖν.*]

regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet. pacis est comes otiique socia et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia. 46. Itaque ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens et controversa natura, artem et prae-

46. privatae] *privato* ed. pr.
controversa natura] Sic, ut *natura* sit ablativus, ed. pr. *controversia* (vel *controversi a*) *nat.* Ox. et edd. vett. *controversiis nata*, elegantem Iacobsii coniecturam, edidit Schützius. Sed codicum lectionem recte se habere nobiscum sentit Freundius in Lexico suo. [Nondum repperi scriptorem, qui Siculos natura litigiosos fuisse contenderet. Sed acumen et dicacitatem cum testes omnium seculorum iis tribuant, tum Epicharmi et Sophronis sermones ingeniosi planissime confirmant. Satis est adhibere Cic. Verr. IV, 43. *Nunquam*

C. 12. 46. ait Aristoteles] Aristotelis liber τεχνῶν συναγωγή inscriptus erat. De Invent. II, 2. *Ac veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos unum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit atque enodata diligenter exposuit, ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem revertantur.* Cf. de Or. II, 38. Qui titulum Aristotelici libri est imitatus Spengelius Artt. Scriptt. p. 24. sqq. origines artis ab Corace et Tisia ductas exposuit.

[sublatis in Sicilia tyrannis] Thrasybulo potissimum et Thrasydaeo, quorum hic Agrigentum, ille Syracusas rexerat. Tyrannorum in Siculis indicem breviter recensuit *Wachsmuth.* Hell. Alterth. I. 1. p. 278. Ceterum istas origines fabulis respersit satis nugacibus Schol. Hermog. T. IV. p. 11. sq.]

res privatae] Quae a tyrannis occupatae fuerant. His igitur expulsis res suas domini iudiciis repetebant vindicabantque. [Id fortasse crederem, si disertis vocibus (quod fecit in re dissimili de Off. II, 23.) Cicero tradidisset: quamquam tradere qui potuit, res privatas a tyrannis praeter fas occupatas, de quibus dubitatio foret nulla vel exigua, *longo intervallo* (hoc est, diuturnis litibus, non post multorum annorum possessionem) ad dominos suos redisse? Illud autem probabilius, cives cum dominatu regio tenerentur, ab arbitrio tyrannorum (cf. Isocr. de Antid. 40.) pependisse; post recuperatam tamen libertatem cum iudicia legitima coepissent exercere iurisque civilis primordia conderent, lites suas in tanta forensis artis infantia non ante profligasse, quam praeceptis et formulis oratoriis essent instructi.]

artem et praecepta] Artis nomine apud rhetores illi libri intelliguntur, in quibus praecepta dicendi traduntur. Iam Corax et Tisias primi *artes* scripserunt, Protagoras autem et Gorgias non *artes* quidem, verum *locos communes* tanquam exempla dicendi composuere. De quibus singulatim Spengelius disputavit. [Adde Welckerum in Musei Rhen. Vol. I. p. 564. qui potissimum Quintil. III, 1, 12. adhibuit.]

cepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse; nam antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere; scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci. **47.** quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset; quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. huic Antiphontem Rhamnusium similia quaedam habuisse conscripta; quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis causam, cum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides. **48.** nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi; deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in

tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant: coll. de Or. II, 54. et Caelio ap. Quintil. VI, 3, 41. Accedit quod activa notio vocis *controversus* omnino singularis est et suspecta. Itaque minime dubitamus quin hic locus coniectura sit sanandus.]

Tisiam] *Thysian* ed. pr.

quae — loci] Consuetudo Tulliana postulat: *qui nunc communes appellantur loci.* Infra c. 17, 69. *Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα.* c. 33, 127. *Extat eius peroratio, qui epilogus dicitur.* Vide quae diximus olim in Orator. 11, 36. [Conferendus inprimis Krügerus *die Attraction in d. Lat. Spr.* p. 86. sqq. Istam sane structurae rationem constat esse legitimam, sicubi fortuita quaedam et minus necessaria, quasi per interpositionem, affertur nominis explicatio; sin intelligentia notionis vel distinctio rerum, quae eodem genere contineantur, sententiam relativam desiderat, Latini scriptores vulgarem normam sequuntur. Velut Cicero de Off. II, 5. quem Zumptius §. 372. extr. annotavit: *cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant.* Id vero nostrum in locum cadere demonstrat ipsum *nunc*.]

47. oratoris esse] Sic ed. pr. *esse* om. Lamb.

huic Antiphontem] *hinc A.* ed. pr. „Sed *huic similia* est pro *huius scriptis similia.*" Orellius. [Cf. Schaeferi Melett. p. 58.]

47. Thucydides] VIII, 68.

48. nam Lysiam] Antiphontem subsecutus est Lysias, qui artem rhetoricam initio professus, libros de eloquentia scripsit: eum igitur hoc loco praetereundum censet, quod ab arte paulo post secesserit, Theodori gloria commotus. *Nam* orationi transitum parare notissimum est (cuius rei rationem breviter Handius in Turs. T. III. p. 147. exposuit): cui consequens est ut locum interdum habeat in exceptione vel praetermissione.

[Theodorus] Propter subtilitatem λογοδαίδαλος Platoni dictus. V. Spengel. p. 101. sqq. eundemque de Isocratis Arte p. 154. sqq. Ceterum Pfundius de Isocratis vita et scriptis p. 22. artem quam ferunt Isocratis (cf. supra c. 8.) ad discipuli fabricam iubet referri.]

orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur, sed cum ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio

48. quis iudicio] *quis in iudicio* ed. pr. Lamb. Sane *in iudicio* intelligendum, ut sit; in causa iudiciaria nam praepositionem, quam formula legis Semproniae nescit, consilio videtur omisisse Cicero, cum et *in iudiciis* praegresso *in iudicium* sequatur, neque possit ambiguitas oriri.

quia quasi committeret] Explicat Ernestius: *quasi quid fecisset, per quod aliquis in iudicio circumveniretur.* [Is opinatus Ciceronem ad Romanorum legem nescio quam allusisse, in suspicionem vocabat *quasi:* quod quidem speciem criminationis arguit, nec differt ab simili *quodammodo*.] Sed Cicero quod accidit in Graecia, lege Romana illustrat. Extabat autem lex Sempronia, *ne quis iudicio circumveniretur;* v. Cic. p. Cluent. 55, 151. et Baiterus Ind. Legum. Similis locus est c. 16, 63. Timaeus Lysiam *quasi* Licinia et Mucia lege repetit Syracusas: ubi quod scriptor Graecus fecerat, item lege Romana explicatur. Quod Isocratem attinet, audiendus Quintilianus II, 15, 30. *Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat; et tum maxime scribere litigatoribus, quae illi pro se ipsi dicerent, erat moris, atque ita iuri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur.* Is qui aliis orationes scripsit, quibus in iudicio uterentur, adversarium quodammodo circumvenit, quia contra legem fecerat. Ea autem lex toties negligebatur, mox ut non amplius valeret. [Uno nituntur Quintiliano, qui demonstratum ibant in Attico foro nullum orationum usum ab aliis scriptarum concessum fuisse; sed legem paulatim in oblivionem abiisse: velut scriptor de lite Attica p. 707. Verum neque causam afferre licet, patronos et advocatos qui libenter admiserint, cur iidem orationes noluerint submitti eamque quasi fraudem ab iudiciis removerint, nec rationem intelligimus, qua sermones adventicii deprehenderentur, nisi forte delatoribus aliquis fuit locus. Itaque videtur Quintilianus similia quaedam Atheniensium instituta tum in mente habuisse, praesertim ea quorum ipse meminisse solet: ut continuo II, 16, 4. *et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur;* idque transfert ad Demosthenem (X, 1, 107. XII, 10, 26.), cui multum detraxerit civium severitas affectus concitari non ferentium; praeterea (quae res in Socratis causam optime cadit) docet VI, 1, 7. Atticum oratorem ab commiseratione studiosius cienda etiam praeconis voce deterritum fuisse. Quod ad morem Areopagitarum, veri iuris nec lenociniis oratorum corrupti retinentissimorum, aperte spectat, de quo praeter alios (ut Schol. Hermog. T. V. p. 353.) nemo copiosius explicavit Luciano de Gymn. 19. Sed redeamus ad Isocratem: qui cum et sua sponte vitae rationibus commutatis scholam instituerit, et acerbas invidorum et adversariorum, nominatim Aristotelis, calumnias sit expertus, postquam insignem famam super quaestus luculentissimos reportarat, sane verisimillimum est ut causam ab Cicerone

circumveniretur, saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse. XIII. 49. Et Graeciae quidem oratorum partus atque fontes vides, ad nostrorum annalium rationem veteres, ad ipsorum sane recentes. nam antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia et in domesticis et in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. 50. quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto

componendas] Servat ed. pr. Om. duo codd. Lambini.

C. 13. 49. partus atque fontes] *partis atque fontes* ed. pr. Nominum translatorum *partus atque fontes* cum societas nescio quid inconcinni prae se ferat, aliquam movet offensionem, ut corruptelam latere suspicemur. Illud enim *partus* insolitum est. Itaque haud scio an legendum sit, *Et Graeciae quidem oratorum artisque fontes;* quamquam in hoc libro stilum esse negligentiorem fateor. Alio modo Schützius emendat, *Et Graeciae quidem oratorum partus artisque fontes.* Tanquam interpretationem *atque fontes* delebat Ellendt. Orellius vero locum esse sanum existimat. [Recte quidem. Recensuit enim Cicero c. 7—9. proventum oratorum et copiam successionum, quam aetas sanae eloquentiae effudit (§. 36.); deinde c. 12. scriptores artium quique scholas instituendo primam illam aetatem protulerint. Hos igitur *fontium* nomine distinxit ab eorum alumnis et *partubus* quasi familiae celeberrimae; neque nobiles oratores, quos alibi tradidit magnam partem ex Isocratis ludo tanquam ex equo Troiano exiisse, miretur quisquam *partus* (h. e. aetates et genera) dici, cum Lucretius ad Graecorum exemplum similem conformarit figuram I, 477. *nec clam durateus Troianis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.* Atqui seu delemus *atque fontes* sive probamus Ernestii coniecturam *partus atque foetus*, alterum sententiae membrum interimitur; neque *fontes oratorum* appellari licuit corpus hominum eloquentissimorum, quod ab originibus artis usque ad fastigium et perfectionem erat progressum.]

Hoc autem studium] *studium* om. ed. pr.

proditam ad suspiciones hominum malevolorum reiiciamus. Id quod suadet etiam silentium antiquitatis *de Isocrate iuvene saepius in iudicium vocato.*]

C. 13. 50. Quis enim] Hunc locum, Ruhnkenio monente, imitatus est Velleius I, 18. *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae quam universa Graecia operibusque floruit, adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem aut, dum vixit, auctoritate, aut post mortem dignum memoria existimatum.* Cf. Westerm. Geschichte der Beredts. I. §. 62.

de Epaminonda] Non suspicatur, sed praeter dubitationem affir-

homine, suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. 51. At vero extra Graeciam magna dicendi studia fuerunt, maximique huic laudi habiti honores illustre oratorum nomen reddiderunt. nam ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet ac loqui paene dedisceret. Hinc Asiatici ora-

51. oblineret] ***obtineret*** **ed. pr.**

et quasi sanitatem] ***et quasi suavitatem*** **ed. pr. Interpretes senserunt,** *salubritatem et quasi sanitatem*, quae parum inter se differant, vix posse Ciceroni tribui: quorum alii in *salubritate*, alii in *sanitate* vitium quaerebant. Nam Schützius, Ernestii coniecturam secutus: *omnemque illam subtilitatem Atticae dictionis et quasi sanitatem;* rursum Orellius: *salubritatem Atticae dictionis et quasi siccitatem;* Lambinus autem ex codice, ut ait, edidit: *omnemque illam Atticae dictionis quasi sanitatem:* quae lectio (modo e codice fluxerit) verissima est, probavitque Ruhnkenius Hist. crit. oratt. p. XXXVII. Billerbeckius quidem mira narrat, hanc vulgatae lectionis tautologiam ab Cicerone non alienam esse, praesertim cum et argutior fiat eadem notio, duobus substantivis expressa, et ipsum *quasi* ad prius substantivum redeat. [Equidem neque *subtilitatem* istam, quae fuit una de multis Atticorum virtutibus, Ernestio concesserim, neque *siccitatem*, qua Tullius infra c. 82. alia meliora in Atticis fuisse narrat, quaeque tam propria habebatur sanae eloquentiae nota, ut mirer indicium significatus figurati *quasi* praemitti. Lambinum tamen probaremus libenter, si demonstrari posset *salubritatem* ab interpretibus esse profectum. Sed quoniam salubritas ad causas naturales et externas refertur, quibus integritas vitae constat, sanitas autem ad vigorem et statum omni labe vacuum: Cicero *salubritatem Atticae dictionis* videtur spiritum illum nativum et castitatem dixisse, quae coelum Athenarum tenue et temperatum redoleret, cumulum autem perfectionis *quasi sanitatem* addidisse, id est, habitum omnibus numeris absolutum et virili dignitate concinnum. Sic infra c. 80. f. sanitatem Calidii laudat, qui solidum quendam eloquentiae tenorem afferret; item c. 82. iunxit sanitatem et integritatem tanquam condiciones muneris oratorii. Nos: *die Sicherheit und darf ich sagen die völlige Tüchtigkeit der Attischen Rede.*]

mat disertum fuisse et eloquentia tam inter Thebanos quam in exteris Epaminondam viguisse Nepos in huius vita c. 5. 6. Cuius testimonium ut singulare in medio relinquimus.

Homerus] Il. γ'. 214. παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως.

51. loqui paene dedisceret] Asiatici oratores non tam loqui quam canere solebant. Orator. c. 8. *Quonam igitur modo audiretur*

tores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes: Rhodii saniores et Atticorum similiores. 52. Sed de Graecis hactenus. etenim haec ipsa forsitan fuerint non necessaria.

Tum Brutus, Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint, non facile dixerim: iucunda certe mihi fuerunt, neque solum non longa, sed etiam breviora quam vellem. Optime, inquam: sed veniamus ad nostros, de quibus difficile est plus intelligere, quam quantum ex monumentis suspicari licet. XIV. 53. Quis enim putet aut celerita-

illi quidem] *illi* om. ed. pr.

52. etenim] *etiam* error typorum in edit. Orellii.

forsitan fuerint] Sic ed. pr. *fuerunt* D. Cicero particulae *forsitan* coniunctivum plerumque addit, raro indicativum. Itaque Handius in Tursell. T. I. p. 716. coniunctivum non in codicibus legi, sed ab Victorii esse coniectura ratus, indicativi partes defendit. De Quintiliani usu diximus in II, 16, 11.

sed etiam] *etiam* om. ed. pr.

C. 14, 53. aut celeritatem] Deest alterum *aut.* Cicero sic debebat instituere sententiam: *quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto defuisse aut M. Valerio vim dicendi?* Sed cum prius dilatasset membrum, descivit etiam ab illa forma sententiae. Simi-

Mysus aut Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? Cum vero inclinata ululantique voce more Asiatico canere coepisset, quis eum ferret aut quis potius non iuberet auferri? Attici oratores loquuntur, ut qui sedato dicendi genere utantur, simplicitate verborum ac tenui ornatu emineant, neque a consuetudine vitae communis abhorreant. Asiatici vero verbis luxuriabant et tantis figurarum luminibus orationem distinguebant, ut poetarum essent similiores quam oratorum. Schützius vim vocabuli non cepit. [Sed additum *paene* demonstrat inanem strepitum Asiatici generis perstringi, qui sonos magis ludicros quam masculos Atticorum sensus praeberet. Cf. nostram hist. litt. Graec. I. p. 378. sq.]

celeritate] Orator. c. 16. *Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam.* [Adde Quintil. XII, 10, 65. *Hanc vim et celeritatem in Pericle miratur Eupolis.* Significant ardorem et impetum, cui lentus et circumductus sermo repugnat. Nec diligentius hanc facultatem licet definire, quam contrariam in partem fecit Aper in Dial. de Oratt. 22. *lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit, pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur.*]

52. ex monumentis] Id est, ex historia. Neque enim ex aliis testimoniis nisi ex auctoribus rerum Romanarum probari poterat, antiquissimis temporibus viros extitisse eloquentes: quando quidem neque orationes extabant, neque veteres illi de arte dicendi praecepta, sicut Graeci, tradiderant. Infra c. 49. *Quid est enim superioris aetatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur nec aliorum nec ipsorum?* Adde c. 15, 60.

tem ingenii L. Bruto illi nobilitatis vestrae principi defuisse? qui de matre suavianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit; qui summam prudentiam simulatione stultitiae texerit; qui potentissimum regem, clarissimi regis filium, expulerit, civitatemque perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis, legibus iudiciisque devinxerit; qui collegae suo imperium abrogaverit, ut e civitate regalis nominis memoriam tolleret: quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum. 54. Videmus item paucis annis post reges exactos, cum plebes prope ripam Anienis ad tertium miliarium consedisset, eumque montem qui Sacer appellatus est occupavisset, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias, eique ob eam rem honores amplissimos habitos, et eum primum ob eam ipsam causam Maximum esse appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuisse dicendo, qui post decemviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus et concionibus suis mitigaverit. 55. Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit: possumus C. Fabricium, quia sit ad Pyrrhum

liter *aut* defendit Walchius Em. Liv. p. 186. neque id eiiciendum censeo cum Ellendto. Duo deinceps exempla similia leguntur in *Orat.* c. 69. Cf. Hand. Tursell. T. I. p. 546. [Et Matthiae in Wolf. Anal. II. 2.]

suavianda] *savianda* ed. pr.

54. eumque] *cumque* ed. pr.

55. possumus C. Fabricium] *possumus et Fabricium, qui sit* ed. pr.

C. 14. 53. L. Bruto] L. Brutum quem auctorem nobilitatis suae Iunii celebrabant (v. Philipp. I, 6. Tusc. IV, 1.), plebeium fuisse probabiliter docuit Niebuhr. Hist. Rom. T. I. p. 545. ed. sec. et Additam. p. 71.

54. paucis annis post] A. 260. (494.) De M. (non Manio) Valerio v. Niebuhr. T. I. p. 628. II. p. 132.

M. Valerium] Marcus Valerius dictator creatus est a. 260. Apud Laurent. Fastis Capitolinis a. 259. legitur: *M. Valerius Vol. f. Volus. qui Dict. in hoc honore Maxim. appell. e. sedit. sedand. c.* Fefellit autem ratio Sigonium in Liv. II, 30, 5. Marcum in *Manium* mutantem, probante Wetzelio: sed Marci praenomen vindicavit Niebuhrius.

L. Valerium Potitum] Is consul a. 305. (449.) leges tulit de plebiscitis, ut quod tributim plebs iussisset, populum teneret; item de provocatione et sanctitate tribunorum plebis. Vid. Niebuhrius T. II. p. 410—416.

55. Appium Claudium] De hoc viro infra c. 16. dicemus.

C. Fabricium] Is ad Pyrrhum regem missus a. 474. (280.) legatus sive *orator*. Plerique enim scriptores legatos solent *oratores* appellare: v. Festus v. *Oratores:* item Livius 34, 40. 35, 51. 37, 26. 28.

de captivis recuperandis missus orator: Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur: Manium Curium, quod is tribunus ple-

Coruncanium] *Coruncanum* ed. pr.

Ti. Coruncanium] Ti. Coruncanius, consul a. 474. (280.) et primus ex plebe pontifex maximus, in praecipuis habebatur iuris consultis. *Is enim* Pomponio auctore de Orig. Iur. c. 3. *primus ius profiteri coepit: cuius tamen scriptum nullum extat, sed responsa complura et memorabilia eius fuerunt.* Superest apud Plinium Hist. VIII, 51. libelli fragmentum de iure pontificio. [Quod neminem ante Coruncanium dicunt publice professum esse, id ICti nostrates monuerunt ad responsa pertinere, quae singulis ille de plebe primus impertierit. V. Zimmern *Gesch. d. R. Privatr.* I. p. 193. 249.]

ex pontificum commentariis] Commentarii pontificum (Liv. VI, 1.) alibi libri Pontificii (Cic. de Rep. II, 31.) vel annales Pontificum (Quintil. X, 2, 7.) vel libri Pontificales (Seneca Epist. 108.) vel annales maximorum pontificum (Cic. de Legg. I, 2.) vel annales maximi (Gell. IV, 5.) vel libri annales (Gell. IX, 11.) aut annales prisci (Liv. IV, 7.) vocantur. De quibus loci classici sunt et Ciceronis de Orat. II, 12. et Servii in Virg. Aen. I, 373. *Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum digna memoratu notare consueverat, domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies. Cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres rettulerunt, eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant, annales maximos appellarunt.* Cf. Niebuhrius T. I. p. 257. sqq. Ab his vero libris pontificiis illos distinguendos arbitror, quibus ius sacrum vel pontificium traditum est. Neque assentior Petersenio, qui contrarium posuit in Originibus Hist. Rom. Hamburgi 1835. p. 35. *Ab ipsis libris pontificiis distinguuntur Annales Maximi et Fasti, commentariorum autem nomine cuncti comprehendi videntur.* [Id mireris ei excidisse, qui posset vel Canuleii voce deterreri apud Liv. IV, 3. *non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur.* Ceterum ut pro certo habemus, commentarios istos sive libros pontificios multum ab annalibus discrepasse, ita prorsus ambiguum est ad definiendum, quae volumina quas partes uberrimae disciplinae, quam nuper Hüllmannus (*Ius Pontificium der Römer*, Bonn 1837.) exposuit, fuerint complexa.]

Manium Curium] Manius Curius Dentatus, homo novus, qui de Samnitibus, de Sabinis atque Pyrrho triumphavit, cum erat tribunus plebis a. u. 456. (298.), Appius Claudius Caecus interrex, ne consulatus plebeiis communicaretur, acerrime restitit. Nam patricii, quamvis dudum lex Licinia, iam a. 387. (367.) perlata, cavisset, ut consulum alter de plebe crearetur, comitia plerumque solebant ita turbare, ut res ad interregnum veniret: quo facto patricii comitia consularia studebant in honorem sui ordinis vertere. Idem cum Appius tentaret, Curius effecit, ut patricii ante ipsa comitia quos populus creasset, eos magistratus se probare ostenderent. Deinde Maenius tribunus pl. a. 468. (286.) lege firmavit, ut patres in incertum comitiorum eventum auctores fierent. V. Pighius in An-

bis interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit; quod fuit permagnum nondum lege Maenia lata. 56. Licet aliquid etiam de M. Popillii ingenio suspicari, qui cum consul esset eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione et seditione nunciata, ut erat laena amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate tum oratione sedavit. Sed eos oratores habitos esse aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor: tantummodo coniectura ducor ad suspicandum. 57. Dicitur etiam C. Flaminius, is qui tribunus plebis

quod fuit] *quod fuerit* ed. pr.

56. plebei] *plebi* ed. pr. *plebes* autem notum duobus uti genitivis, uno ex declinatione tertia *plebis*, altero ex quinta *plebei* sive *plebi*. V. Schneideri *Formenl. d. Lat. Spr.* p. 359.

cum auctoritate] *tum a.* ed. pr.

tum ullum] *tunc ullum* ed. pr.

nalibus ad a. 455. Drakenb. in Liv. X, 11, 10. Niebuhr. T. III. p. 175. 482. 493. Walter. T. I. p. 108. Drumann. *Gesch. v. Rom* T. II. p. 173. Klotz. in Cic. Plancian. 3.

56. M. Popillii] M. Popillius Laenas consul fuit a. 395. (359.) 398. 404. 406. Seditio autem illa exorta est, cum primum consulatum gessit. V. Sigonius in Liv. VII, 12. et Niebuhr. T. III. p. 53. Is Laenatis cognomen accepit, cum non deposita laena ceteroque ornatu sacerdotali orationem ad populum habuisset. [Servius in Aen. IV, 262. ubi varias huius cognominis causas recenset, de laena prodit observationem haud contemnendam: *Est autem proprie toga duplex, amictus auguralis. alii amictum rotundum; alii togam duplicem, in qua flamines sacrificant infibulati.*]

57. C. Flaminius] In Catone c. 4. *Q. Fabius Maximus consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis quoad potuit restitit, agrum Picenum et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti.* Q. Fabius Maximus et Sp. Carvilius iterum consules erant a. 526. (228.) Polybius vero tribunatum Flaminii eiusque legem agrariam in a. 522. transfert II, 21. *Μετὰ τοῦτον τὸν φόβον ἔτει πέμπτῳ Μάρκου Λεπίδου στρατηγοῦντος κατεκληρούχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ῥωμαῖοι τὴν Πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν — Γαΐου Φλαμινίου ταύτην τὴν δημαγωγίαν εἰσηγησαμένου καὶ πολιτείαν.* Cf. Clinton. Fasti Hellenici a. u. 522. et Walter. T. I. p. 130. [Locos de lege agraria C. Flaminia congessit diiudicavitque Schneiderus in Varron. R. R. I, 2. p. 261. profectus ille ab oratione Catonis: *ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentinum.*] Flaminius consul a. 537. (217.) religione neglecta apud Trasimenum cecidit. Errore hunc Wetzelius Schützusque vocant *Quintium*, confundentes *Quintios Flamininos* cum *Flaminiis Nepotibus*. V. Onomasticon Orellii. Idem infra c. 19, 77. significatur.

legem de agro Gallico et Piceno viritim dividendo tulerit, qui consul apud Trasimenum sit interfectus, ad populum valuisse dicendo. Quintus etiam Maximus Verrucosus orator habitus est temporibus illis, et Q. Metellus, is qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit. XV. Quem vero extet et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor et idoneus quidem mea sententia Q. Ennius; praesertim cum

57. tulerit—sit] Sic ed. pr. *tulit—est* a Schützio sumpsit Ellendt. [Subest invidiosa hominis notatio, qui neque facundiam neque fortitudinem e republica collocarit.]

C. 15. et de quo sit memoriae proditum] Fuit qui hanc quasi glossam verbi *extet* damnaret Billerbeck.

quidem mea sententia] Sic ed. pr. Et debet *quidem* ad *idoneus* potissimum referri, quo confirmetur auctoritas Ennii, neque unius Ciceronis opinione defendatur. *mea quidem sententia* Schütz. Ellendt.

ad populum valuisse] I. e. apud populum. c. 20, 80. *cum eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset.* Liv. VI, 34, 5. *potentis viri, cum inter sui corporis homines, tum etiam ad plebem.* V. Hand. Tursell. T. I. p. 94. [Ex interpretibus satis est adisse N. Heinsium in Ovid. F. IV, 310. et Davisium in Cic. Tusc. III, 21.]

Q. Maximus Verrucosus] Q. Fabius Maximus Verrucosus Ovicula Cunctator, is qui bellum Punicum secundum enervavit, item significatus c. 19. Quali genere dicendi sit usus, Plutarchus in eius vita tradidit c. 1. *ὁρῶν δὲ καὶ τῆς πολιτείας τὸ μέγεθος καὶ τῶν πολέμων τὸ πλῆθος, ἤσκει τὸ μὲν σῶμα πρὸς τοὺς πολέμους ὥσπερ ὅπλον σύμφυτον, τὸν δὲ λόγον, ὄργανον πειθοῦς πρὸς τὸν δῆμον, εὖ μάλα πρεπόντως τῷ βίῳ κατακεκοσμημένον. οὐ γὰρ ἐπῆν ὡραϊσμὸς οὐδὲ κενὴ καὶ ἀγόραιος χάρις, ἀλλὰ νοῦς ἴδιον καὶ περιττὸν ἐν γνωμολογίαις σχῆμα καὶ βάθος ἔχων, ἃς μάλιστα ταῖς Θουκυδίδου προσεοικέναι λέγουσι. διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος, ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ᾽ ὑπατείαν ἀποθανόντος ἐγκώμιον.* Extabat igitur Fabii laudatio Quinti filii: v. Oratt. Rom. Fragm. p. 2. sq.

Q. Metellus] Q. Caecilius Metellus et L. Veturius Philo coss. a. 548. (206.) Hic Metellus laudationem funebrem, quam de L. Metello patre habuit, scriptam reliquit: v. Plin. Hist. VII, 43. Alterum orationum eius fragmentum extat apud Valerium Maximum VII, 2, 3. v. Oratt. Rom. Fragm. p. 94. et Drumannum T. II. p. 19. Iterum tetigit c. 19, 77.

C. 15. Quem vero extet] Eodem fere sensu quo *constare* dictum. Tuscul. I, 16, 38. *Credo equidem etiam alios tot seculis, sed, quod litteris extet, Pherecydes Syrius primus dixit animos esse hominum sempiternos.* [Addit Schneiderus Philipp. IX, 3. Ceterum *extare* hoc differt ab simillimo *constare*, quod illud respectu litterarum perditarum deperditarumve dicitur, quae tempus non pertulerint, *constant* autem, quorum utimur certa possessione et quasi domestica.]

M. Corn. Cethegus] M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tu-

et ipse eum audiverit, et scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum. 58. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) annali:

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
ore Cethegus Marcu', Tuditano collega,
Marci filius —

(et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit: quae nunc quidem non tam est in plerisque. latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur. sed est ea laus eloquentiae certe maxima.)

— — is dictust ollis popularibus olim,
qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
flos delibatus populi —

audiverit] *audierit* ed. pr. recte.

58. Cornelius] *Cornelius suaviloquente ore Cetegus Vetturio collega philoni: et oratorem*, lacuna codicis ab librario male suppleta, ed. pr.

ea laus] *ea* om. ed. pr.

is dictu'st] Sic Gronovius in Gell. XII, 2, 3. et Orellius. *is dictus ollis auris popularibus* (quod favet quodammodo Merulae sic unum versum concinnanti, *Marci filius — is dictus popularibus ollis*) ed. pr. Patet tamen hunc versum non cohaerere cum praecedenti *Marci filius*. [Contra senserit, qui perpendat deinceps versum *flos delibatus populi Suadaeque medulla* particulatim afferri, verbis Ciceronis interpellatum. Locus nondum restitutus.]

agitabant] *agebant* ed. pr. repugnante Gellio.

delibatus] Sic ed. pr. *delibutus* Man.

ditanus coss. a. 550. (204.) Mortuus est a. 558. Livio teste XXXII, 42. V. Drumann. T. II. p. 555.

58. non tam] Non admodum, non adeo. Illustrat Goerenzius in Cic. de Fin. I. p. 2. Formulam non ferentes *nunc quidem nulla est* tentarunt Heusingerus et Schützius. [Adde de Rep. III, 35. Comparationis vim (nam apertum obscurius intelligi, *quam velles crederesve*) paulo melius agnoscimus in Divin. II, 37. *Atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus: eadem non tam animadvertuntur in pace.* Ceterum iniuriam faciunt Ciceroni, qui suavitatem oris eum a plerisque suorum temporum oratoribus iubeant abiudicare. Huius enim criminis nullam neque ipse vidi demonstrationem neque viderat Quintilianus, Ciceronem describens XI, 3, 31. *Ita fiet illud, quod Ennius probat, cum dicit suaviloquenti ore Cethegum fuisse: non quod Cicero in his reprehendit, quos ait latrare, non agere.*]

flos delibatus] I. e. flos ex omnibus floribus decerptus, flos omnium florum maxime delectus. Gesnerus incorruptum illibatumque malebat intelligi. [Secutus ille Columnam p. 90. et probabiliter quidem. Nam poeta Cethegum suum descripsit tanquam ἄωτον μουσικῆς vel ἄνθος ἀκήρατον, cuius venustas integerrima pratum Musarum et virtutum, quod Graeci certatim laudant, collustraret. V. Valck. in E. Hipp. 73. et in Io. Chrysost. Or. I. pr. Eum igitur

59. (probe vero. ut enim hominis ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt)

Suadaeque medulla.

Πειθὼ **quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellavit Ennius, eius autem Cethegum medullam fuisse vult: ut, quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis sessitavisse, huius hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. 60. At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quaestorque his consulibus M. Cato modo plane annis CXL. ante me consulem;**

59. ut enim hominis ingenium] Recepimus ex libro Borromei: ut enim hominis (inquit) lumen ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia. *lumen* ad utrumque membrum pertinet. Vulgo cum ed. pr. legitur: *ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia;* nisi quod Orellius *decus* uncis notavit. Compara simillimum locum c. 21, 83. *De ipsius Laelii et Scipionis ingenio quamquam ea est, iam ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior*, ubi *laus* ad prius membrum *quamquam ea est* retrahendum.

Suadaeque medulla] *suada medulla pytho quam* ed. pr. Item Gellius vitiose, *Suadai medulla.* Quintil. II, 15, 4. *Isocrates finem artis temere comprendit dicens esse rhetoricen persuadendi opificem, id est πειθοῦς δημιουργόν: neque enim mihi persuaserim eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum Suadae medullam vocat.*

eius autem — vult] Pro glossa habuit Schützius, quem alii secuti sunt. Probo Orellium, qui gratam negligentiam agnoscit. [Non iucunde, sed ex necessitate Tullius interposuit. Nam qui Cethegum voluit cum Periclis eloquentia contendere, iusta conclusione debuit efficere, ut homo Romanus moderator et princeps Suadae haberetur, item ut Pericles πειθοῦς arbiter Athenas rexisset.]

ut quam] *et quam* ed. pr.

Pericli] Cum ed. pr. *Periclis* Ern.

60. quaestorque — annis] *quaestorque et comes Marco Catoni plane annis* ed. pr.

modo plane] De harum particularum vi cum dubitasset Manutius, Lambinus delevit *modo.* Item Handius in Turs. T. III. p. 630. in coniunctis *modo plane* haerere se confitetur. [Videtur computandi quaedam severitas et diligentia significari. Haud dissimiliter coierunt c. 59, 215. *plane atque omnino.*]

in quem Pindarica vox ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον (Ol. IX, 40.) quodammodo caderet, optime figura decebat *floris secreti*, quam usurpat etiam Catullus LXII, 39.]

Pericli] Vide supra c. 7, 29. *Thucydidi;* infra c. 83, 286. *Demostheni.* c. 85. *Aeschini.*

Eupolis] Cuius versuum supra facta est mentio c. 9, 38.

60. annis CXL. ante me consulem] Inter a. 550. (204.) et 691. (63.) intersunt secundum aeram Varronianam anni CXL. Nam quos numeros in hoc libro confecit Cicero (conf. c. 18, 72.), in rationem quadrant Varronis.

et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas ut alios fortasse multos oblivione obruisset. Illius autem aetatis qui sermo fuerit, ex Naevianis scriptis intelligi potest. his enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus: quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Naevii producit longius. nam Plautus P. Claudio, L. Porcio viginti annis post illos, quos ante dixi, consulibus mortuus est, Catone censore.

61. Hunc igitur Cethegum consecutus est aetate Cato, qui annis IX. post eum fuit consul. eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, Manio Manilio consu-

in veteribus — est] *ut veteribus commentariis scriptum inest* ed. pr.

consulibus] Mendum edd. vulgg. ex mala compendii *coss.* explicatione natum: *consules* ed. pr.

in veteribus commentariis] Nonne commentarios pontificum sive Annales maximos intelligit, de quibus in c. 14. diximus? Item c. 18, 72. *et nos in antiquis commentariis invenimus.* [Fidem excedit, Pontifices cum hominum litteratorum mortes tum obitum Naevii, poetae exulis et mediocrem famam adepti, commentariis mandasse. Equidem rationibus subductis nullum inveni de his annalium scriptoribus, qui memoriam istius rei propagasse videretur: nisi forte ponimus Clodium vel Claudium Quadrigarium. Itaque haud scio an Attii Didascalica significentur, de quibus extat docta Madvigii disputatio: praesertim cum et Cicero his diserte c. 18. et 64. utatur, et narratio Varronis apud Gell. III, 3. satis arguat in fata litterarum Latinarum paulo curiosius Attium inquisivisse.]

Naevius est mortuus] Cicero Naevium Cethego et Tuditano coss. a. 550. obisse putat, Hieronymus autem in Chronico a. 553. Cf. Clinton. Fasti Hellenici in a. 201. A Cicerone discessit etiam Varro, qui vitam Naevii produxit longius, comparatione aetatis Naevii et Plauti motus. Cum enim Plautus, qui Naevii fuit aequalis, anno demum 570. P. Claudio Pulchro L. Porcio Licino coss. obisset, ab verisimilitudine putabat abhorrere, Naevium, qui quidem senex mortuus esset (Cic. Cat. 14.), ipsis viginti annis prius decessisse. Nam quod plerique putant, Ciceronis illo loco innitentes, ceteris eius scriptis longe praestitisse Bellum Punicum: Cicero non dicit Naevium carmine suo magis laetatum esse quam reliquis operibus, sed gavisum eo magno opere, quod senex composuisset.

Varro] Naevii vitam enarravit Varro in libris de Poetis, qui Graecorum Romanorumque poetarum continebant historiam. Pauca supersunt fragmenta: et alterum quidem quod est de Naevio extat apud Gellium XVII, 21. porro de Ennio, in eodem Gellii loco, deque Terentio in vita quam ferunt Suetonii c. 2. denique de Euripide apud Gellium XVII, 4.

61. annis IX. post eum] Cato consul fuit a. 559. (195.) mortuus autem a. 605.

libus mortuus est, annis LXXXVI. ipsis ante me consulem.
XVI. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem: nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. 62. Et hercules hae quidem extant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. Quamquam his lauda-

61. annis LXXXVI.] Wetzelii iudicium et Orellii secutus sum: tot enim anni dinumerantur usque ad consulatum Ciceronis a. 691. In codicibus et ed. pr. vitiose legitur *LXXXIII*. Eandem probarunt emendationem Beierus in Cic. Off. T. II. p. 146. Laurent. Fastis Consul. p. 96. Clinton. Fastis Hellenicis in a. 605. Neque Ciceronem ipsum in ea re peccasse credendum est.

C. 16. 62. hae] *eae* ed. pr.

ad illustrandam] *ad illustrandum* Aldus, probante quodammodo Orellio. Huic opposuit sese Madvigius in Opusculis p. 385. docens in hac praepositionum structura probatum fuisse participium, si quidem accusativus subiiceretur. Num haec regula a scriptoribus constanter sit observata dubito. [Equidem Madvigium arbitror vere sensisse; si forte locos quosdam Varronis eorumque qui Varronis sint similes exceperimus.]

C. 16. Appii Caeci] Appius Claudius Caecus inter principes erat civitatis, gessitque plures consulatus (a. 447. 458.), dictaturam, censuram (a. 442.). Is antiquissimus omnium Romanorum scriptor esse fertur, qui non solum pedestri usus est oratione, sed etiam carmen composuit: v. Santenius in Terentianum p. 177. et Niebuhr. T. III. p. 367. quorum hic orationem illam, quam de Pyrrhi pace a. 474. (280.) habuit, refingere conatus est p. 570. Cf. Oratt. Rom. Fragm. p. 1. Eundem actiones et de usurpationibus librum scripsisse tradit Pomponius de Orig. iur. c. 3, 36. Eius vitam enarravit Drumann. T. II. p. 170. [et qui hominis ambitiosissimas rationes persecutus est Hüllmannus *Ius Pontif.* p. 141. sqq.]

haec ipsa] Quam supra memoravi: c. 14, 55.

laudationes] Eius generis antiquissimam orationem, quam M. Fabius a. 274. (480.) Q. Fabio habuerit, memorat Livius II, 47. [Item Q. Fabii laudationem vide supra significatam annotatione in §. 57. Institutum reipublicae Romanae praeclarum, cuius rationes et praestantiam Graeci scriptores certatim praedicarunt, velut Polybius VI, 53. 54. et Dionysius A. R. V, 17. Nec solum viros nobilissimos, sed etiam mulieres gentium illustrium solebant funebri laudatione prosequi; quarum Popiliam, matrem Crassi oratoris, primam tali honore decoratam esse Cicero de Or. II, 11. alii alias tradunt: v. Plutarch. Camill. 8. Taylor. Lectt. Lys. 3. Falster. memor. obscur. p. 202. Ceterum hoc Ciceronis testimonium perspicue docet, exempla laudationum inde ab antiquissimis temporibus propagata fuisse, quibus ambitiosi homines ad stemmata contexenda variisque luminibus ornanda abuterentur: v. nostram hist. litt. Rom. N. 128.]

tionibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus: ut si ego me a M' Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio

ad plebem transitiones] Cum ed. pr. Sed *a plebe transitiones*, praeeuntibus Lambino et Scaligero, Ernestius cum sequacibus. Vide Commentarium.

62. mendosior] Idem confirmat Livius VIII, 40. [Locus Ciceronis de causis corruptae Romanorum historiae primarius, cuius utilitatem perspicere licet e Perizonii demonstratione Animadv. histor. c. 6. p. 207. sqq. In memoria generum pervertenda cumulandaque falsis originibus quam immodesti fuerint quemque colorem expresserint funebres laudatores, ostendat fragmentum orationis ab Iulio Caesare pronunciatae, cuius initium e Suetonii vit. c. 6. descripsisse satis habemus: *Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est.*]

ad plebem transitiones] Hanc librorum scripturam tuentur Orellius, Niebuhrius T. I. p. 343. Madvig. Epist. Crit. p. 111. Gebhardt. Observatt. in Ciceronis Brutum, Curiae Regnitianae 1834. p. 4. Plebeii quidam, quo nobiliores esse viderentur, avum olim ex patriciis ad plebem transisse fingebant, unde stirpem suam ab initio patriciam fuisse gloriarentur. Patricios autem haud raro in gentes plebeias migrasse, quod exemplis Walter. *Gesch. d. Röm. Rechts* T. I. p. 124. comprobat, non mirandum, cum ad honores facilius pervenirent, quorum ius penes plebeios erat. [Causam paulo simpliciorem attulit Niebuhrius, quod numerus gentium patriciarum sensim aboleverat, eoque maturius in multitudinem plebeiorum longe lateque pullulantem insinuarat. Ernestium, ut reponeret *a plebe*, vana conclusionis species induxit: *humiliores de plebe* (inquit), *similitudine nominis abusi, se pro patriciis gerebant*. Miramur tamen *a plebe transitiones*, hoc est, defectiones proditionesque partium, in titulis gloriae commenticiis numerari potuisse.]

[infunderentur] Vocabulum proprium in vini temperatione, quod in dolia saepius infunditur et transfusionibus mollitur. Cf. Rhodii Lex. Scribon. v. infusum et Heinr. in Or. pro Scauro p. 37.]

a Manio Tullio] Manius Tullius Longus et Servius Sulpicius Camerinus coss. a. 254. (500.) Ciceronis gentem fuisse plebeiam, ex eius verbis facile colligitur. Si originem meam, inquit, a Manio Tullio ducerem, idem quod alii plebeii facerem, qui ex vetustissimis patriciorum gentibus se ortos esse profitebantur. Similiter ludens Tuscul. I, 16. Servium Tullium regem gentilem suum vocat: hunc enim significari Clintonus quoque vidit in Fastis Hellenicis p. 9. ed. Krüg. Alii tamen eum ipsum in errorem inciderunt, quem caverat Cicero, ut gentem eius ad Attium Tullium referrent, teste Plutarcho Cicer. 1. Cf. Weicherti Poetarum Reliqu. p. 2.

consul anno decimo post exactos reges fuit. 63. Catonis autem orationes non minus multae fere sunt quam Attici

consul anno] Sic ed. pr. *consule anno* Ern.
63. multae fere] Sic ed. pr. Deest *fere* D. *multae verae* Ern.

63. Catonis] M. Porcius Cato homo novus summos adeptus est honores, et cum rebus gestis tum ingenio atque scriptis, quorum memoria numquam prorsus evanuit, maximam consecutus famam. In republica Fabii Cunctatoris partes adeo secutus est, ut cum eo Sciones infestos haberet; in litteris eloquentiam tantopere provexit, ut iure merito Romanae eloquentiae pater diceretur. Habet eius sermo, quamquam si cum Plauti aequalis comparetur, rudior est, magnas iam vires atque lumina. Orationum, quas numero plurimas scripsit, quarum in Fragmentis Oratorum p. 16—92. reliquias collegi (cf. Westermann. Gesch. der Römischen Beredsamkeit §. 23—27. Beilage 1.), nonaginta fere notitiam accepimus. Quos ille praeterea libros composuit, eos nunc non attinet enumerare. [Constat Ciceronem in Catonis virtutes tanquam gravissimum exemplar priscae fortitudinis et libertatis intueri solitum. Sed eo venerationis progressum, ut Catonianam eloquentiam et facultatem tantis laudibus obrueret, quis facile concedat, nisi qui Ciceronis aciem puerili quadam superstitione praestringi potuisse crediderit? Ipse tamen eius *horridulas orationes* Orat. 45. carpit; idemque Catonis *eloquentiam*, rectissimo quidem iudicio, monet *tantam fuisse, quantam illa tempora atque illa aetas in Romana civitate ferre maximam potuerit*, de Or. I, 38. nec debuit aliter sentire, si quidem constare sibi vellet, qui Gracchi, Crassi, Hortensii, aliorum merita probe meminisset. Quid quod secum pugnare suaque vineta, quod aiunt, caedere videtur, cum infra c. 85, 293. Atticum faciat severius interpellantem: *Equidem in quibusdam risum vix tenebam, cum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius summum et singularem virum; nemo dicet secus: sed oratorem? sed etiam Lysiae similem?* Nam excusationem Westermanni l. l. p. 51. opinantis priore loco sententias quasdam controversas et paradoxa iactari, ut Atticus, ne mutam scilicet personam tueretur, haberet aliquantum quod reponeret, nemo non intelligit misere frigere et ab Ciceronis institutis prorsus abhorrere. Verum arbiter ille dicendi perspicacissimus quid spectarit, haud obscure significavit Attico respondens §. 298. *Volvendi enim sunt libri cum aliorum, tum inprimis Catonis. Intelliges nihil illius lineamentis nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse.* Quae satis arguunt laudationem Catonis, oratorio modo tumentem, non alio consilio proponi, quam ut Romani concitentur ad recolendas Catonis litteras earumque contemptores, vetera fastidiose spernentes, repellantur. Catonem vero ut magnis animis excellentem, ita rudem in omni dictionis artificio, in dispositione structuraque membrorum, in inveniendo, breves et concisos sensus paulo acerbius esse sectatum apparebit vel intuenti fragmenta copiosissima, quae Gellius III, 7. VII, 3. servavit. De comparatione Lysiae, quam etiam Plutarchus Cat. 7. fando acceperat, quamque Plinius Epp. I, 20. arrisisse quibusdam antiquitatis laudatori-

Lysiae, cuius arbitror plurimas esse: est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus et mortuus et functus omni civium munere; quamquam Timaeus eum quasi Licinia et Mucia lege repetit Syracusas. et quodammodo est nonnulla in iis etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves: sed ille Graecus ab omni laude

in iis] *in his* Lamb. eumque secutus praeter alios Orellius.
etiam inter] *et inter* ed. pr.

bus ostendit: Ciceronem opinor nihil nisi speciem externam secutum, quae leviter et incuriose legentium in mentes sponte irreperet, hoc est, leporem et ingenuum candorem atque humanitatis suavissimos affectus.]

Lysiae] Lysiae quadringentae viginti quinque orationes vulgo tribuebantur, quarum ducentas et triginta critici veteres, Dionysius et Caecilius, agnoverunt. [Et harum quidem aetatem tulerunt orationes plus minus integrae, demptis tamen spuriis vel suspectis, triginta circiter numero; quibus accedit lusus umbratilis, Eroticus. Praeterea tituli perditarum colliguntur ad summum nonaginta: vide materiam ab Westerm. Hist. Gr. Eloqu. p. 281. sqq. congestam. Itaque nullus ex antiquis Graecis orator industriam Lysiae superavit, cuius vere *plurimas* esse orationes Cicero pronunciavit.]

[certe] Id arguit criticos de sede natali Lysiae dissensisse; nec praeter Ciceronem et Dionysium Iudic. de Lys. 1. extare videtur, qui diserte hunc Athenis natum prodiderit.]

[functus omni civium munere] Dictum interpretes quidam mirabantur, quod Lysias non optimo iure civitatis Atticae fuisset usus; nec satisfacit Schneiderus, qui, cum Lysias publice dignitatem *ἰσοτελοῦς* et quasi municipis adeptus sit, onera sive liturgias civium velit eum sustinuisse. Istud quidem miror unde Cicero resciverit; sed cognitum ille habebat, quod Photius narrat sive scriptor de Vitis X. Oratorum, multum oratoris liberalitatem ad rempublicam Atheniensium restituendam valuisse, nec quicquam eum officiorum intermisisse, quod cive fortissimo dignum esse videretur.]

quasi Licinia et Mucia lege] L. Licinius Crassus et Q. Mucius Scaevola coss. a. 659. (95.) legem dederunt de civibus regundis (vel *redigundis*, ut Baitero in Ernestiano Indice Legum p. 210. placet), qua magnus sociorum numerus pro civibus Romanis se gerentium in suas quisque civitates remittebantur: v. Walter. T. I. p. 241. Similiter Timaeus in historia sua Lysiam, qui Atheniensis esse ferebatur, Syracusanis vindicavit, propterea quod pater eius Pericle auctore Syracusis Athenas immigrarat. His Niebuhrius utitur ingeniose T. II. p. 60. Ceterum v. annot. in c. 12. extr.

nonnulla in iis] I. e. in Catone et Lysia, ut Madvigius in Emendatt. I. p. 164. et Orellius, rectius Ellendto, qui explicat *in orationibus*. Huc spectat etiam Plutarchus Cat. Mai. 7. *Τοιαύτην δέ τινα φαίνεται καὶ ὁ λόγος τοῦ ἀνδρὸς ἰδέαν ἔχειν, εὔχαρις γὰρ ἅμα καὶ δεινὸς ἦν, ἡδὺς καὶ καταπληκτικός, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρός, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός. — Ὅθεν οὐκ οἶδα, τί πεπόνθασιν οἱ τῷ Λυσίου λόγῳ μάλιστα φάμενοι προσεοικέναι τὸν Κάτωνος.*

felicior. 64. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur, quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat, quamquam in Lysia sunt saepe etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius. verum est certe genere toto strigosior: sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa

64. non tam] *tam* om. ed. pr.
delectat] Sic ed. pr. *delectet* Ern. [Immo, quod hunc fugit, posterius membrum est secundarium, quo praegressorum explicatio continetur: *hos enim ipsa sanitas eloquentiae paulum extenuatae delectat.*]
sunt saepe] Sic ed. pr. *saepe sunt* Gruterus invexit.
habet tamen] *tamen* om. ed. pr. [Id acerbius et cum vi positum, ut contemptores Catonis pungantur.]

64. [Habet enim certos] Haec de Lysia Lysiaeque sectatoribus disputatio, quae longius arcessita videri queat, tanto cum studio tamque cupide pertractatur, ut mediis rebus eam haud temere interpositam omnes sentiant. Nimirum Cicero, quam infra c. 82. repetita contentione leniter impugnat, tectius autem in Orat. 9., sectam C. Licinii Calvi graviter perstringit. Ac satis constat paulo acerbius istam dissensionem inter utrumque fuisse agitatam: cum Ciceronis elocutionem Calvus damnaret, fractam et luxuriantem esse criminatus, Cicero negaret Calvi propositum sibi probari, qui nimium sui calumniator corpus orationi et quasi sanguinem detraheret, nequid ab sanitate pressaque Atticorum ut opinabatur subtilitate descisceret. Adde nostram R. Litt. historiam N. 539. Tum invidia Ciceronis an auctoritas Calvi tantum valuit, ut clamores etiam imperitorum hominum exilitatem e Lysiae Thucydidisque libris petendam copiis dictionis ornatae praeferrent: quos Cicero iussit eloquentiam Demosthenis viribus, non sua imbecillitate metiri, Orat. 7. 9.]

[lacerti] Lacertos, id est, vires et nervorum robur, quis in Lysia persensit vel ex antiquis censoribus agnovit? Nonne repugnat, qui Periclis vim *Lysiacae gracilitati* opposuit, Quintilianus XII, 10, 24. et disertius etiam Dionysius Iudic. 13. *ὑψηλὴ δὲ καὶ μεγαλοπρεπὴς οὐκ ἔστιν ἡ Λυσίου λέξις, οὐδὲ καταπληκτικὴ μὰ Δία καὶ θαυμαστή, … οὐδὲ ἀφὰς ἔχει καὶ τόνους ἰσχυρούς, οὐδὲ θυμοῦ καὶ πνεύματός ἐστι μεστή.* Quid quod lacerti parum conveniunt in oratorem ethopoeiae moderatorem et placidorum affectuum egregium artificem, quem ipse Cicero negavit amplum causidicum ac grandem fuisse. Sed ut species corporum palaestris subacta fit astrictior et torosa *lacertis*que dicitur *expressa* (v. Quintil. VIII. prooem. 19. et c. 3, 10. nos *gedrungen*), ita Lysiae sermo rotundus, musculosus, certaminibus idoneus virilem habitum ostendit, qui maxime dictionis in proprietate (Dionys. ib. 3. *ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα*), evidentia, praeclara denique sententiarum maturitate (Dionys. ib. 6. *ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις*) emicuit.]

strigosior] Vox proprie dicta de equis macie confectis, eleganter ad oratorem traducitur, cuius tenuis est et subtilis oratio. Id autem dicendi genus Cicero, qui maluit ipse copiosus esse, improbavit. [*Strigosus* proprie dictum

eius subtilitate admodum gaudeant. XVII. 65. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit, aut quis novit omnino? at quem virum, dii boni! mitto civem aut senatorem aut imperatorem; oratorem enim hoc loco quaerimus: quis illo gravior in laudando, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus. licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint: omnes oratoriae virtutes in iis reperientur. 66. Iam vero Origines

C. 17. 65. nostrorum] *nostrum* ed. pr.
licet ex his] *licet ex iis* ed. pr.

illustrat Tennulius in Frontin. I, 2, 9. Cicero cum nove sermonem minus curatum destitutumque luminibus figurarum indicaret, secutus est Graecum ἀναλθής, tam usu vulgari de rebus exsanguibus (velut Aelian. N. A. XI, 31. θρέμμα μάλα ἀναλθές, ubi malo editur ἀληθές) quam rhetorum scholis tritum (restituendum illud etiam Polybio fr. Vat. XII, 20. coll. 28.). Id pulchre Ruhnkenius observavit in Longin. III, 4.]

C. 17. 65. [gravior — illustribus] *Gravitatem* in laudando rarius ostendunt fragmenta, siquidem aegre quicquam ille praedicare sustinuit nisi res ab maioribus aut a se ipso gestas (ap. Fronton. ad Antonin. I, 2. p. 149. ed. Rom. *maiorum bene facta perlecta; deinde quae ego pro republica fecerim:* adde locos orationis de consulatu suo); *acerbitatem* et tristitiam singulae paginae confirmant, quae refertae sunt insectationibus hominum et vitiorum recentium; *sententiarum* quale fuerit acumen, quae severitas, commonstrant vel dicta Plut. Cat. 8, prolata; neque *subtilitatem*, id est, perspicuitatem et lucem argumentandi, licet desiderare. Denique cum *res* sive mores et instituta populi Romani passim docendo refutandoque illustravit, ut imaginem priscorum temporum eximie videretur adumbrasse, tum *verbis* insignem fecit orationem, cuius vigor et grandis incessus animos spirat censorios. Nam inventionis laus minor fuit quam pro expectatione, novarumque dictionum fabrica, si quidem ab vocibus obsoletis recedimus, intra modicos fines sese continuit: velut ille procudit *punctatoriolas*, *periclatus sum*, *tumultuosius*, *calliscerunt*, *obsonitavere*, *mediocriculum*, *repulsior*, *impudentiam praemiosam*, *disciplinosus*, alia Charisiis et reliquis antiqui sermonis aucupibus enotata.]

66. Origines eius] Nepos in Catone c. 3. *Cato senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur appellasse; in quarto autem bellum Punicum primum, in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta, reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos, atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus*

eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante seculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, quod idem Lysiae Demosthenes; sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio. 67. Sed et in ne-

66. cum brevitate tum nimio acumine] *tum brev.* etc. ed. pr. Iungenda haec cum verbis *non satis apertis*, ut explicetur, quid obscuras fecerit sententias Thucydidis. Iam quaeque sententia fit obscura, si brevior est aut nimis acuta. Contra qui ablativos ad *officit* rettulere, Budaeus, Rivius, Lambinus, Ernestius, Schützius, voces ineptas esse delendas senserunt. [Suspectas habuit etiam Göllerus de Philisto p. 188, cuius indicium eo magis mirere, quod Dionysium modo descripsit historici illius proprietates recensentem *τὸ στρογγύλον καὶ πυκνὸν καὶ σύντονον καὶ ἐναγώνιον*. Recte Wichers. de Theopompo p. 39.]

posteriorum] *posterorum* ed. pr.

res notavit. Mittimus reliqua. Docet hic locus Catonem Origines suas usque ad a. 604. (150.), quo anno Galba praetor Lusitaniae erat, produxisse; anno autem sequenti constat eum vita decessisse.

[quem florem aut quod lumen eloquentiae] Infra tamen c. 87. ubi minus dissimulanter iudicium instituit, Catoni pigmentorum ab magistris inventorum florem et colorem defuisse concedit. Nos quominus ipsi libris Originum suum pretium statuamus, et brevitas et exiguus eorum fragmentorum numerus obstat, quae germanam scriptoris orationem prae se ferant: quamquam facile Gellio fidem habemus, *multam venustatem, lucem, munditiam verborum* collaudanti I, 23. Interim non praetermittendum, quod ad interpretationem huius loci aliquantum valet, Catonem haud paucas orationes ab ipso pronunciatas Originibus inseruisse: quo impensius historias ex omni facundiae genere temperatas Cicero potuerit admirari.]

[Philisto Syracusio] Qui utrique Dionysio tam genere quam studiis tyrannidis iunctissimus, accepta clade Olymp. 106, 1. mortem sibi consciverit incertum an ab adversariis perpessus sit. Hominem non solum *doctum et diligentem* appellat Cicero (Divin. I, 20.), sed *capitalis* etiam, *creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides* ei visus est (ad Qu. Fr. II, 13.), cuius et Siculorum volumina XI. et libros duos de rebus Dionysii iunioris magni faceret. Huic tametsi non ab omni parte iudicia rhetorum Graecorum, nominatim Dionysii suffragantur, Philistum tamen ingenio, sententiis, iucunda rotundaque dictione polluisse licet suspicari. Historias quidem a perpaucis, quod Cicero contendit, fuisse lectitatas eorum paucitas demonstrat, qui minuta quaedam fragmenta decerpserunt. Ceterum quae ad uberiorem Philisti cognitionem spectant petas ab eius editore Goellero.]

quod idem Lysiae Dem.] Theopompi elata et magnifica oratio obscuravit Philistum et Thucydidem, neque aliter altitudo Demosthenis Lysiam. [Habet tamen Demosthenis mentio, quod Schü-

stris inscitia est, quod ii ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem. Hyperidae volunt esse et Lysiae. laudo. sed cur nolunt Catones? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. sapienter id quidem. 68. Atque utinam imitarentur nec ossa solum, sed etiam sanguinem! Gratum est tamen, quod volunt. cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba. ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, ut aptior sit oratio; ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni. 69. Ornari orationem Graeci putant, si verbo-

67. ne noverunt] *non noverunt* ed. pr. *non noverunt. Quid enim?* Manutius.

Catones] *Catonis* ed. pr.

68. amatur] *amantur* ed. pr. [Singularem numerum praestare, quod Hyperidis et Lysiae nomina quasi unam in notionem coeunt, docet observatio Goerenzii in Acad. II, 1. p. 2. cui locupletandae profuerint Bentleius in Horat. C. IV, 11, 9. et Burmann. in Virg. Aen. IV, 651.]

ut aptior] I. e. ut concinnior sit oratio. *et aptior* ed. pr. *et, ut aptior sit oratio, ipsa verba compone* Ellendti coniectura, cui parum favet *ipsa*.

tsius sensit, aliquam offensionem. Nam Lysias neque brevior aut acutior fuit, ut posteriores eum potuerint obscurare, nec Demosthenis gloria luminibus illius obstruxit. Ipsum audias velim Dionysium π. δειν. Δημ. 13. Itaque Cicero, si Quintilianeis VIII, 4, 88. utimur, *praecipua tamen eius opera δείνωσις in exaggeranda indignitate, et in ceteris altitudo quaedam,* Demosthenis primariam virtutem, δεινότητα significavit, qua Lysiae palmam praeripuit.]

67. antiquitate delectantur] Vetustissimos auctores amant.

68. nec ossa solum] Utinam imitarentur non modo gracilitatem et tenuitatem, verum etiam copiam et vires oratorum Atticorum, qui tenue genus sanguine sive copia et abundantia ornarunt. [Ipsum Calvum nimia contra se calumnia verum sanguinem deperdidisse monet Cicero c. 82. Ceterum quod Ernestius praecedens *imitarentur* minus bene convenire putabat ossibus et sanguini, parum attendit ad Ciceronis demonstrationem, qui Lysias istos et quasi Hyperidas negavit imitatione sua corpus et integras vires exemplarium Atticorum referre. Cf. Quintil. X, 2, 12.]

[coagmenta] Depingit iunctam orationem et concinna levique verborum et membrorum quasi lapidum structura conclusam: v. Or. III, 43. coll. Quintil. VIII, 6, 63. Eam artem polite scribendi nec Graecorum veteres prosarii factitabant, qui λέξιν εἰρομένην sequebantur, neque Cato, cuius sententiae hiarent ac dissolutae vinculis nullis astringerentur. De figuris, quas infra memoravit, adeas c. 87.]

rum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα: non veri simile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. XVIII. Nec vero ignoro, nondum esse satis politum hunc oratorem, et quaerendum esse aliquid perfectius: quippe cum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum extet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. Sed maiore honore in omnibus artibus quam in hac una dicendi versatur antiquitas. 70. Quis enim eorum, qui haec minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen, quae non dubites pulchra dicere: pulchriora etiam Polycleti et iam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio

C. 18. in hac una dicendi] *in hac una arte dicendi* ed. pr.
70. haec minora] *haec* om. ed. pr.
molliora] *meliora* ed. pr.
Polycleti] *Polycliti* probat Zumpt. in Verrin. p. 656. item praetulit Orellius in Verr. IV, 3, 5.
et iam plane] *etiam plane* ed. pr.

69. non veri simile est] Elegans formula: nemo facile credat, creberrimis usum esse Catonem figuris cum verborum tum sententiarum. [Quod tum temporis vix fidem ac similitudinem veri habere videbatur, Fronto pro re certissima Epistolis ad Marcum commendavit.]

[distinctus] Qui prudenter et callido temperamento locis suis quaeque lumina distinguere novit et per varias sedes disponere, ne forte nimius ornatus pictum efficiat sermonem et aequabilem: v. Or. III, 25. Vox ab usu pictorum repetenda: de quo v. Quintil. VIII, 5, 26.]

C. 18. maiore honore versatur] Maiore honore fruitur. [Apte *Wetzelius*: ex omnibus quas tractavit antiquitas artibus plus honoris et laudis retulit quam ex eloquentia.]

70. haec minora] Similiter de poetis c. 1. *in leviorum artium studio*. Romanis cum eloquentia haberetur ars omnium maxima, ceteras leviores dicebant vel minores. [De artificum Graecorum existimatione satis est adhiberi lepidum dictum in Verr. IV, 2. 3.]

Canachi] Sicyonii, fere Olymp. 70. cuius ars in rudi simulacro Apollinis Didymaei spectabatur. Cf. Mülleri Archaeol. §. 92. et de Calamide, qui circiter Ol. 80. floruit, ib. §. 112, 2. Ceterum de his statuariis et pictoribus in Catalogo Artificum exposuit Silligius.

[ad veritatem adducta] Immo haec laus Myroni tribuebatur, quod naturae veritatem et evidentiam actuosissimam ad ipsos sensus adducere calluit. Cicero tamen voluit, quod Plinius tradit, corporum quam animorum species et varietatem eum peritius expressisse.]

est: in qua Zeuxim et Polygnotum et Timanthem et eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas et lineamenta laudamus: at in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta sunt omnia. 71. Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat: nihil est enim simul et inventum et perfectum; nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum poetae: quod ex iis carminibus intelligi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

quos olim Fauni vatesque canebant,
cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,

Zeuxim] Eadem accusativi forma in Ep. ad Q. Fr. I, 2, 5. legitur; at de Invent. II, 1. et de Fin. II, 34. *Zeuxin*, quae a Ciceronis abhorret consuetudine. Cicero enim graecas formas fere omnes Latino more mutavit, ut in Quintiliano meo I, 1, 15. et I, 6, 61. annotavi. Cf. Schneideri Lat. Gr. p. 297. Ed. pr. *Ceusin.*

Timanthem] *Timantem* vulgo. Timanthes est Plinio Hist. XXXV, 10. Quintil. II, 13, 13. aliis, quos indicat Sillgii Catal. Artificum.

Echione] *Aetione* Victorius. Eundem inter summos artifices posuit Parad. V, 2. Cf. Silligius p. 198.

71. scopulos] *scopuli nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc* ed. pr.

[quattuor coloribus] Naturalibus illis et quasi sinceris, quos antiquior pictorum aetas leni varietate miscere ac diffundere quam reconditos succos temperando floridum in splendorem vertere malebat, albo, rubro, flavo, atro. V. Mülleri Archaeol. §. 319. et singularem libellum Stieglitzii, *über d. Malerfarben der Gr. u. Römer*, L. 1817.]

71. [simul et inventum et perfectum] Proprietas vocis *simul*, ut celeritatem actionis depingat ab ipsis initiis ad perfectionem provectae. C. 64, 228. *adolescentis ingenium ... simul aspectum et probatum est.* Tacit. H. I, 89. *Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita.* Huius quidem complures locos attulit Neuius Obss. ad Tacit. Spec. I. p. XI. sq., ut *statim* eximeret Ann. XV, 38. *simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit.* Sed repugnat incendii natura, cui consentaneum est ut *statim* ad *validus* pertrahatur. Ceterum, noli Graecum usum particulae ἅμα comparare (quem perstrinxit Valcken. in Herod. III, 135.); nisi placet exempla conferre, quibus grammatici levius solent defungi, *simulac* interpretantes, cum deberent *vix:* velut Cic. ad Fam. VI, 19. *Simul accepi a Seleuco tuo litteras, statim quaesivi.* Praeterea in sententia Ciceronis conferri par est Quintil. X, 2. Deinde quod suspicatur ante Homerum poetas extitisse, merito facit cum doctis indoctisque Graecis: v. nostram hist. litt. Graec. I. p. 215.]

[nostri veteres versus] Id est, innumeri versuum Saturniorum numeri, quibus vetustissima carmina hominum obscurissimorum omnia continebantur: v. nostram hist. litt. Rom. p. 70. sq.]

Musarum scopulos] Dearum montem sive Parnassum. Similiter

nec dicti studiosus erat — —
ante hunc:

ait ipse de se, nec mentitur in gloriando. sic enim sese res habet. nam et Odyssea Latina est sic tanquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae quae iterum legantur. 72. Atque hic Livius, qui primus

Odyssea] *Odyssia* ed. pr.
sic tanquam] *sic enim tamquam* ed. pr. *sic* deleverunt Ellendt. Billerb. Non magis offendere debet quam alibi *quasi quidam* et similia. [*Sic tanquam*, *sic quasi*, quae dirimi solent, accurate cohaerere docent vel exempla Cat. 8. ad Fam. XIII, 69. Odysseam igitur Latinam prorsus Daedaleum opus ac rigidae fabricae monumentum esse dicit: ut nullus sit locus interpretationi, quam Orellius instituerat operose: Odyssea ab Livio conversa sic Latina est, sive eundem locum occupat in Latinis litteris, quem inter Graecorum artificum opera Daedali statuae.] Mire Buttmannus *Odyssea Latina est σνκlνη tamquam opus aliquod Daedali.*
72. Atque hic Livius, qui] Lambinus addidit, quod intelligi praestat, *est.* Contra Schützius et Ellendtus delent *qui.* [His prorsus assentior. Non adeo novum interpolari pronomen illud: vide c. 20, 78. Editam scripturam si quis tueatur, aut anacoluthiam quandam aut brevitatem ab Ciceronis more recedentem posuerit. Sed anacoluthi neque speciem agnoscimus neque causam idoneam, quam ad formam orationis longius circumductam vel ad gratam negligentiam affectumve dicentis referamus. Alteram tamen excusationem refutat Ciceronis consilium. Non enim agitur Livii memoria, qui celebritatem nominis primam fabulam docendo nactus sit, sed confirmaturus quod Catonis causa demonstratum ibat, perfectionem artis ab vetustissimis temporibus nullam expectari posse, docet ille Latinarum litterarum origines satis esse recentes, quippe quas Livius Andronicus Claudio et Tuditano Coss. inchoarit, h. e. sexto anno antequam Cato natus esset. Nam *atque* particula ut solet non multum differt ab *atqui.*]

Memmius apud Nonium p. 194. *ille ardua nitens — fortunae escendere cliva.* Ceterum hi clarissimi versus Ennii extabant in Annalium prooemio, quos iterum tangit Orat. 51.

dicti] Sermonis, orationis.

ante hunc] Ante me, ait Ennius de semetipso. Quem intelligendum esse sequentia docent: nam qui olim intelligebant *Naevium*, eos refellit Krausius *Röm. Litt.* p. 67. *Hic* autem ut Graecum ὅδε pronominibus primae personae fungitur. Vide vel Heind. in Horat. S. I, 9, 47.

[opus aliquod Daedali] Daedalum, cascum artificii Graecanici vixdum ab Aegyptiorum rigore secedentis signum, et antiquitatem Daedaleorum copiose tractant Gedikius Exc. ad Plat. Men. 39. Silligius Catal. Art. et nova ratione Thierschius *Epoch. der Kunst* p. 17. sqq. coll. 45. sqq.]

72. Livius] Livius Andronicus cum capto Tarento a. 482. Romam venisset, primam docuit fabulam a. 514. (240.) Idem Odysseam Homeri Latine vertit, quae usque ad Horatii aetatem (v. Weichert. Poett. Reliqu. p. 25.) pueris praelegebatur, etsi multa ver-

fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur: est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Attius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarenti scripsit Livium, annis

C. Claudio] Sic cum ed. pr. Wetzelius probante Orellio in Onomastico v. *C. Claudius Cento* p. 153. et *Livius Andronicus* p. 357. Neque aliter in Fastis Capitolinis legitur. Vulg. *Clodio*. In Tuscul. I, 1. *Serius poeticam nos accepimus. Annis enim fere DX. post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio Caeci filio M. Tuditano coss., anno ante natum Ennium; qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius.* Cf. Cat. 14. Accedit Gell. XVII, 21: *Consulibus Claudio Centone, Appii Caeci filio, et M. Sempronio Tuditano primus omnium L. Livius poeta fabulas docere Romae coepit. Claudium et Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius et C. Manilius: quibus natum esse Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit.* Cassiodorius in Chronico: *His coss. ludis Romanis* (XVI—XIII. Kal. Octob.) *primum tragoedia et comoedia a L. Livio ad scenam data.* Consules illi erant a. 514.

consulibus] *consules* ed. pr. Item §. 73.

quartodecimo et quingentesimo] Sic omnes libri, aerae Varronis accommodate, quam Atticus et Cicero secuti sunt. Osannus igitur frustra, opinor, tentabat in Analectis p. 50. *tertio decimo quingentesimo*, peius etiam Duentzerus in Livio Andronico p. 5. *decimo et quingentesimo*. V. Madvig. Opusc. p. 109. et Orellius in Onomastico s. v. *Livius Andronicus*.

Attius] *Actius* ed. pr. *Accius* ut solent edd. vett. quaedam. Hodie praeferri coeptum *Attius:* v. Schneid. Elem. II. p. 444.

Tarenti] Codd. et ed. pr. *Tarento*.

ba vixdum intelligi poterant. Fabulae quoque non multo post ab Naevio et Plauto obscurabantur, quorum sermo minus erat rudis et impolitus. L. Livii Andronici Fragmenta collecta et illustrata ed. Duentzer, Berol. 1835.

fabulam — docuit] Quid sit docere fabulam exposuit Böttigerus in Opusculis p. 284. sqq.

ut hic ait] Atticum intelligit, qui in hac re ab Varronis aera non discedit. Vide nos in c. 3, 14. coll. 15, 60. Fallitur enim Clintonus in Fast. Hellen. Vol. III. p. XIX. et in a. 240. arbitratus ipsum Varronem significari.

Attius] L. Attius, tragoediis ille clarus, libros Didascalicon reliquit, in quibus de poesi scenica exposuit historiamque poetarum scenicorum cum Graecorum tum Latinorum adiecit. In his ergo vitam Livii Andronici enarravit; item ut ex eorum fide infra c. 64. Pacuvii fit mentio. De quibus non opus est amplius disserere, cum egregia *de L. Attii Didascalicis* commentatio in Opusculis Madvigii p. 87. sqq. extet. Is confutavit etiam Osanni repertum, qui negans in Analectis p. 60. ab Attio poeta tale scriptum esse compositum, Ateio philologo tribueret eiusque nomen, sicubi Didascalicorum fieret mentio, restitueret; cuius in sententiam olim plures transierant.

Q. Maximo quintum consule] A. 545. (209.)

xxx. post quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus: 73. docuisse autem fabulam annis post xi. C. Cornelio, Q. Minucio consulibus ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. in quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus xl. annos natus Ennius fuerit: cui si aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius. XIX. 74. Haec si minus apta videntur

73. Iuventatis] *Luentatis* ed. pr. unde *Luctatiis* edd. vett. ante Victorium.

cui cum aequalis] *si* quod Schneiderus desiderarat, ex ed. pr. recepi. Id argumentationis lex poscebat.

in antiquis commentariis] Vide quae dicta sunt in c. 15, 60. *His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus.* Annales maximos intelligebat etiam Osannus; at Madvigius p. 109. libros magistratuum, qui ludos edebant, unde ductas opinatur Didascalias Terentianas. [Coniectura speciosa, sed vereor ut probabilis. Nam praetores si ludos scenicos edidissent, praetorum saltem libri praesto fuissent. Nunc illam curam ad aedilium curulium munera constat pertinuisse, quorum extabant non commentarii varia doctrina referti, sed edictum aedilicium de rebus promercalibus ac publica disciplina proponi solitum, quod nullam eruditis materiam suppeditaret.]

73. annis post xi.] Verisimilis est emendatio Wetzelii *xii.* Nam C. Cornelius Cethegus, Q. Minucius Rufus coss. erant a. 557. (197.) Iam ab anno 545. ad 557. numerantibus efficiuntur duodecim.

Salinator] M. Livius Salinator iterum consul a. 547. (207.) ad Senam cum collega Nerone Hasdrubalem profligavit: de quo Livius sub finem l. XXVII. (Clinton. Fast. Hellen. in a. 557.) et quam aedem Iuventatis voverat, eam sedecim annis post censor locandam curavit, Liv. XXXVI, 36. ubi vide deae nomen et religiones doctis interpretibus illustrata.

tantus error Attii] Livium Andronicum capto Tarento Romam venisse constat, et quidem anno 482. (272.), cum L. Papirio consuli urbs illa dederetur, non anno 545. cum a Fabio Cunctatore expugnaretur. Haec autem Attii ratio vera si *fuerit* (h. e. si fuisse ponimus), Livius non antiquissimus poetarum habendus, sed multo etiam iunior Naevio, Plauto, Ennio.

xl. annos] Vel potius xlii. Tot enim annos, qui a. 515. natus esset, Cethego et Minucio coss. a. 557. Ennius agebat. Cf. Clinton. Fast. in a. 557.

et Plautus et Naevius] Constat enim Naevium primam fabulam a. 519. (235.) docuisse; Plautum vero iam ante a. 538. comoedias scripsisse, probabiliter collegit Windischmannus Didascaliis Plautinis in Welckeriani Musei Rhenani Vol. I. editis, p. 120. sq. Accedit quod Naevius diem obiit a. 550. qui senex bellum Punicum scripserat: ut verisimile sit natum eum fuisse circiter a. 480. Contra Plautus diem obiit item senex a. 570. (184.), ita ut circiter a. 490. (264.) natum esse coniiciam. Multas eum fabulas docuisse firmabat opinio vulgi, centum et triginta Plauto tribuentis.

huic sermoni, Brute, Attico assigna, qui me inflammavit studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi. Ego vero, inquit Brutus, et delector ista quasi notatione temporum, et ad id, quod instituisti, oratorum genera distinguere aetatibus, istam diligentiam esse accommodatam puto. 75. Recte, inquam, Brute, intelligis: atque utinam extarent illa carmina, quae multis seculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius, quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. 76. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior: qui si illum, ut simulat, contemneret, non

C. 19. 75. annumerat] Sic ed. pr. Pro Roscio c. 32, 82. *Ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer.* Ovid. Trist. V, 4, 20. *cuius se quoque in exemplis annumerare solet.* [Adde Heroid. XVI, 328. Significat ea structura locum inferiorem et secundarium, quem homini levioris existimationis concedimus. Itaque facili opera refellitur *enumerat* Edd. vulgg. propagatum, quod ad ordinem et varietatem rerum similium nec diversis gradibus secretarum spectat: v. Oudend. in Suet. Aug. 70.] Etiam c. 32, 123. *numera me in plerisque* Schützius reddebat *annumera.* Hic tamen Orellius *numerat.*

bellum Punicum] *bello Punico* ed. pr.

C. 19. 74. [ista quasi notatione temporum] Modestiam simulans interposuit *quasi*, quo notationem innueret non ad severitatem et compositos doctorum chronographorum calculos exigendam esse, sed nunc ipsum ingenio ludenti neque iustam operam praemeditanti excidisse. Itaque dixit quasi notationem, quod haberi voluit periculum vel specimen computationis. Haec enim particula substantivis aliquantum detrahit dignitatis, ut minuti vel arbitrarii quid intelligatur et quod vanam speciem prae se ferat. Ut Or. I, 54. *Erat enim Athenis reo damnato — quasi poenae aestimatio: eine ungefähre Schätzung.* De Nat. D. II, 12. *Platonem, quasi quendam deum philosophorum: einen kleinen philosophischen Gott.* Similiter infra §. 87. Sed usus istius varietates alibi commodius persequemur.]

75. illa carmina] His carminibus rerum Romanarum memoria diu propagata est, ex quibus ipsam historiam antiquissimorum temporum maximam partem esse conflatam Niebuhr. T. I. p. 268. contendebat. [Iusto tamen calidior coniectura: v. Hist. litt. Rom. pp. 16. 71.]

illius] Naevii, quem Ennius vatibus et Faunis annumeravit, quia pariter Saturnio numero carmina conficiebat. Ceterum extabant Marciorum *vatum* duo volumina carminum (Macrob. Sat. I, 17.); Oracula porro Faunorum nomine inscripta (cf. Hartung *die Religion d. Römer* T. II. p. 186.). [Adde Hist. litt. Rom. p. 69.]

quasi Myronis opus] Respicit ad c. 18, 70. *nondum Myronis signa satis ad veritatem adducta: iam tamen, quae non dubites pulchra dicere.*

omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. sed ipse dicit, cur id faciat, *scripsere, inquit, alii rem Versibus:* et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus quam tu polite. nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel si negas, surripuisti.

77. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, qui cum superiore Africano consul fuit.

76. debet] deest ed. pr.

76. reliquisset] Ennius primum bellum Punicum in Annalibus brevius quam reliqua descripsit, ita tamen, ut multa Naeviana suum in laborem traduceret. Quod si Naevium contempsisset, nec sumpsisset ab eo quicquam, nec fines carminis contraxisset. Nam errant, qui collegerunt ex hoc loco, prorsus ab Ennio praeteritum fuisse Punicum bellum primum: quippe cuius in Annalium fragmentis extent multa indicia, in eoque liber septimus est versatus. Exposuit Krause *Röm. Litt.* p. 68.

sumpsisti] Supplebat *mutuo* Ruhnken. in Terent. Phorm. II, 1, 69. Nihil opus. [Ceterum notabilis et nisi fallor singularis etiam Ciceronis vox, qui Naevii dictiones vel sententias pronunciet Ennium suos in usus convertisse.]

77. C. Flaminius] C. 14. Ibidem memoravit Q. Fabium Maximum et Q. Metellum.

C. Varro] C. Terentius Varro homo seditiosus eloquentia tantum ad populum valuit, ut ad summos honores perveniret: qui consul factus a. 538. apud Cannas culpa sua rempublicam in discrimen adduxit. Livius XXII, 26. *C. Terentius Varro loco non humili solum sed etiam sordido ortus. patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filioque hoc ipso in servilia eius artis ministeria usum. Is iuvenis, ubi ex eo generis quaestus pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris fortunae fecit, togaque et forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus causisque adversus rem et famam bonorum primum in notitiam populi, deinde ad honores pervenit.* [Appianus Annib. 17. *ὑπάτους τε αἱροῦνται, ἐκ μὲν δόξης πολεμικῆς Λεύκιον Αἰμίλιον —, ἐκ δὲ δημοκοπίας Τερέντιον Οὐάῤῥωνα, πολλὰ αὐτοῖς ἐκ τῆς συνήθους δοξοκοπίας ὑπισχνούμενον.*]

P. Lentulus] P. Cornelius Lentulus Caudinus cons. a. 518. (236.) Wetzelius cogitabat etiam de consule a. 533. ignorans illum fuisse P. Cornelium Scipionem Asinam.

P. Crassus] P. Licinius Crassus Dives et P. Cornelius Scipio Africanus maior coss. a. 549. (205.) Livius XXX, 1. *P. Licinius nobilis idem et dives erat, forma viribusque corporis excellebat. Facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in senatu ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset; iuris pontificii peritissimus.* Cf. Henrichsen. in Cic. de Orat. III, 33. Huius multis locis meminit Livius. XXV, 5. *Comitia pontifici maximo creando sunt habita.* (a. 542.) *tres ingenti certamine petierunt, Q. Fulvius Flaccus consul et T. Manlius Torquatus et P. Licinius Crassus. Hic senes honoratosque iuvenis in eo certamine vicit. ante hunc intra cxx. an-*

Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. indicant cum oratiunculae, tum historia quaedam Graeca scripta dulcissime. XX. 78. Numeroque eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem civilis omnium pe-

C. 20. 78. Aelius] *Elius* ed. pr.

nos nemo praeter P. Corn. Calussam pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non sedisset. XXVII, 5. *Ab Q. Fulvio dictatore P. Licinius Crassus pontifex maximus magister equitum dictus.* (a. 544.) ib. c. 6. *Censores hic annus* (544.) *habuit L. Veturium Philonem et P. Licinium Crassum maximum pontificem. Crassus Licinius nec consul nec praetor ante fuerat quam censor est factus.* ib. c. 21. *Postero die praetores creati P. Licinius Crassus dives, pontifex maximus, P. Licinius Varus, Sex. Iulius Caesar, Q. Claudius Flamen.* (a. 546.) et c. 22. *Ceterae provinciae ita divisae praetoribus. P. Licinio Varo urbana, P. Licinio Crasso pontifici maximo peregrina.* XXVIII, 38. *Centuriae omnes ingenti favore P. Scipionem consulem dixerunt. collega additur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus.* a. 549. XXX, 1. *P. Sempronius P. Licinio succederet: is Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea tempestate instructior civis habebatur congestis omnibus humanis a natura fortunaque bonis. Nobilis idem ac dives erat, forma viribusque corporis excellebat; facundissimus habebatur,* etc. Eundem a. 571. mortuum scribit XXXIX, 46. Fugit Drakenborchium, Crassum inter oratores a Cicerone numerari.

Ipsum Scipionem] Africani maioris etsi nulla ingenii monumenta litteris mandata Cicero de Offic. III, 1. tradit extare, oratio tamen in Naevium tribunum pl. ferebatur. V. Oratt. Rom. Fragm. p. 5—7.

non infantem] C. 23, 90. *Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest.* c. 26, 101. *Fannii historia neque nimis est infans neque perfecte diserta.*

Filius eius] P. Cornelius Scipio, qui diutius si vixisset, alterum extitisset lumen civitatis: ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Verba sunt Cic. Cat. c. 11. Eidem vigorem eloquentiae paternae tribuit Velleius I, 10. Extat in eum inscriptio Saturnio metro composita, Antholog. Lat. T. I. p. 3.

historia q. Graeca] *historia quaedam Graece scripta dulcissime* Orellius. Sed in commentariis editam scripturam tuetur altero loco, Tuscul. V, 38, 112. *Cn. Aufidius Graecam scribebat historiam.* [Historiam illam Graece de rebus Romanis scriptam fuisse recte contendit Kraus. Fragm. histor. p. 83. usus Acilii Glabrionis exemplo, quem constat eandem rationem tenuisse.]

C. 20. 78. Sextus Aelius] S. Aelius Paetus Catus consul a. 556. (198.) De eo Pomponius de Orig. Iur. c. 3. *Sextum Aelium etiam Ennius laudavit, et extat illius liber, qui inscribitur Tripertita, qui liber veluti incunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege XII. tabularum praeposita iungitur inter-*

ritissimus, sed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem C. Sulpicius Gallus, qui maxime omnium nobilium Graecis litteris studuit, isque et oratorum in numero est habitus, et fuit reliquis rebus ornatus atque elegans. iam enim erat unctior quaedam

qui maxime] *qui* om. cd. pr. censebatque delendum Ernestius. [Pronomen supra per fraudem insertum c. 18, 72. Nolim tamen id removeri, cum et oratio facillime patiatur se praegressis adiungi *numero eodem fuit*, et primarius sensus, qui versatur in oratoria laude Galli, perperam obscuretur, si studiis eius litterarum Graecarum subiiciatur accessionis loco.]

in numero] *in* om. ed. pr.

unctior quaedam] Ernestius Lex. Techn. luculenta metaphora sensit unctam consuetudinem loquendi vocari, quae nitorem et elocutionis quandam elegantiam suavitatemque asciverit relicto antiquitatis squalore: nam ex veterum quidem vivendi sentiendique ratione visos esse, qui corpus ungere solerent ac diligenter curare, elegantiam morum sectari. Orellius tamen, cum Cicero nusquam hac translatione utatur, dubitanter coniecit *lautior*. [*Lautam consuetudinem loquendi* non magis usus celebravit quam *unctam* illam et unguentis quasi delibutam. Sed videor mihi perspexisse, quid Cicero secutus sit, nec facile patiar ei venustum figurae lumen eripi. Nam qui totum ornatum delicatorum hominum ad orationem traduxit Orat. 23. — *sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat.* — *Tum removebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur. fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur:* nonne formam dicendi molliorem et ab horrore tristis impexaeque antiquitatis (quae voces sunt Dial. de Oratt. 20.) recedentem potuit *unctiorem* appellare, hoc est, pigmentis fucoque paulum illitam atque suaviter fragrantem? Accedit etiam illustris locus ad Att. II, 1. *quamquam tua illa ... horridula mihi atque incompta visa sunt; sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, et ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas*

pretatio, dein subtexitur legis actio. Eiusdem esse tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant eiusdem esse. Eiusdem libri mentionem fecit Cic. de Orat. I, 56. Legg. II, 23. Tertia libri pars, quae legis actione constabat, ab aliis *actiones* vel ius Aelianum nominatur: totum enim librum hoc nomine significari nego. [V. Zimmern. I. p. 269.]

C. Sulpicius Gallus] Is consul fuit a. 588. (166.) Infra c. 23. *Galba C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimi patris.* Qui locus docet C. Sulpicium Gallum ante a. 605. quo anno Galba causam dixit, excessisse vita. Is de solis ac lunae defectu volumen composuit, teste Plinio II, 12. cf. Cic. de Rep. I, 14. 15. Sed fallitur, qui historiam Romanam ab eodem conditam scribit, Harduinus in Indice Plinii, deceptus pristina Plutarchi scriptura Romuli c. 17. ubi iam legitur, ὡς Ἰόβας φησὶ Γάλβαν Σουλπίκιον ἱστορεῖν.

splendidiorque consuetudo loquendi. nam hoc praetore ludos Apollini faciente cum Thyesten fabulam docuisset, Q. Marcio Cn. Servilio consulibus mortem obiit Ennius. 79. Erat iisdem temporibus Ti. Gracchus P. F. qui bis consul et censor fuit, cuius est oratio Graeca apud Rhodios: quem civem cum gravem tum etiam eloquentem constat fuisse. Publium etiam Scipionem Nasicam, qui est

ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. Nec pauca de eodem genere Graeci rhetores suppeditant, quorum angulos cum nunc ipsum perreptare non vacet, satis habemus admonuisse Dionysii de C. V. 23. p. 342. *σχήμασί τε οὐ τοῖς ἀρχαιοπρεπεστάτοις, οὐδ᾽ ὅσοις ἢ σεμνότης τις ἢ βάρος ἢ πῖνος πρόσεστιν, ἀλλὰ τοῖς τρυφεροῖς καὶ μαλακοῖς ὡς τὰ πολλὰ χρῆσθαι φιλεῖ· ἐν οἷς πολὺ τὸ ἀπατηλόν ἐστι καὶ θεατρικόν.* Et c. 25. p. 406. *ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν.* Similiter dictum *lautus* comparabat Gesner. in Plin. Epp. II, 5.]

splendidiorque] *et splendidior* ed. pr.

hoc praetore] Sulpicius Gallus a. 585. (169.) praeturam gessit. Ludi autem Apollinares, qui Iulio mense celebrari solebant, ab initio praetoribus mandabantur. [His non optime convenire videtur cum Suetonii Vita Terent. 4. *Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, — quam Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum.* Ubi consulares istos ludos, qui nulli nec fuerunt neque dicebantur, parum expedierunt interpretes; nec quicquam huiusmodi memoravit Livius XLV, 44. de Galli consulatu tradens. Non explicatione quidem, sed critica manu videtur locus indigere, similitudine litterarum perturbatus, cum vetus extitisset scriptura haec: *homine docto et consulari, qui Apollinaribus ludis initium* etc. Firmant verba continua: *vel Q. Fabio Labeone et M. Popillio, consulari utroque et poeta.* Thyesten vero Columna, motus ipso contextus tenore, recte intellexit Ennianam: Thyestam enim constat etiam Pacuvium docuisse.]

obiit Ennius] Q. Marcio Philippo II. Cn. Servilio Caepione coss. a. 585. Adde Caton. 5, 14. *Ennius Caepione et Philippo iterum consulibus mortuus est — annos LXX. natus: tot enim vixit.* Hieronymus in Chronico eius obitum in Olymp. 153, 1. i. e. a. 586. rettulit: *Ennius poeta septuagenario maior articulari morbo periit.*

79. Ti. Gracchus] Consul a. 577. (177.) et 591. idemque censor a. 585. Huius praeter orationem in senatu Rhodiorum habitam ferebatur oratio pro Scipione superiore: v. Oratt. Rom. Fragm. p. 4. et Henrichsen. in Cic. de Orat. I, 9.

apud Rhodios] Rufinianus p. 199. *Cato apud Athenienses*, ubi Ruhnkenius corrigebat *ad Athenienses*, sed mox retractans p. 276.

P. Scipionem Nasicam] P. Cornelius Scipio Nasica Corculum cos. a. 592. (162.) et 599. idemque censor a. 594. Extabant eiusdem litterae Graecae de bello Persico, cui ipse interfuit. Plut. P. Aemil.

Corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, habitum eloquentem, maioris illius qui sacra acceperit filium, dicunt: etiam L. Lentulum, qui cum C. Figulo consul fuit: Q. Nobiliorem M. F. iam patrio instituto de-

79. eloquentem + illius] Locus corruptus. *eloquentem maioris illius qui sacra acceperit filium: dicunt* ed. pr. *eloquentem M. alium illius qui sacra acceperit filium dicunt* cod. B. *eloq. m. aliunt illius q. s. a. f. dicunt* A. C. *eloq. inde aiunt illius q. s. a. f. dicunt* D. Apparet lectionem editionis pr. minus corruptam esse quam ceteros codicès. *eloquentem, M. alium, illius qui sacra acceperit, filium,* oratione perversa, edd. vulgg. Schützius conìectabat: — *consul et censor fuit, P. illius, Idaeae matris qui sacra accepit, filium, habitum eloquentem.* Lenior Orellii emendatio: *eloquentem, illius, matris deum qui sacra acceperit, filium dicunt.* Quae profecto veritati proxima foret (nam probabile videtur in *maioris* latere *matris deum*), si iusto verborum positu commendaretur. Ceterum illum Scipionem, qui cognomen meruit *optimi*, sacra matris deum solenni ritu a. 550. accepisse docet Liv. XXIX, 14. [Equidem, nullo temeritatis periculo, religioni duxi veterem contestatamque scripturam *maioris* aspernari. Nec brevitatem licet obiicere, cum Scipio Nasica is, quem inter eloquentes recenset Cicero, cognominem patrem habuerit. Unum tamen displicet *dicunt*, quod vehementer friget ab oratione superiore divulsum; ut suspicio sponte nascatur recens accessisse *habitum eloquentem dicunt*, cum fugeret librarios e praegressis facile asciscì, *eloquentem constat fuisse.*]

C. Figulo] *G. Figulo* ed. pr. Ubi mox *patris.*

15. *αὐτὸς ὁ Νασικᾶς φησι γεγραφὼς περὶ τῶν πράξεων τούτων ἐπιστόλιον πρός τινα τῶν βασιλέων.* [De huius patre v. Zimmern. I. §. 74.]

L. Lentulum] L. Cornelius Lentulus Lupus, C. Marcius Figulus II. coss. a. 598. (156.) Tuscul. III, 21, 51. *Quid enim? de bello Punico agitur: de quo ipso cum aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio unquam fuit.* Cf. Drumann. T. II. p. 528.

Q. Nobiliorem] Q. Fulvius Nobilior, T. Annius Luscus coss. a. 601. (153.)

patrio instituto] M. Fulvius Nobilior cos. a. 565. (189.) cum expeditionem adversus Aetolos susciperet, comitem secum duxit Q. Ennium; de iis a. 567. triumphavit, Musisque templum dedicavit, postquam ex Ambracia Musas, quas Zeuxis pinxerat, Romam transtulerat: v. Plin. Hist. XXXV, 10. init. P. Archia c. 11. *Iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis dedicare.* Servius in Virg. Aen. I, 8. *Musis Numa aediculam aeneam brevem fecerat, quam postea de coelo tactam et in aede Honoris et Virtutis collocatam Fulvius Nobilior in aedem Herculis transtulit, unde Herculis Musarum appellatur.* Idem Fastos scriptos reliquit, eosque in aedem Herculis Musarum rettulit. Macrob. Sat. I, 12. *Fulvius Nobilior in Fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in maiores iunioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis rempub. tueretur, in honorem utriusque partis hunc*

ditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniam deduxisset: et T. Annium Luscum, huius Q. Fulvii collegam, non indisertum dicunt fuisse. 80. Atque etiam L. Paullus Africani pater personam principis civis facile dicendo tuebatur; et vero etiam tum

80. et vero] *at vero* ed. pr. Mutavit Lambinus.

mensem Maium, sequentem Iunium vocasse. Adde I, 13. Iidem Fasti a Caelio Antipatro, qui a. 630. floruit, apud Charisium p. 112. nominantur: *Nobiliore. Caelius ait per i. Publicatos quippe fastos omnes et libros a Fulvio Nobiliori scripta* (scriptos) *rettulisse.* Eodem spectant Varro de lingua lat. p. 213. ed. Speng. (VI, 33.) *Mensium nomina sunt aperta fere. nam primus a Marte, secundus, ut Fulvius et Iunius scribunt, a Venere, quod ea sit* Ἀφροδίτη, et Ioannes Lydus de Ostentis p. 62. His Censorinum addit Krausius Fragm. Histor. p. 126. cf. Petersen. De Origin. Hist. Rom. p. 37.

cum triumvir coloniam] Liv. XXXIX, 44. *Eodem anno* 570. (184.) *coloniae duae, Potentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum deductae sunt. Sena iugera in singulos data. Diviserunt agrum coloniasque deduxerunt iidem tresviri Q. Fabius Labeo et M. et Q. Fulvii, Flaccus et Nobilior.* Populus autem Romanus iis, qui ad colonias civium deducendas creati essent, interdum permisit, ut peregrinos civitate donarent. V. Madvig. de iure et conditione coloniarum P. Rom. p. 253.

T. Annium Luscum] Consulem a. 601. (153.) Extabat eiusdem adversus Ti. Gracchum oratio, cuius locum attulit Festus v. Satura. Livii Epit. LVIII. *Tot indignitatibus* (dicit leges Ti. Gracchi) *commotus graviter senatus, ante omnes T. Annius consularis, qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum delatusque plebi rursus in eum pro rostris concionatus est.* Eandem rem diserte narrat Plutarchus Tib. Gracchi c. 14.

80. L. Paullus] L. Aemilius Paullus consul a. 572. et 586. (182. 168.) Huic eloquentia quaedam naturalis inerat, artem contempsit. Plut. Aemil. 2. οὔτε γὰρ λόγον ἤσκει περὶ δίκας. Extabat eius oratio, quam de rebus a se gestis paucis diebus post triumphum a. 587. ad populum habuit, quamque Plutarchus adumbravit c. 36. Cf. Oratt. Fragm. p. 92. Itaque iure Scipioni, Paulli filio, laudem eloquentiae tribuit Cicero, qua dicit eum patris bellicam gloriam cumulasse Offic. I, 32.

personam] C. 45. *satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam et consularem dignitatem tueretur.*

principis civis] Cives principes dicuntur, qui reipubl. praesunt, eiusque muneribus laboribusque totos se dedere; qui Graecis sunt οἱ πολιτικοί, nobis *Staatsmänner.* Tuscul. I, 15, 34. *Loquor de principibus. quid poetae?* De Offic. III, 18. *num erat aequum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil praeter nomen venire?* [Tenendum tamen proprietatem formularum *principes cives, principes civitatis* potissimum ad eos senatores spectare, qui gloria munerum ac rerum gestarum locum tuerentur primarium: cf. Wesseling. Obss. I, 8. Wernsd. in Rutilii Itin. I, 13.]

Catone vivo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit. XXI. 81. Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. nam et A. Albinus, is qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et litteratus et disertus fuit: et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius, et una Ser. Fabius Pictor, et iuris et litterarum et antiquitatis

C. 21. 81. Ser. Fabius] *Q. Fabius* ed. pr.

contra Ser. Galbam] L. Scribonius Libo tribunus pl. rogationem promulgavit, ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti a Ser. Galba praetore in Gallia venissent, in libertatem restituerentur, eamque M. Cato acerrime suasit a. 605. V. Livii Epit. XLIX. Oratt. R. Fragm. p. 58. Eandem causam attigit Cicero de Ser. Sulpicio Galba c. 21. tradens. Prooemium Catonis ex Originum libro septimo decerpsit Gellius XIII, 24.

C. 21. 81. Sed vivo Catone] Haec tria verba non addidisset, nisi parenthesin illi *et vero etiam tum Catone vivo* interposuisset. Cf. Zumpt. p. 596. et vide c. 37, 140. et 43, 161. [Nullus si quid video locus huic observationi. *Sed*, hoc est, *ceterum*, indicium facit orationis ad finem deductae, cui cumulus quidam accessionis vel memorabilis observatio paratur. V. de Legg. II, 23, 58. et disertiores Taciti locos Ann. III, 62. VI, 7. Item Cicero cum grandiores minoresque natu recensuisset, qui cum Catone laudem aliquam facundiae tulissent, praeter illos monet iuniores etiamtum vivo Catone haud paucos numero fuisse, qui eandem in societatem studiorum venissent, omnium tamen praestantissimos Laelium, Africanum, Galbam.]

A. Albinus] A. Postumius Albinus et L. Licinius Lucullus coss. a. 603. (151.) Albinus res Romanas oratione Graeca scripsit: de qua Catonis iudicium celebrarunt Polybius XI, 6. Plutarchus Cat. 12. et Gellius XI, 8. Adde Cic. Academ. II, 45. Hunc Albinum Krausius Histor. Fragm. p. 127. sqq. recte tam ab eo, qui Latino sermone rerum Romanarum libros annales confecit (v. Macrobium Sat. II, 46.), quem eundem fuisse Clintonus Fast. in a. 603. opinatur, quam ab eo distinxit, cuius ex epico carmine Priscianus T. I. p. 305. ed. Kr. fragmentum rettulit, quod in triumphis Pompeii Magni versatur: v. Pighius Annal. T. III. p. 345.

Ser. Fulvius] Servius Fulvius Flaccus cos. a. 619.

Servius Fabius Pictor] Servius ille a Q. Fabio Pictore, historico omnium antiquissimo, qui post pugnam Cannensem Delphos legatus a. 538. mittitur, probe distinguendus: fuit autem quaestor a. 599. et praetor a. 609. Ad eundem arbitror *libros iuris pontificii* referendos esse, quorum primum Macrob. Sat. III, 2., Nonius p. 518. tertium proferunt, ex quibus etiam sumptum puto, quod est apud Servium in Georg. I, 21. *Fabius Pictor hos deos enumerat.* Eodem referendus Nonius p. 544. et *Fabius Pictor lib. XVI. Aquam manibus pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua;* et p. 223. *Varro: Commentario ve-*

bene peritus, Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus. Nam Q. Metellus, is cuius quattuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit accusante Africano; cuius et aliae sunt orationes, et contra Ti. Graechum exposita est in C. Fannii annalibus. 82. Tum ipse L. Cotta veterator ha-

Quintusque Fabius] *Q. quoque Fabius* ed. pr.
exposita est] Intellige, exposita extat: nam displicuit Schützio *est*.

teri Fabii Pictoris legi: muries fit ex sale, quod sale sordidum fustum est et in ollam rudem fictilem adiectum est, et postea id sal virgines Vestales serra ferrea secant. Porro Gellius I, 12. X, 15. Is cum deinde *antiquitatis bene peritus* dicatur, huic potissimum tribuamus verba Festi p. 216. ed. Lind. *Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor.* Eundem res gestas Romanorum (?) scripsisse apparet ex Nonii loco p. 518. ubi praeter alia habet: *Fabius Pictor rerum gestarum libro primo: Et simul videbant picum Martium.* Ceterum v. Kraus. Fragm. Histor. p. 132—37.

Quintusque Fabius Labeo] Cos. a. 571. (183.) Suetonius in V. Terentii c. 4. *Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam Sulpicio Gallo — vel Q. Fabio Labeone et M. Popillio, consulari utroque et poeta.* Fabii quidem carminum nihil quod sciam extat; Popillii tamen versus trimeter superest apud Varronem de L. L. p. 870.

Q. Metellus] Q. Caecilius Metellus triumphavit a. 608. (146.) ex Macedonia, unde cognomen accepit Macedonici. Consul fuit a. 611. Censor a. 622. orationem habuit de prole augenda, quam error Gellii I, 6. Metello Numidico tribuit: v. Oratt. Fragm. p. 95. Clinton. Fast. T. III. p. 450. Drumann. T. II. p. 20. Metelli fortunam (v. Davis. in Tusc. I, 35.) auxerunt quattuor filii consulares: Q. Caecilius, Balearicus cognominatus (cos. a. 631.), L. Caecilius, Diadematus (non *Dalmaticus*, v. Drumann. ib. p. 22.) dictus (cos. a. 637.), M. Caecilius (cos. a. 639.), C. Caecilius, Caprarius (cos. a. 641.). In republica inimicitias ita cum Scipione minore exercebat, ut L. Aurelium Cottam, quem ille cum aliis multis gravibusque nominibus accusarat, tum propter avaritiam iniuriasque sociorum reum fecerat, defenderet. [Dissensiones inter Metellum et Africanum agitatas tetigit Cic. de Rep. I, 19. cf. Heind. in Hor. Serm. II, 1, 67.] Idem Tib. Gracchi legibus agrariis acriter restitit.

82. L. Cotta] L. Aurelius Cotta tribunus pl. a. 600. in quo magistratu mali moris eum documentum dedisse Valerius Max. VI, 5, 4. narrat. Consul a. 610. (144.) cum Ser. Sulpicio Galba. Idem Valerius VI, 4, 2. *Cum ii consules in senatu contenderent, uter adversus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter patres conscriptos dissensio esset: neutrum, ait Scipio Africanus, mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis.*

bitus: sed C. Laelius et P. Africanus in primis eloquentes, quorum extant orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest. Sed inter hos aetate paulum his antecedens sine controversia Ser. Galba eloquentia prae-

82. sed C. Laelius] *sed et C. Laelius* ed pr.
de ingeniis oratorum] I. e. eorum tanquam oratorum, Orellio interprete: *de ingeniis eorum* Ernestius, quem alii secuti sunt. [Recte videtur Orellius sensisse, quamquam quibus utitur verbis *in oratore Galba* §. 91. eorum diversum est consilium. Sed apparet non satis esse nudum *de ingeniis eorum*, cum Laelius et Scipio summa doctrinae ingeniorumque laude floruerint, nisi facultatem etiam oratoriam agnoscamus.]

C. Laelius] Is praetor a. 609. et Romae clarus est habitus, et in Hispania citeriore bellum Viriaticum fregit. Consulatum gessit a. 614. (140.) Erat autem studiis litterisque maxime deditus, sermone usus leporis vetusti paulum retinentiore, cuius specimen extat apud Schol. Vatic. Milon. 7, 2. Eius orationes pauci memorant: v. Oratt. Fragm. p. 96. sqq. In praetura legem C. Licinii Crassi de sacerdotiis, qui cooptationem collegiorum in populum transferebat, oratione de Collegiis habita reppulit. Deinde a. 616. in causa publicanorum duas actiones habuit: v. infra c. 22. A. 623. legem Papiriam de tribunis plebis reficiendis dissuasit. Item orationem pro se ad populum dixit, a Gracchis, opinor, a. 623. vel 625. reus factus. Duas praeterea laudationes P. Africani minoris scripsit.

P. Africanus] P. Cornelius Scipio Aemilianus Africanus minor natus a. 569. (185.) Appio Claudio Pulchro, M. Sempronio Tuditano coss. decessit anno aetatis quinquagesimo sexto C. Sempronio Tuditano, Manio Aquilio coss. a. 625. V. Clinton. Fast. in a. 625. Ochsner. in Cic. Eclog. p. 297. Consulatus gessit a. 607. et 620. Vir rebus gestis et ingenio praestantissimus, qui bellicam laudem feliciter cum artibus humanitatis, inprimis cum studiis litterarum Graecarum sociavit. Orationes eius gravitate sensuum splendebant atque luminum frequentia (v. Oratt. Fragm. p. 101. sqq. et Westerm. p. 74.): quarum indicem posuimus. 1. De rebus gestis suis, postquam ex Africa rediit, a. 608. 2. Pro rostris, cum censor creatus erat, a. 612. 3. Quam censor habuit ad populum de moribus, a. 612. 4. Quam censor habuit adversus P. Sulpicium Gallum, a. 612. 5. Quam censor habuit pro aede Castoris, a. 612. 6. Pro se contra Ti. Asellum de multa, a. 615. 7. De imperio Decimi Bruti, a. 616. aut 619. 8. Contra legem C. Papirii Carbonis a. 623. 9. Accusatio C. Papirii Carbonis a. 623. 10. Contra legem iudiciariam Ti. Gracchi a. 621. nisi praestat orationem contra legem agrariam C. Gracchi accipere a. 625. 11. In L. Aurelium Cottam.

Ser. Galba] Servius Sulpicius Galba tribunus militum in bello Macedonico fuit, et laudes detrectavit L. Aemilii Paulli imperatoris a. 587. (167.) Liv. XLV, 37. *Ser. Galba in L. Paullo accusando tirocinium ponere et documentum eloquentiae dare voluit.* In praetura a. 603. male adversus Lusitanos pugnavit: Liv. Epit. XLVIII. Tum L. Scribonius tribunus pl. a. 605. rogationem promulgavit, ut Lusitani, qui in fidem populi Rom. dediti a Ser. Gal-

stitit: et nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sunt, et redolentes magis antiquitatem quam aut Laelii aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque exaruerunt, vix iam ut appareant.

83. De ipsius Laelii et Scipionis ingenio, quamquam ea est iam, ut plurimum tribuatur ambobus, di-

egrederetur] Item ed. pr. *degrederetur* Lamb. [Debuit ille *digrederetur*. Sed recte se habet editum: nam latius patuit *egressus* sive *egressio*, hoc est, alicuius rei, sed ad utilitatem causae pertinentis, extra ordinem posita tractatio, quae permovendis in affectibus callide versaretur (v. Quintil. IV, 3, 12. 15.); *digressiones* autem solebant intra historicas descriptiones et expositiones paulum ornatiores subsistere.]

ut permoveret — rem] *aut permoveret aut ageret rem* ed. pr.

ipsius Catonis] *ipsius* om. ed. pr.

exaruerunt] Sic edd. vett. I. e. rarescunt. *evanuerunt* Purgoldi commentum Schützius probavit, simplicius illud quidem, sed reiiciendum, quod eodem redeant sequentia *vix iam ut appareant*, vidit Orellius.

83. quamquam ea est] Sic ex cod. D. Orellius: ut revocandum ad *ea* sit ex altero membro *laus*. Offensionem si quam habet *laus de ingenio*, de laude ingenii dictum, satisfaciet F. A. Wolfius in Taciti Ann. I, 12. *addidit laudem de Augusto*. [Is tamen verbo structuram illam perstrinxit, ac ne si copiosissime quidem exposuisset (interim v. Walch. in Taciti Agric. p. 311.), contendi liceret Ciceronianum locum. Sed distinxi post *ingenio*, ut principium orationis liberum esset ab reliquorum nexu.] Elegantiam dictionis oblitteravit ed. pr. *De ipsius Laelii et Scipionis ingenio quamquam ea est iam opinio, ut* etc. Cuius auctoritas invaluit, nisi quod plerique

ba vel trucidati essent vel in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, suadentibus L. Cornelio Cethego et M. Catone. V. Drumann. T. II. p. 556. Quas in hac causa dixerat, extabant tres orationes Galbae, duae adversus Libonem, una contra Cethegum: v. Liv. Epit. XLIX. [Has aetate Ciceronis superfuisse cum docet c. 86. tum arguit alter locus de Or. III, 7. asperitatem Galbae perstringens. Sed Frontonem illis usum, quae viri docti fuit suspicio, negamus ex illius Epp. III, 20. colligi posse. Neque de Galba quisquam grammaticus litteratus iniecit mentionem.] Fuerunt qui Galbam de rhetorice scripsisse contenderent, Appuleii verbis de dogmate Platonis T. II. p. 265. ed. Oudend. abusi. Melius ibi Falsterus in Memoriis obscuris p. 104. Sergium Flavium rhetorem intellexit.

oratorum propria] Docendi, delectandi, movendi partes infra exposuit c. 49. coll. 23. Plinius Epp. II, 3. *postremo docet, delectat, afficit*.

cendi tamen laus est in Laelio illustrior. At oratio Laelii de collegiis non melior quam de multis quam voles Scipionis: non quo illa Laelii quicquam sit dulcius, aut quo de religione dici possit augustius, sed multo tamen vetustior et horridior ille quam Scipio: et cum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur et lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis Laelius. 84. Sed est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriatico bello reperimus fuisse Laelium: sic ingenii, litterarum, eloquentiae, sapientiae denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio. nec mihi ceterorum iudicio solum videtur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. 85. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, sic in hoc ipso humanior, ut faciles essent in suum cuique tribuendo. XXII. Memoria teneo, Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse, cum diceret adolescentulo se accidisse, ut ex Senatuscon-

mutant *est iam*, uno Lamb. discedente. Supra c. 15. in loco simili: *ut enim hominis ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia*, unus tantum liber veram lectionem servavit.

de collegiis non melior] *de collegis non est melior* ed. pr.

aut quo] *aut quod* edd. vett. Heusingerum plerique secuti sunt. Scribendum enim erat utrobique pari modo, aut *quo — quo* aut *quod — quod*. Quid autem intersit, multis locis definiri nequit: cf. Ochsner. in Cic. Eclog. p. 81. Klotz. in Tuscul. II, 26. p. 255.

84. Viriatico bello] *viriati bello repperimus* ed. pr. [Id probavit Heusing. in Offic. p. 96. nam *Viriatico* receperat Ernestius e quibusdam edd. vett. Nuper admodum etiam *Viriathico* coeptum est refingi, quod placuit viris doctis ab eodem Heusing. p. 454. allatis, favente scribendi ratione Graecorum *Οὐρίατθος*. Merito tamen dubitabat Duk. in Flor. p. 449.]

85. in suum cuique] *in ius suum* ed. pr.

C. 22. Smyrnae] *Zmirnae* ed. pr. [De qua scribendi licentia v. Weichert. P. Reliqu. p. 169—71.]

audisse] *audivisse* ed. pr.

accidisse ... Brutus] *accidisse Ser. C. P. Scipio et D. Br.* ed. pr. [Notabilis depravatio scripturae compendiosae, unde pendet haud

83. de multis] Orator c. 70, 233. *Age sume de Gracchi apud censores illud*, i. e. de Gracchi oratione. De Orat. III, 35, 141. *versum quendam de Philocteta paulo secus dixit*. [Adde Beierum in Or. p. Tull. 47.]

variae voluntates] Aliud aliorum genus dicendi. [Nos *Gedanken* vel *Richtungen*. Cf. Plinii Epp. I, 20, 12.]

85. [in suum cuique tribuendo] Candorem illum aevi superioris laudat etiam Tacitus Agric. 1.]

sulto P. Scipio et D. Brutus (ut opinor) consules de re atroci magnaque quaererent. nam cum in silva Sila facta caedes esset, notique homines interfecti, insimulareturque familia, partim etiam liberti societatis eius, quae picarias de P. Cornelio, L. Mummio censoribus redemisset, decrevisse senatum, ut de ea re cognoscerent et statuerent consules. 86. causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Laelium; cum consules re audita *amplius* de consilii sententia pronuncia-

paucorum locorum restitutio: velut quam instituit Madvigius de Asconio p. 38.]

in silva Sila] *in Stivasita* ed. pr. Id recte interpretatus est Turnebus Adversar. XI, 1.

liberti] *liberi* codd. et edd. inde a pr. Recepi, quod Corradus atque Orellius probarant. Cum servi, tum liberti sociorum, qui picarias redemerant, auctores caedis esse credebantur. *Libertos* cum *familia* iungit etiam Epist. ad Famil. I, 3. *Commendo tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam*, ubi cod. Medic. *liberos*. Adde Sallust. Catil. 50.

picarias]. Ed. pr. recte probat Schneider. in Varronem pp. 388. 390. *pecuarias* Corradus.

C. 22. Smyrnae me] Cicero cum totam Asiam et Rhodum peragraret a. 676. (v. c. 91, 315.) Rutilium Rufum convenit, qui Smyrnae exul degebat inde ab a. 662. De quo vide c. 29. 30.

P. Scipio et D. Brutus] P. Cornelius Scipio Nasica, D. Iunius Brutus coss. a. 616. (138.) Rutilius autem admodum adolescens tribunatu functus est anno sequenti, de Orat. I, 40. [Ceterum ne quis forte fallatur, quasi consules iudicarint, quod illo tempore iudicia penes senatores fuerint: operae est monere quaestionem de rebus capitalibus *extra ordinem* a Senatu sponte susceptam eiusque rei curam consulibus aut praetoribus decretam fuisse, si quidem proditione, tumultu, caedibus salus reipublicae vel civium in discrimen adduceretur. V. Duker. in Livii Epit. XLVII. et LIV. et qui diligentissime hanc disputationem est persecutus Dirksen. *Civilist. Abh.* T. I. p. 108. sqq.]

[in silva Sila] Silvam in Brutiis sitam omnis materiae copiosissimam fuisse docet luculenta narratio Dionysii Halic. fr. Maii XX, 5. Inprimis vero Brutiam picem norunt, qui Plinium et Scriptores de R. Rustica cognitos habent. Ceterum eodem pertinent nobiles in Brutiis pecuariae, quas memorat Varro R. R. II, 1.]

de P. Cornelio] P. Cornelius Scipio Africanus minor et L. Mummius censores a. 612. (142.)

86. amplius] *Pronunciare amplius* est dictio forensis, si iudex ampliat causam, denuo in iudicium vocandam: nos, *die Sache zu nochmaliger Untersuchung zurückweisen.* [V. Brissonius de Formul. V. 214. *Pronunciare* vertas, *ein Erkenntniss abgeben.*]

de consilii sententia] consilium ii senatores erant, qui ad hanc causam iudicandam electi fuerant. [Vox ambiguae sententiae, quam et de iuris peritis ab magistratu in consilium adhibitis et de toto iudicum numero liceat intelligi. V. Ernestii Exc. II. ad Sueton. Domit. 8. et Zimmern. T. III. §. 7.

vissent, paucis interpositis diebus iterum Laelium multo diligentius meliusque dixisse, iterumque eodem modo a consulibus rem esse prolatam. tum Laelium, cum eum socii domum reduxissent egissentque gratias, et ne defatigaretur oravissent, locutum esse ita: se quae fecisset honoris eorum causa studiose accurateque fecisse, sed se arbitrari causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo † atrocior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi; itaque auctoritate C. Laelii publicanos causam detulisse ad Galbam: 87. illum autem, quod ei viro succedendum esset, verecunde et dubitanter recepisse. unum quasi comperendinatus medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa componendaque posuisse; et cum cognitionis dies esset et ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane venisset, ut eum admoneret et ad dicendi tempus adduceret, usque illum, quoad ei nunciatum esset consules descendisse, omnibus

86. tum Laelium] *cum Laelium* ed. pr.
atrocior] Sic Trillerus et Buttmannus. *adhortatior* ed. pr. *ornatior* vel *fortior*, superiorum quorundam editorum interpolationes. *ardentior* Corradus et Reizius. *acerbior* Orellius. *audacior* vel *asperior* Moserus. *gravior* ex ed. Mediol. Ernestius, cui parum convenire quod sequitur *gravius* intellexit Orell. [Locus nondum persanatus: novum est enim et parum consentaneum *atrocem* appellari oratorem. Mihi codicum in vestigiis latitare videtur *adstrictior* (quod extat in c. 25.), sive quod Quintilianus de Demosthene dixit, *strictior*.]

honoris eorum causa] Sive *in eorum honorem* (v. Madvig. Opusc. p. 168.): quae formulae nihil aliud valent nisi *eorum causa*, *eorum gratia; aus persönlicher Rücksicht*.

87. unum quasi] Unus fere dies comperendinationis restabat; nam *quasi* ad *unum* pertinet, eodem sensu quo *fere*. Sic Schützius. [Hanc interpretationem non minus libet mirari quam commentum Ernestii, qui diem illum inter primam et alteram actionem putaret medium fuisse. Vetere republica tametsi tempora dilationum erant libera, poteratque iudex lege sua comperendinatum adimere (v. Verr. I, 9.), duabus actionibus ut quaestio perficeretur: si tamen causa comperendinaretur, dies debebat una et certa definiri. Itaque nec de dierum numero dubitationi locus est relictus, neque video, si dies habebantur incerti, quo pacto concedamus aliquem fuisse medium. Immo fuit tertius sive *perendinus*, quo iudicium oporteret transigi; medius autem inter secundam actionem et novissimum diem interiectus: quod brevissimum temporis intervallum merito non iustam, sed minutulam et quasi comperendinationem (v. annot. in §. 74.) implesse videbatur.]

consules descendisse] Plinius Epp. V, 21. *Descenderam in basilicam Iuliam, auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere debebam.* Ubi Gieri-

exclusis commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse, quorum alii aliud dictare eodem tempore solitus esset. interim cum esset ei nunciatum tempus esse, exisse in aedes eo colore et iis oculis, ut egisse causam, non commentatum putares. 88. addebat etiam, idque ad rem pertinere putabat, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba: ex quo significabat, illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Quid multa? magna expectatione plurimis audientibus coram ipso Laelio sic illam causam tanta vi tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio praeteriretur. itaque multis querelis multaque miseratione adhibita socios omnibus approban-

87. alii aliud] *alii* om. ed. pr. *aliud alii* Manutius, *aliis aliud* vulg.
eodem tempore] *eodem a tempore* ed. pr.
88. mulcatos] *mulctatos* ed. pr. Notum *multare* de poena pecuniaria, *mulcare* (quod proprie fuit mollire vel dissolvere) de vi et quovis iniuriae modo dici, quo quis male accipiatur: v. Ruhnk. in Terent. Eun. IV, 7, 4.

gius apte: *descendere* in forum formula quasi propria honestiores cives dicebantur, quia in montibus fere habitabant, cum forum esset humiliore loco.

testudine] Varro de ling. lat. V. p. 161. *Cavum aedium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium usum. in hoc locus si nullus relictus erat, sub divo qui esset, dicebatur testudo ab testudinis similitudine, ut est in praetorio, in castris. si relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorsum quo impluebat, dictum impluvium.* [Id genus tecta testudinata sermo plebeius vocabat *papiliones*, unde fluxit Gallicum *pavillon*.]

88. scriptores illos] Quos modo dicebat servos litteratos.

male mulcatos] Haud rara dicendi forma: cui quod iucunde miscetur *male* exemplis illustrat Hand. Turs. T. III. p. 583. [Servos illos verberibus esse petitos eo minus admiramur, quo ardentiore vultu gestuque Romanos oratores in agendo fuisse constat. Caesarem eo concitationis processisse, ut Iubae barbam in altercatione invaserit, tradit Suetonius c. 71. Hinc pendet structura haud vulgaris, *ex quo significabat*, i. e. ex quo indicio tanquam fonte ducebat observationem de studio Galbae singulari. ad Att. XVI, 7. *aliud nihil habeo, quod ex iis a te verbis significari putem.* Similiter explicandus locus controversus de Off. I, 5, 15. *velut ex ea parte, quae primum descripta est, — inest indagatio atque inventio veri.* Ceterum *significabat* illud nihil differt ab usu Graeco v. σημαίνομαι, de quo dixerat Lobeck. in Aiac. 32.]

silentio praeteriretur] Ut omnis fere pars orationis plausu exciperetur. [Clamores multitudinis Quintil. IV, 2, 37. opponit intentionis silentio.]

tibus illa die quaestione liberatos esse. XXIII. 89. Ex hac Rutilii narratione suspicari licet, cum duae summae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum, altera graviter agendi ad animos audientium permovendos; multoque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam ille, qui doceat: elegantiam in Laelio, vim in Galba fuisse. Quae quidem vis tum maxime cognita est, cum Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L. Libone tribuno plebis populum incitante et rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit: quam orationem in Origines suas rettulit, paucis antequam mortuus est [an] diebus an mensibus. 90. Tum

illa die] Sic ed. pr. *illo die* Lamb. *illa quaestione*, deleto *die*, Orellius. [Vulgatis favet grammaticorum praeceptum a Schneidero Gramm. Lat. p. 348. sqq. diligenter explicatum. Sed praeferrem *illo die*, h. e. virtutibus et egregie gestis illius diei (quem usum attigit Ruhnk. in Vellei. II, 35.), nisi moraretur additum *quaestione.*]

C. 23. 89. Rutilii] Sic iam Orellius. *Rutilia* ed. pr. *Rutiliana* edd. vulgg.

quam ille, qui] *ille* om. ed. pr.

L. Libone] *T. Libone* ed. pr. cum rec. quibusdam.

an diebus an mensibus] Firmat ed. pr. Pareus, Handius Tursell. T. I. p. 308. et Orellius delent prius *an*. Ochsnerus a me consultus haec rescripsit: „Existimo scripsisse Ciceronem *diebus an mensibus*, si magis putaret *mensibus;* nec absimili ratione *diebusne an mensibus:* sed *diebus vel* (*aut*) *mensibus*, *vel diebus vel mensibus*, si neutrum probabilius cognovisset; *an diebus? an mensibus?*, si tantulam rem anxia quaestione dignam existimarit: cum quidem geminatum *an* duplex requirere signum videtur.“ Sequuntur duo alii loci, in quibus minutissima vox turbas concitaverit. c. 44, 162. *Erit, inquit Brutus*, *aut iam est iste*, *quem expectas?* ubi alii *an*. c. 85, 294. *Origines vero cum omnibus oratoriis laudibus refertas*

quaestione liberatos] Iudicio absolutos.

C. 23. 89. elegantiam] Id ne quis ad ornatum externum referat, quod ad integritatem, diligentiam et purum dicendi genus spectat, cavebit Ernestius Clavi Cic.

L. Libone) Cicero ad Atticum XII, 5. dubitabat, annone 605. an 604. tribunus pl. fuisset Libo. *Vide quaeso*, *L. Libo ille*, *qui de Ser. Galba*, *Censorinone et Manilio an T. Quintio*, *M'. Acilio consulibus tribunus pl. fuerit.* Ipsa tamen causa anno 605. quo Cato decessit, acta est: cf. c. 20, 80. quo spectant illa, *ut ante dixi.* Idem L. Scribonius Libo praeter orationes librum annalem confecisse videtur, cuius in epist. ad Att. XIII, 30. 32. 44. mentio est facta.

privilegii similem] Rogatio proprio nomine privilegium erat, si quidem non alium nisi Galbam spectavit eiusque capiti priva lege poenam irrogavit: v. Gell. X, 20. [Adde Zimmern. I. p. 60.]

igitur nihil recusans Galba pro sese, et populi Romani fidem implorans cum suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimi patris: isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest. 91. Cum haec dixissem, et paulum interquievissem, Quid igitur, inquit, est causae, Brutus, si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius appareat? quod mirari non possum in iis, qui nihil omnino scripti reliquerunt. XXIV. Nec enim est eadem, inquam, Brute, causa non scribendi, et non tam bene scribendi

diceres, et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas an mihi probaturum? ubi Ochsnerus *aut* maluit; item ut in Epist. ad Famil. XIII, 29. *sed non plus duobus an tribus mensibus*, praetulit *aut* in Indice Eclogarum p. 460. [Non admodum nostro similes sunt illi loci, qui significant perinde haberi, utrum de duobus ponamus. Hic tamen dubiam et incertam sententiam profitetur scriptor, cui duplex *an* male convenire cum observatio grammaticorum (cf. Zumpt. §. 354.), tum constans optimi cuiusque scriptoris usus evincit. ad Att. II, 7. *illa opima .. Druso ut opinor Pisaurensi an epuloni Vatinio reservatur*. VII. extr. *ex Epiro an Athenis*. Cf. N. D. I, 24. et de Fin. II, 32. *cum ei Simonides an quis alius artem memoriae polliceretur:* ubi Goerenzius de nostro loco secus statuit. Adde N. Heinsium in Ovid. Fast. II, 394. et Gesneri Thesaurum. Sed in Cic. Rep. I, 12. *uno an altero spatio* vereor ut *an* ferri possit.]

90. nihil recusans] Quod deest ed. pr. et codd. omnibus, *nihil* supplevit ex Valer. Max. VIII, 1, 2. Corradus. Sic enim Valerius: *Cum a Libone trib. pl. Ser. Galba pro rostris vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide praetor in Hispania interemisset, actionique tribuniciae M. Cato ultimae senectutis oratione sua, quam in Origines rettulit, subscriberet: reus pro se iam nihil recusans, parvulos liberos suos et Galli sanguine sibi coniunctum filium flens commendare coepit, eoque facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, paene nullum triste suffragium habuit.* Ex Valerii verbis apparet, quomodo illud *nihil recusans* vel *nihil recusans pro sese* accipiendum sit: nihil enim Galba de poena pro sese recusabat, nullam poenam a se deprecari suamque se poenam leviter laturum ostendens, at filiorum calamitatem molestissime habiturum.

91. appareat] *apparet* ed. pr. Correxit Lambinus.

90. suos pueros] Unum nominat c. 33, 127.

C. Galli] C. Sulpicii Galli: vide c. 20. de Orat. I, 53. Quintil. II, 15, 8.

flamma] Dicit, vulgarem secutus figuram, periculum capitis.

quam dixerint. nam videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensem (pleraeque enim scribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur): 92. alios non laborare, ut meliores fiant; nulla enim res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio; memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, cum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque etiam maiorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint: alios, quod melius putent dicere se posse quam scribere: quod peringeniosis hominibus neque satis doctis plerumque contingit, ut ipsi Galbae. 93. quem fortasse vis non ingenii

C. 24. quam dixerint] *quasi dix.* ed. pr.
92. contingit] *contigit* vett. edd. scripturam mutavit Manutius.

C. 24. 91. habitae iam] Plerique enim veterum oratorum orationes suas post causam, non ante actionem scribere solebant. [Quaestionem illam ad diiudicandos oratores gravissimam non licet summis lineis adumbrare, quibus post alios descripsit Westermannus hist. eloqu. Rom. p. 146. Constat tamen principes vetustioris eloquentiae aut rarius litteris sua mandasse, quae causa fuit cur eorum pauca ingenii monumenta superessent, aut leviter opera fuisse defunctos, ut infra expectationem subsisterent. Catonem sane Cicero sic facit loquentem Cat. 11. *Causarum illustrium, quascunque defendi, nunc quam maxime conficio orationes:* quibus si licet confidere, senem censorium putabimus causas illas recoluisse, ut Originibus insereret. Sed Cicero quique temporibus eius aequales fuerunt argumenta causarum ita solebant in commentariis inchoare memoriaque complecti, ut initia subitis inventis et facultate quadam extemporali dilatarent; mox otium nacti *rebus transactis et praeteritis* (quae Ciceronis sunt voces Tusc. IV, 25.) orationes componebant, nunc latiorem in modum elaboratas, ut *pauciora dixisse quam edidisse* viderentur, nunc tenui filo deductas, quibus olim *plura dicta quam scripta* (infra c. 44, 164.) et interdum *soli criminum tituli* cognoscerentur. Rarius vero totidem scripta quae dicta extabant, velut usu venit in orationibus Ser. Sulpicii Rufi. V. Quintil. X, 7, 30. His perpensis haud obscurum est, quibus rationibus disceptatio Plinii cum amico paulo iactantius agitata Epp. I, 20. ad iudicium sit vocanda. Ceterum de causis generum diversissimorum, quae secuti sint oratores in dicendo scribendoque, Quintilianus XII, 10, 49. sqq. quaesivit, magis ut expectationem moveret quam impleret.]

92. existimantium] Iudicum quos dicimus *Kunstrichter.* c. 39, 146. *in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus quam admirandus orator.* c. 54, 200. *intelligens dicendi existimator.* c. 68, 239. *elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus.* c. 93, 320. *non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens.* Orat. 31. *ut existimatores videamur loqui, non magistri.* Adde Terentii Heaut. Prol. 25. *Arbitrium vostrum, vostra existumatio valebit:* ubi v. Ruhnk.

solum, sed etiam animi et naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, ut et incitata et gravis et vehemens esset oratio; dein cum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi tamquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio: quod iis, qui limatius dicendi consectantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere; ardor animi non semper adest, isque cum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris extinguitur. 94. Hanc igitur ob causam videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse.

XXV. Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii fratres, quorum extant amborum

93. sed etiam animi] *animi* om. ed. pr.
dein] *demum* ed. pr.
consedit] *considit* Garatonius. Sed *consederit* c. 3, 10.
94. occidisse] Item ed. pr. *cecidisse* ex Gu. 1. Schütz. parum accommodate membris inter se referendis.

93. dolor] De Orat. III, 25, 96. *Ornatur oratio genere primum et quasi colore quodam et suco suo. nam ut gravis, ut suavis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat quantum opus est, non est singulorum articulorum: in toto spectantur haec corpore.* Orat. 37. *Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam, si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.* Cf. Ernesti Lex. Techn. v. *sensus*. Contra *calor* Schneidero, *ardor* Billerbeckio placuit. [Prius Wetzelio probatum esse mirere, cum additum *naturalis* nihil nisi corporis calorem et sensum partium vitalium intelligi iubeat; *naturalis* autem *ardor* vel cupiditas tam dicentem debebat inflammare quam scribentem erigere. Galba tristissimis calamitatum et affectuum imaginibus adeo potuit animum suum exacerbare, ut omnia quasi qui laesus propriam rem persequeretur vi corriperet vehementissima.]

qui limatius] Oratorum cum alii mentem auditorum tenere soleant, alii sensum animumque occupare, ii qui subtile dicendi genus sequuntur, in scribendo nihil perdunt, quoniam eorum in explanando, edisserendo, docendo summa constat virtus; illorum vero qui concitato genere dicendi commotius utuntur, multum orationes deficiunt, cum scribuntur, quod in animi commotione, in sensibus incitatis, in ira atque dolore maximae vires cernuntur.

94. mens] Prudentia et subtilitas, i. e. mitis Laelii sapientia, quam cupiditati opposuit, et libidini.

C. 25. L. Mummius] Is qui consul a. 608. Corinthum delevit et Achaici cognomen accepit. Censuram gessit a. 612. (142.) cum P. Scipione minore, cum quo ruditate morum et ingenii vehementer dissidebat: v. Vellei. I, 13.

orationes: simplex quidem L. et antiquus, Sp. autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen adstrictior. fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. Multae sunt Sp. Albini orationes. Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum, quos aliquo video in numero oratorum fuisse.

Spurius Mummius] Ad Attic. XIII, 5. *Sp. Mummium putaram in decem legatis fuisse* (qui capta Corintho de provincia constituenda ad L. Mummium missi sunt), *sed videlicet: etenim εὔλογον fratri fuisse. fuit enim ad Corinthum.* ib. XIII, 6. *Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo. saepe enim hic Spurius, qui nuper mortuus est, epistolas mihi pronunciabat versiculis facetis, ad familiares missas a Corintho. Sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos maiores nostros eos legare in decem, qui essent imperatorum necessarii.* Patet igitur Spurium Mummium non solum orationes, sed epistolas etiam poeticas, et quidem, opinor, hendecasyllabos scripsisse. Sed ab hoc diversus fuit Atellanarum scriptor, laudatus ille Charisio p. 118. *Mummius in Atellana: Iunius ad spectacula est videre in testu, quantum sit caput*, et Macrobio Sat. I, 10. *Mummius quoque. qui post Novium et Pomponium diu iacentem artem Atellaniam suscitavit: Nostri, inquit, maiores velut bene multa instituere, hoc optime; A frigore fecere summo dies septem Saturnalia.* Nam Sp. Mummius ante L. Pomponium Bononiensem vixit, qui aevo demum Sullano circa a. 663. (v. Clinton. Fasti) floruit. Verius tamen in Charisio et Macrobio Memmium, Lucretii aequalem, de quo c. 70. dicemus, alii putant intelligendum.

adstrictior] C. 31. *Ut Stoicorum adstrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt, sic Academicorum liberior et latior, quam patitur consuetudo iudiciorum et fori.* [Est parcus verborum, et qui necessitatem magis quam suavitatem sectetur: quod nos fere *bündig*. Cf. Burm. in Prop. II, 18, 74. Haud multum distat, quod perplacuit Ciceroni, *pressus*, aptum illud orationi, quae nihil pronunciet, quin ad ipsam rem pertineat. Utrumque iunxit Plinius Epp. III, 18, 10. qui alibi opposuit *effusum stilum* I, 20, 20.]

Spurii Albini] Editores Spurium Albinum consulem ponunt esse a. 644. (110.) eundemque rursus nominari c. 34. Cum tamen Cicero temporum ordinem observans accurate oratores recenseat, fieri nequit quin Sp. Albinus consul a. 606. (148.) intelligendus sit: quos enim una memorat oratores, cuncti ad hanc ferme aetatem pertinent, L. Mummius cos. a. 608. L. Oresta a. 628. P. Popillius a. 622. C. Tuditanus a. 625. M. Aemilius Lepidus a. 617. Q. Pompeius a. 613. Is Sp. Postumius Albinus idem est, cui Lucilius, qui hoc ipso consule natus est (v. Clinton. Fasti in a. 606.), librum Satirarum inscripsit: v. Burmannus in Anthol. Lat. T. I. p. 570. Hanc igitur ad normam in Fragmentis meis Oratorum p. 109. sic corrigi velim, *Sp. Postumius Albinus aedilis curulis a. 597. consul a.* 606.

L. et C. Aureliorum Orestarum] L. Aurelius Orestes cos. a. 628. (126.) rebellantes Sardos subegit (Liv. Epit. LX.), quo consule quaestor fuit C. Gracchus: vide c. 28. Et hos quidem viros non

95. P. etiam Popillius cum civis egregius, tum non indisertus fuit, C. vero filius eius disertus, Caiusque Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expolitus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere est habitus is, qui iniuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia, civis in rebus optimis constantissimus, M. Octavius. At vero M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere quibus Galba, sed paulo minor natu, et summus orator est habitus et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. 96. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Graecorum et

C. 25. 95. Popillius] *Popilius* ed. pr.
filius... Tuditanus] *filius est disertus gravisque Tuditanus* ed. pr.
vita atque victu] *vita* intelligitur vita publica, *victu* privata. De quo Bremius in Corn. Nep. Alcibiad. 1, 3. *splendidus, non minus in vita quam in victu. vita atque virtute* Ernestius.

96. levitas] Sic Orellius et Müllerus in Varron. p. 52. *lenitas* codd. et edd. inde a pr. Verum ut lenitas Graecis tribui non potest universe, nec Demosthenes et Aeschines lenes erant, quemadmodum Lysias et Isocrates: ita levitas sive λειότης optimo cuique Graecorum fuit propria. [*Levis* et *lenis*, *levitas* et *lenitas* quoties confusa sint quamque tenui discrimine, monstrat vel operosus Santenii excursus in Terentiano. Graecis quidem nec solet *lenitas* tribui nec potest *levitas*, quae cum ad vocem litterarumque sonos et externam

amplius Cicero memoravit: nam quorum ad Fam. XIII, 40. fit mentio, longe minores natu fuerunt, immo iuniores Cicerone.

95. P. Popillius] P. Popillius Laenas cos. a. 622. (132.) socios Ti. Gracchi, qui superiore anno per seditionem interfectus erat, crudelissime persecutus est. Deinde a. 632. a C. Graccho in exilium eiectus, mox ipso Caio occiso a. 633. per optimates restituitur. C. 34. *L. Bestia P. Popillium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit.*

C. Tuditanus] C. Sempronius Tuditanus cos. a. 625. (129.) cognominis illi, qui praetor in Hispania a. 556. decessit (Liv. XXXIII, 42.), et rerum Romanarum libros, quos Dionysius, Gellius, Plutarchus afferunt, et Magistratuum reliquit, quorum tertius a Macrobio, tertius decimus a Gellio XIII, 15. ponitur. V. Kraus. Hist. Fragm. p. 178. sqq.

M. Octavius] Collega Ti. Gracchi in tribunatu a. 621. (133.), cuius legibus cum intercederet, nec mutaret consilium, tribubus Gracchus persuasit, ut collegae magistratus abrogaretur. Eam iniuriam Cicero dicit a Graccho acceptam. V. Asconius in Cornelianam p. 71. quosque protulit Walter *Gesch. d. Röm. R.* p. 164.

M. Aemilius Lepidus] Consul a 617. vid. c. 27. extr. Drumann. T. I. p. 3. Eloquentiam arte et praeceptis excolere coepit, in iure civili rudis: v. Orat. I, 10, 39. Superest orationum eius fragmentum unum (apud Priscian. IX. p. 456. Kr.), earumque laudem quasi confirmat c. 86.

verborum comprehensio et iam artifex (ut ita dicam) stilus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi et prope aequales, C. Carbo et Ti. Gracchus audire soliti sunt: de quibus iam dicendi locus erit, cum de senioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit, qui summos honores homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum est adeptus. 97. Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen; homo non liberalitate ut alii, sed ipsa

concinnitatem referatur, aliena debuit ab ingenio totius populi haberi. Sed peculiaris et insignis fuit Graecorum lenitas, id est, iudicium exquisitum et iucundus dicendi sentiendique candor (*χάρις*, *Milde*), multum ille asperitati veteris Latii dissentaneus. Recte vocis notionem exposuit Bentleius in Horat. A. P. 26. Infra c. 44. ubi lenitas diligenter explicatur, neminem offendisse video; nec quicquam mutandum erat in Orat. 31. Itaque vetustam reduximus scripturam.]

et iam] Restituit alios secutus Orellius, cum Walchius Emend. Liv. p. 90. docuisset *iam* ad comparativi vim intendendam spectare; cf. Hand. Tursell. T. III. p. 138. *etiam* ed. pr. Item in c. 91, 314. *et iam in foro*, ed. pr. *etiam*. [Plinius ex cod. Prag. Epp. II, 10. *magna et iam longa expectatio est.*]

97. liberalitate] Humanitate, clementia, comitate. Nam quae vis vocabulo insit, ex opposito *severitas* elucet. V. Ruhnk. in Terent. Adel. I, 1, 32. *hilaritate* Ernestius, sed improbantibus Schützio et Ell.

96. [verborum — stilus] *Verborum comprehensio* cum ad periodorum usum et concinnitatem referatur, id quod docet vel c. 44. et Orat. 61. definitio, *artifex stilus* videri possit curam compositionis et nitorem quendam elocutionis significare. Sed ut ea laus abhorret ab istius aevi studiis et colore, ita stilus artifex, si locos similes contendimus (*artifex motus et certi quidam pedes* Quintil. IX, 4, 8. *equum artificem* Ovid. A. A. III, 556. *artificem vultum* Pers. V, 40. id est, interprete Barthio, aptum parere rationis imperio et ad eius nutum artibus se omnibus accommodare), debet ad artificium et diligentiam Lepidi spectare, qui gravissimas eloquentiae partes ad aequabilem normam et ordinem quasi disciplinae revocaret. Id licet etiam e Carbonis et Gracchi, qui Lepidum audire soliti sunt, exemplis diiudicare. Horum enim orationes nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas fuisse contendit Cicero c. 27.]

Q. Pompeius] Q. Pompeius Rufus et Cn. Servilius Caepio coss. a. 613. (141.) idemque censor a. 623. vide c. 76. Homo novus erat, iterum testante Cic. p. Murena c. 7. primusque e Pompeiis consul, Vellei. II, 1.

97. L. Cassius] L. Cassius Longinus tribunus pl. a. 617. (137.) M. Aemilio Lepido et C. Hostilio Mancino coss. legem tabellariam tulit, ut suffragia non voce pronunciarent, sed tabellis inscriberent quasi securo et liberiore iudicio. V. Schol. Bob. pro Sestio p. 303. Laelii c. 12. De Legg. III, 16. [Cf. Eckhel. D. N. V. p. 166. sq.]. Eundem populus Romanus verissimum et sapientissimum

tristitia et severitate popularis: cuius quidem legi tabellariae M. Antius Briso tribunus plebis diu restitit, M. Lepido consule adiuvante; eaque res P. Africano vituperationi fuit, quod eius auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Tum duo Caepiones multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. † Sed Pompeii sunt scripta nec nimis extenuata, quamquam veterum est similis, et plena prudentiae. XXVI. 98. P. Crassum valde probatum oratorem iisdem

clientes] Item ed. pr. *dicentes* D. [V. Suetonii Caes. 71.]

Sed Pompeii] Sic codd. et ed. pr. Egregie de hoc loco disputat Madvigius Opuscul. p. 138.: „Reditus ille orationis ad Q. Pompeium, quem fingunt, nullam habet rationem in media enumeratione; nec illa *Tum L. Cassius* etc. sic interposuit, tamquam minus claris commemoratis ad illum rediturus esset. Aliorum autem mutationes violentae sunt, nec satis apta particula, quam relinquunt. Tota forma huius percursionis oratorum parum nobilium postulat, ut hic novus orator nominetur; itaque legendum est *Sex. Pompeii*. Intelligendus videtur Cn. Strabonis et Sex. Pompeii, iuris consulti et Stoici, pater (vid. Brut. 47, 175)."

extenuata] *extenuata oratio* ed. pr. Sed extenuata sunt tenuia et inornata.

iudicem putabat, quem ipsa severitas in iudiciis comprobata quam maxime popularem faceret: v. pro Sext. Roscio 30, 84, et Ascon. in Milon. p. 46.

P. Africano] De Legibus III, 16, 37. *Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur.* Item in libris de Republica Scipioni tribuuntur eae partes, ut tabellam defendat. Is cur legem suaserit tabellariam miror. [Nimirum et Scipio, qui haud ambigue a durissimis optimatium consiliis recederet, aliquid libertati plebis eiusque honori dabat, et tanta iam populi multitudo comitiis interesse solebat, ut vocis auctoritatem nec perspicue nec satis integre profiteretur.]

duo Caepiones] Pro Fonteio c. 7. *Cnaeo et Quinto Caepionibus, Lucio et Quinto Metellis testibus in Q. Pompeium hominem novum non crediderunt, quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem et auctoritatem in testimonio cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogavit.* Similia Valer. Max. VIII, 5, 1. Intelliguntur Cn. Servilius Caepio cos. a. 613. (141.) et Q. Servilius Caepio cos. a. 614. In hos enim viros temporum ratio maxime congruit, cum causa Q. Pompeii a. 616. acta sit. Metelli autem, qui in eadem oratione nominantur, sunt L. Caecilius Metellus Calvus cos. a. 612. et Q. Caecilius Metellus Macedonicus cos. a. 611. Quamobrem in Oratt. R. Fragm. p. 130. errasse me confiteor; quem errorem Westermannus p. 79. repetiit.

C. 26. 98. P. Crassum] P. Licinius Crassus Mucianus, P. Mucii Scaevolae filius, adoptatus est a P. Licinio Crasso, Publii, qui cum Africano maiore cos. fuit a. 549., filio. Is a Sempronio Asellione et plerisque aliis historiae Romanae scriptoribus traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima et praecipua, quod esset di-

fere temporibus accepimus, qui et ingenio valuit et studio, et habuit quasdam etiam domesticas disciplinas: nam et cum summo illo oratore, Ser. Galba, cuius Caio filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat: et cum esset P. Mucii filius fratremque haberet P. Scaevolam, domi ius civile cognoverat. In eo industriam constat summam fuisse maximamque gratiam, cum et consuleretur plurimum et diceret. 99. Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt: quorum Caii filius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de

C. 26. 98. quasdam etiam] Item ed. pr. *etiam quasdam* male Gu. 1. 2.

99. duo C. Fannii — filius] *duo C. Fannius et Marcus, filius, fuerunt quorum Caius filius* ed. pr.

tissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iuris consultissimus, quod pontifex maximus: v. Gell. I, 13. Fuit quidem in numero disertorum, sed par Galbae nullo modo: De Orat. I, 56, 240. Consul a. 623. (131.) sequenti anno in bello adversus Aristonicum periit: v. Vellei. II, 4. Henrichsen. in Cic. de Or. I, 37, 170. [Adde Zimmern. I. §. 75.]

studio] Huius exemplum sit industria, quam in discenda Graeca lingua Crassum collocasse tradit Valer. Max. VIII, 7, 6.

domesticas disciplinas] Nam eloquentiam habuit cum Ser. Galba communem, cui affinitate iunctus erat; iuris vero peritiam cum patre et fratre, Muciis Scaevolis.

Caio filio] C. Galba, Servii filius, P. Crassi gener. c. 33. describitur.

P. Mucii] Is Scaevola, qui consul cum M. Aemilio Lepido c. 579. (Liv. XLI, 19.) triumphavit de Liguribus et Gallis in ipso consulatu.

P. Scaevolam] P. Mucius Scaevola frater tribunus pl. a. 613. (141.) praetor a. 618. consul cum L. Calpurnio Pisone Frugi a. 621. quo anno Ti. Gracchi seditio exorta est. Plut. Ti. Gracchi c. 9. *Οὐ μὴν ἐφ' αὑτοῦ γε συνέθηκε τὸν νόμον, τοῖς δὲ πρωτεύουσιν ἀρετῇ καὶ δόξῃ τῶν πολιτῶν συμβούλοις χρησάμενος, ὧν καὶ Κράσσος ἦν ὁ ἀρχιερεὺς καὶ Μούκιος Σκαιβόλας ὁ νομοδείκτης ὑπατεύων τότε.* Idem pontifex maximus a. 624. in locum fratris Muciani cooptatus, qui illo anno perierat. Eundem Scaevolam attigit Cicero infra c. 28, 108. 52, 197. 68, 239. eiusque libros memoravit de Orat. I, 56, 240. Top. 4. 6. 8. 9. Pomponius De Orig. iur. c. 3. 39. *Post hos fuerunt P. Mucius et Brutus et Manilius, qui fundaverunt ius civile. Ex his P. Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres, et extant volumina scripta Manilii monumenta. Illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius, P. autem Mucius etiam pontifex maximus.* Ceterum pater erat Q. Mucii Scaevolae Pontificis maximi cos. a. 659. de quo c. 52, 197.

99. Caii filius] C. Fannius C. F. Strabo collega Ti. Gracchi fuit in tribunatu idque munus arbitrio et auctoritate P. Africani gessit; consul cum Cn. Domitio Ahenobarbo a. 632. quo C. Gracchus ipso anno turbas civiles excitabat. Cum igitur Gracchus legem tulisset, ut

sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit, sane et bonam et nobilem. Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio litterato homine scriptam esse aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius: alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. 100. Tum ego, Audivi equidem ista, inquam, de maioribus natu, sed nunquam sum adductus ut crederem; eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset, oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec eiusmodi est, ut a pluribus confusa videatur (unus enim sonus est totius orationis et idem stilus), nec de Persio reticuisset Gracchus, cum et Fannius de Menelao Maratheno et de ceteris obiecisset:

scriptam esse] Sic ed. pr. *esse* om. Asc.
100. optima esset] *optima est* ed. pr.
idem stilus] Sic edd. vett. *idem filum* Ernesti.
cum et] Servant codd. et ed. pr. Hand. Tursell. T. II. p. 512. „*qui scripserunt ei, non viderunt optime se habere cum et, da auch. Est enim, fecisset Gracchus, quod idem fecit Fannius.*“ *ei* Gruterus, Gronovius, Orellius. [Pronomen quidem tenuius, quam ut nomini *Fannius* opponi queat. Praestat vero particulam *et* expungere toties optimis scriptoribus obtrusam: nisi forte defensionem ei parabimus ab hyperbato, parum illo verisimili, sed variis copiis ab Wopkens. Lectt. Tull. I, 7. exornato.]
Menelao Maratheno] *Menelano et Maratheno* ed. pr.

sociis Latini nominis eodem loco quo civibus Romanis ius Romae suffragii ferundi esset, vel ut Latini eodem civitatis iure fruerentur, Fannius consul restitit, habuitque orationem, cui de sociis et nomine Latino inscripsit: v. Walter I. p. 245. et Schlosser *Univ. Uebers. d. alten Welt* II. 2. p. 281. Eius fragmenta dedimus in Oratt. R. Fragm. p. 110.

C. Persio] De Orat. II, 6, 25. *C. Lucilius homo doctus et perurbanus dicere solebat, ea quae scriberet neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse: quo etiam scripsit: Persium non curo legere. hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus.* Idem pariter ac L. Aelius orationes aliis scribere solebat, atque doctissimus litterarum existimator esse ferebatur.

100. a pluribus confusa] Collata: nam alii, quod supra dixit, aiebant multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem *contulisse*. [Plane vel Livianus usus demonstrat, librum indicari diversis ex opibus in unum corpus deductum et conflatum. Similiter Graeci συγκροτεῖν, quod interpretes Longi, Charitonis, aliorum illustrant. Nos, *verarbeitet*. Ernestius quidem quod tentabat, *e pluribus*, id nemo de generibus orationis intelligat.]

Menelao Maratheno] Menelaus Marathenus (de Maratho, antiqua

praesertim cum Fannius nunquam sit habitus elinguis. nam et causas defensitavit, et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit. 101. Alter autem C. Fannius, M. filius, C. Laelii gener, et moribus et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto (quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim cum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset: cui tamen Laelius se excusans non genero minori dixit se illud, sed

101. quia cooptatus] *quia ab eo cooptatus* post alios Orellius optabat: repugnante tamen Quintil. VII, 9, 12. *Pluribus verbis emendandum, ubi id, quod quo referatur, dubium est, et ipsum est ambiguum. In quod genus incidit Cicero loquens de C. Fannio:* „is soceri instituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat: praesertim cum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset.“ — *nam id sibi et ad socerum referri et ad Fannium potest.*

Phoenicum urbe, v. Mannert. T. VI. P. I. p. 394. sq., nam qui dicit a Marathone ortum Westermannus p. 71. fallitur aperte), Diophanes Mytilenaeus (v. infra c. 27.) rhetores et Blossius Cumanus philosophus magistri erant Gracchorum. Cf. Plut. Ti. Gracch. 8. Ab his igitur et nominatim ab Menelao Gracchum in scribendis orationibus adiuvari Fannius obiecit.

101. C. Fannius, M. filius] Fannius Strabo cum prima faceret stipendia a. 608. (146.) Scipione imperatore, obsidioni Carthaginis interfuit et primus una cum Ti. Graccho (v. Plut. Tib. Gracch. 4.) muros escendit. Postea in bello Hispaniensi tribunus militaris fuit a. 612. Appian. Iber. 67. *τότε μὲν οὖν Φάννιός τε ὁ Λαιλίου κηδεστὴς λαμπρῶς ἠρίστευε.* Unde patet Fannium illo anno tribunum plebis non fuisse: qua de re Cicero consuluerat Atticum XVI, 13. (v. Orellii Onomastic. p. 250.) Erat gener C. Laelii: quamquam Atticus negabat, alterum Fannium ratus generum fuisse, ad Att. XII, 5. Res Fanniorum, quae a Pighio confundebantur, neque a Krausio in Fragm. Hist. p. 171. satis erant illustratae, Orellius in Onomastico explicavit accurate. Huius Annales bellum Punicum tertium, res gestas Scipionis minoris et tempora Gracchorum continuisse, ex fragmentis colligi potest, eosque exiles fuisse pariter atque ceteros veteres historicos Cicero de Legg. I, 2, 6. sensit.

Q. Scaevolam] Q. Mucius Scaevola augur, Laelii gener, tribunus pl. a. 626. aedilis plebis a. 629. praetor Asiam rexit a. 633. innocenter, etsi Albucius eum post praeturam repetundarum accusavit a. 634. Quo spectant illa, *quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium.* Consulatum deinde gessit cum L. Caecilio Metello a. 637. Eum vixisse usque ad tribunatum P. Sulpicii Rufi a. 666. (88.) ex Laelii Ciceronis c. I. constat. Ad eum Cicero sumpta virili toga a. 664. a patre deductus est: v. Fabricius V. Ciceronis in a. 662. Num scripta ediderit dubito. Infra c. 58. ubi praecessit Laeliae coniugis laudatio, *Q. Scaevola augur peritissimus iuris idemque percomis est habitus.* c. 89.

maiori filiae detulisse), is tamen instituto Laelii Panaetium audiverat. eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta. 102. Mucius autem augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. is oratorum in numero non fuit; iuris civilis intelligentia atque omni prudentiae genere praestitit. L. Caelius Antipater, scriptor (quemadmodum videtis) fuit ut temporibus illis

eius omnis] *cuius omnis* ed. pr.
ex historia] *in historia* ed. pr.
102. quod pro se opus erat] Sic etiam ed. pr. *cum pro se opus erat* Scheving. *quoad opus erat* Orellius, ipse tamen vulgatum agnoscens alio loco. Et haec quidem coniectura haud melior, illa paulo deterior est scripturâ librorum. Cf. c. 28, 108. *P. Lentulus ad rempub. dumtaxat quod opus esset, satis habuisse eloquentiae dicitur.* Itaque Mucio semel tantum, cum in discrimen existimationis adduceretur, eloquentia opus fuit.

is tamen instituto Laelii] Haec ut adderentur, fecit parenthesis interiecta. V. nos supra in c. 20, 80.

instituto Laelii] Cic. Fin. IV, 9. *Panaetius homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii.* Ib. II, 8. *Diogenem Stoicum adolescens, post autem Panaetium audierat Laelius.* Idem institutum Scaevola, quem Laelii generum fuisse vidimus, sequebatur, teste Cic. de Orat. I, 17.

[Panaetium] Clarissimum illum Scipionis, Tuberonis, Scaevolae, aliorum nobilium virorum, quorum indicem Lyndenus p. 50. sqq. edidit, familiarem ac praeceptorem, quem in philosophia morali habitasse cum eius varia placitorum titulorumque indicia commonstrant, tum planissime capitales libri tres *Περὶ τοῦ καθήκοντος*, quos Ciceronis imitatio celebravit. Sed quae referuntur ad vitam et doctrinam sapientissimi hominis diligenter exposuit Lyndenus de Panaetio Rhodio philosopho Stoico, LB. 1802.]

102. T. Albucium] De quo dictum in c. 35, 131.

prudentiae] Dicit prudentiam civilem, cuius opera solet ad rem publicam referri. Itaque huic Mucio Cicero de Orat. I, 49. (coll. c. 10.) saepissime maximis de rebus breviter impoliteque dicenti senatum tradit assensum praebuisse.

L. Caelius Antipater] Drumannus T. II. p. 422. libertum Caelii fuisse dicit, quod Kraus. Fragm. Hist. p. 182. merito negavit. Certum est (v. Clinton. Fasti in a. 631.) Gracchorum eum temporibus vixisse. De laude iurisprudentiae nonnihil detrahit Pomponius de Orig. iuris c. 3. 40. *Etiam Sex. Pompeius Cn. Pompeii patruus fuit eodem tempore et Caelius Antipater, qui historias conscripsit, sed plus eloquentiae quam scientiae iuris operam dedit; etiam L. Crassus, frater P. Mucii, qui Mucianus dictus est: hunc Cicero ait iurisconsultorum disertissimum fuisse.* Caelium in historiis suis res bellorum Punicorum usque ad tempora Gracchorum perduxisse verisimile est; quamquam alii contendunt intra fines belli Punici secundi eum substitisse,

luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam ut L. Crassi magister.

XXVII. 103. Utinam in Ti. Graccho Caioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisset,

verbis illis Orat. 69. in *prooemio belli Punici* abutentes. Cicero autem quam vim tribuerit his, *ut temporibus illis luculentus*, cognosci potest e Legg. I, 2. et de Orat. II, 12. f. 13.

L. Crassi] Vide c. 38.

C. 27. 103. Ti. Graccho] Hic C. Hostilio Mancino consuli a. 617. (137.) in Hispania quaestor, foedus Numantinum conciliarat: quo nomine cum Mancinus reus esset factus, et Gracchus simul in iudicium vocaretur, is ita plebis invidiam effugit, ut et leges populares se promulgaturum in tribunatu promitteret, et culpam in Mancinum relegaret. Velleius II, 2. *Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem. Quippe Ti. Gracchus, Ti. Gracchi clarissimi et eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel iudicii vel poenae metuens discrimen, tribunus pl. creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis condicio recipit, P. Mucio Scaevola L. Calpurnio coss. descivit a bonis, pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus omnium statum percutientibus summa imis miscuit, et in praeruptum atque anceps periculum adduxit remp.* et quae sequuntur. [Lepidum vero commentum et optimatibus sive bonis istis, quos Cicero collaudat omnibusque machinis tutatur, dignissimum, quo scilicet causae suae servirent, et invidiam tot vitiis ac flagitiis susceptam seu paulisper extenuarent sive totam in nomina fortuita derivarent. Ceterum opinor multum ad depravandam rerum Gracchanarum memoriam valuisse studia scholastica, cum rhetores varias inde figuras et declamandi materiam arcesserent. Videas modo Quintil. VII, 4, 13. Interdum culpa in hominem relegatur: *ut, si Gracchus, reus foederis Numantini, cuius metu leges populares tulisse in tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret.* Eodem revocandus Martiani Capellae locus, in quo haerebat Meyer. Oratt. Fr. p. 112.] Orationum eius a Plinio quoque Hist. VIII, 12. mentio est facta: cf. Ellendt. p. XXXVII. Oratt. Fragm. p. 111. [Immo Plinius, cuius verba in l. XIII. c. 26. extant, Gracchorum manus apud Pomponium Secundum se vidisse mirabundus narrat: quae res nihil facit ad orationum memoriam. Non enim quisquam Ti. Gracchi publicas litteras evolvit, si quidem ab uno Cicerone discedimus, qui Carbonis et Gracchi nescio quas orationes paene negligenter declarat superfuisse. Sed illius iudicium non sunt assecuti, qui coniecturam Corradi *neque hoc memoria* probarunt. Nimirum quam insignem eloquentiae laudem antiquitas Ti. Graccho tribuerit, eam Cicero fama quadam et rumoribus affirmat niti, quibus superstites orationes, acumine sensuum quam elegantia sermonis praestabiliores, parum suffragentur.]

C. Carbone] C. Papirius Carbo tribunus pl. a. 623. (131.) qui plebem in optimates, Ti. Gracchi interfectores, incitabat, necem illius in concione saepius deplorans,

quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa re publica est interfectus; alter propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. Sed fuit uterque summus orator. atque hoc memoria patrum teste dicimus. 104. nam et Carbonis et Gracchi habemus orationes nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et Graecis litteris eruditus. nam semper habuit exquisitos e

C. 27. 103. dicimus] *didicimus* ed. pr.

duas tulit leges, alteram de tribunis reficiundis, ut eundem tribunum quoties vellet populus crearet (quam legem Africanus minor et Laelius dissuaserunt), alteram tabellariam, ut in legibus iubendis et antiquandis populus tabellis uteretur. Tum a. 625. P. Africani, qui C. Carboni, C. Graccho, M. Fulvio Flacco triumviris agro dividundo restiterat, necis conscius fuisse fertur de Orat. II, 40, 170. Sed cum populus Gracchi, qui a. 633. occisus erat, socios odisse coepisset, repente consilium mutavit, atque adeo L. Opimium, adversarium Gracchi in iudicium vocatum consul factus a. 634. defendit illustri oratione. Quae animi levitas auxit odium cunctorum: itaque magistratu decedens cum ab L. Licinio Crasso, qui XXI. annos natus in eo accusando tirocinium eloquentiae poneret, reus esset factus, morte voluntaria iudicium effugit. V. ad Fam. IX, 21. Clinton. in a. 635.

bonis] Cicero bonorum nomine vel senatum vel eos, qui auctoritatem senatus ab iniuriis popularium partium defenderent, appellare solet. Salutem enim reipubl. in eo consistere putabat, ut auctoritas senatus valeret, neque vi tribunicia nec superbia praepotentium aut armis, quod novissimis temporibus accidit, minueretur. [Praeterea tenendum hanc unam esse de plurimis vocibus, quibus uterque sermo partes nobilium indicaret. Nota Welckeri disputatio Prolegg. in Theogn. p. 21. sqq., aucta Wachsmuthi H. A. I. 2. p. 439. sq. copiis.]

ab ipsa re publ.] I. e. consilio et auctoritate senatus. [Hic quoque cupidius Noster caedem Ti. Gracchi, quae privatis Scipionis Nasicae consiliis esset perfecta, sub ipsius reipublicae praescriptione nobilitavit; item ut c. 34. Opimium suum, C. Gracchi interfectorem, civem scilicet praestantissimum haberi voluit.]

in populari ratione] Levissimus sane fuit, qui popularem auram et favorem semper captaret.

104. Corneliae matris] Quintil. I, 1, 6. *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque epistolis est traditus.* Infra c. 58. *legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum.* Sed quae hodie eius feruntur epistolae, fictas esse constat: vide diligentes quaestiones Langii *Verm. Schriften u. Reden* p. 108. sqq.

Graecia magistros, in eis iam adolescens Diophanem Mytilenaeum, Graeciae temporibus illis disertissimum. Sed ei breve tempus ingenii augendi et declarandi fuit. 105. Carbo, quod vita suppeditavit, est in multis iudiciis causisque cognitus. hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, qui se

104. Mytilenaeum] *Mitylenaeum* edd. pleraeque.
sed ei] Hoc Lambino debetur: nam *sed et* edd. vett.
105. quod] *quoad* ed. pr. Lambino commendatum; *quo* edd. quaedam vett. Sed *quod* ab Aldo repositum recentes editores certatim sunt secuti, probantibus Madvigio in Emendatt. I. p. 72. et Zumptio in Verrin. p. 891. Praecessit enim de Graccho: *ei breve tempus ingenii declarandi fuit;* quo iudicium illud de Carbone refertur, qui, quod longiorem habuit vitam, magis est cognitus. Nam falluntur (Ramshorn. L. Gr. p. 785.) qui putant *quod* ab alterius *quoad* significatu nihil differre.

Diophanem] Vide dicta in c. 26, 100.

breve tempus] Ti. Gracchus cum a. 621. occideretur, nondum triginta annos natus erat, Plut. C. Gracchi c. 1. Cuius testimonium si fide dignum est, anno fere 590. (164.) eum natum fuisse ponemus.

105. vita suppeditavit] C. 32, 124. *cum et vita suppeditavisset.* c. 70, 245. *cui si vita suppeditavisset.* [Satis vulgaris eorum est sententia, qui Ruhnkenio in Rutil. p. 117. post alios praeeunte hoc verbum pro eo quod est suppetere positum volunt. Sed prioris et notio, copiam et varietatem complexa, paulo latius patet, et explicatio grammatica non magis vim neutralem requirit quam Graecum *παρέχειν*, de quo secus statuit Heind. in Pl. Gorg. 25. Nos *gewähren, einen Spielraum geben.*]

L. Gellius] Gellium non mirum fuisse contubernalem Carboni consuli, qui Quintiliano teste X, 7, 27. etiam in tabernaculo soleret uti exercitatione dicendi. Itaque rem his duobus locis testatam nolim, quod Spaldingius et Ellendtus p. XXXVII. fecerunt, Westermanno p. 88. repugnante, in dubitationem adduci. Verum quam Carbo gesserit expeditionem, cuius non solum particeps esset Gellius adolescens, sed consulis ipse contubernalis, quemadmodum Suetonii imperatoris contubernalis fuerat Agricola (Taciti Agric. 5.), adhuc ignoramus. [Gellium in obscura quadam militia potuisse ab latere Carbonis pendere nec perneget quisquam nec facile fidem fecerit, cum scriptores de vita civili hominis satis diligenter explicantes cursum eius militarem praetermiserint. Sed quoniam varia ratio fuit contubernalium (v. Ernest. Exc. XV. in Suetonium), suspicor Gellium etiamtum iuvenem sodalitio et quasi disciplinae clarissimi oratoris additum fuisse. Quintilianum autem vereor ne dictionis ambiguitas deceperit, dum copias Ciceronis ut solet suos in usus convertit. Ceterum quod est caput totius disputationis: Carbo, quem Cicero toties eloquentissimum appellat, si tamen varia colligimus indicia, mediocriter doctus fuit et propemodum nullarum litterarum, praesertim cum nec publicorum institutorum neque iuris civilis (de Orat. I, 10.) gnarus haberetur. Sed calluit tamen profluentia verborum et lenociniis popularibus (de Orat. III, 7. Lael. 25.) in aures concionis insinuare; quo factum

illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat; canorum oratorem et volubilem et satis acrem, atque eundem et vehementem et valde dulcem et perfacetum fuisse dicebat: addebat, industrium etiam et diligentem, et in exercitationibus commentationibusque multum operae solitum esse ponere. 106. Hic optimus illis temporibus est patronus habitus, eoque forum tenente plura fieri iudicia coeperunt. nam et quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt: L. enim Piso

atque eundem] Locum transpositione sanandum esse Corradus sensit: *canorum oratorem et volubilem et satis acrem et vehementem atque eundem et valde dulcem et perfacetum fuisse.*

dicebat — addebat] Legendum cum Lambino, *dicebant — addebant:* quam lectionem corruperunt librarii, respicientes ad praecedens *narrabat.* Contra qui Ciceroni tribuunt anacoluthon (quod faciunt etiam A. Grotefend Lat. Gr. p. 364. atque Matthiae de Anacoluthis p. 11.), parum illius honori consuluerunt. Nam si ulla in re, in hac certe Horatianum illud tenendum, *Est modus in rebus.* [Verumtamen est cur partes grammaticorum nondum audeas deserere. Profecto vix credibile videtur, si probamus istud, *addebant, industrium — esse ponere,* talem vocem, quae contubernali Carbonis foret dignissima, de *domesticis* studiis ab *auditoribus* esse profectam. Itaque concesserimus unum, si libet, *dicebant.*]

106. constitutae sunt] *sunt* om. ed. pr.

ut principem locum inter oratores superioris aetatis obtineret. Vide c. 86.] Ceterum de L. Gellio c. 47. dicetur.

106. quaestiones perpetuae] Antea populus crimina publica diiudicabat; cum autem numerus eorum vehementer augeretur, et quattuor novi praetores creati et quaestiones annuae constitutae sunt, quibus repetundarum, peculatus, maiestatis, ambitus iudicia peragebantur. V. Ferratii Epistolae p. 65. Madvig. de Asconio p. 130. alii.

L. Piso] L. Calpurnius Piso Frugi tribunus pl. Censorino et Manilio coss. a. 605. (149.) legem de pecuniis repetundis tulit, unde quaestio repetundarum perpetua coepta est exerceri: v. Verr. IV, 25. Off. II, 21. Consulatum gessit una cum P. Mucio Scaevola a. 621. quo anno Ti. Gracchus tribunus pl. fuit. Ac non huius solum legibus acriter resistebat, verum etiam C. Graccho tribuno pl. a. 631. et 632. tam acerbe est adversatus, ut Caius eum oratione maledictis plena prosciderit. Censuram gessit a. 634., ut in viro laudatissimo coniectare licet, praeclare: ut *Censorius* a scriptoribus quibusdam appellari meruerit. Huic magnam auctoritatem *Annales* conciliarunt, quibus historiam Romanorum inde ab Urbe condita ad Punica usque bella atque sua ipsius tempora persecutus est, si minus elocutione iucunda et concinna (nam exiliter ieiuneque eum scripsisse Ciceroni et Gellio IX, 14. concedendum est), certe summa cum fide et gravitate. De Pisonis orationibus nihil constat, nisi quod legem, quam ipse de repetundis tulerat, suasit, legum autem Semproniarum, nominatim frumenta-

tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio consulibus tulit (ipse etiam Piso et causas egit, et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt et annales sane exiliter scriptos); et iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant, tabella data: quam legem L. Cassius Lepido et Mancino consulibus tulit.

XXVIII. 107. Vester etiam D. Brutus M. filius, ut ex familiari eius L. Attio poeta sum audire solitus, et dicere non inculte solebat, et erat cum litteris Latinis tum etiam Graecis, ut temporibus illis, eruditus. Quae

quam legem] *quasi legem* ed. pr.
C. 28. 107. familiari eius] *eius* om. ed. pr.
illis, eruditus] Item ed. pr. *illis, satis eruditus* Lamb. cum edd. quibusdam.

riae ab C. Graccho rogatae dissuasor extitit. Huius res ac litteras diligenter exposuit H. Liebaldti Commentatio de L. Pisone Annalium scriptore, Numburgi 1836. edita. Ceterum ab illo Caium Pisonem, qui bellum civile Marii et Syllae tradidit, (Plut. Mar. 45.) distingui necesse est.

tabella data] Lege tabellaria Cassii data: vide c. 25.

C. 28. 107. D. Brutus] D. Iunius Brutus consul a. 616. (138.) Hispaniam sortitus est, anno sequenti proconsul Lusitaniam perdomuit, anno deinde 618. in Hispania ulteriore adversus Gallaecos feliciter pugnavit, unde Gallaeci cognomen accepit: v. Liv. Epit. LV. LVI. Pro Arch. 11. *D. Brutus, summus ille vir et imperator, Attii amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum.* Scholiastam Bobiensem, qui in hoc loco varias res confudit, in ordinem redegit Orellius in Onomastico. De Legg. III, 9, 20. *D. Brutum et P. Scipionem consules, quos et quantos viros! homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus pl. C. Curiatius in vincula coniecit.*

L. Attio poeta] De hoc v. supra c. 18. Iam Hieronymus in Chronico Olymp. 160, 2. a. 615. *L. Attius tragoediarum scriptor clarus habetur, natus Mancino et Serrano coss. a. 584. parentibus libertinis.* Attius et Pacuvius iisdem aedilibus fabulam docuerunt a. 614. alter XXX. annos natus, alter LXXX. teste Cicerone c. 64. Idem Tereum tragoediam dedit a. 651. sexagesimo anno ante mortem C. Iulii Caesaris, quo anno Turpilius atque Lucilius poetae vita cessere. V. Philipp. I, 15. ad Att. XVI, 2. 5. Clinton. F. a. 651. Atque vero est simile eum usque ad a. 670. (84.) traxisse vitam, cum Cicero, qui eum audisse testatur, XXII. annos erat natus. Eidem M. Terentius Varro, qui a. 638. natus est, de orthographia libros inscripsisse videtur, Pompeio teste in Commento p. 9. ed. Lindem. Quo in loco quamquam *Atticum* Ruhnkenius, Osannus *Ateium* in Analectis p. 67. substituunt, nulla tamen est ratio cur ab edito sit decedendum.

tribuebat idem Attius etiam Q. Maximo L. Paulli nepoti: et vero ante Maximum, illum Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occisus esset, cum omnibus in rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse. 108. Tum etiam P. Lentulus ille princeps, ad rem publicam dumtaxat quod opus esset, satis habuisse eloquentiae dicitur. Iisdemque temporibus L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur litteratiusque quam ceteri. P. Scaevola valde prudenter et acute, paulo etiam copiosius: nec multo minus prudenter M' Manilius.

tribuebat] Id Ernestius revocavit: *tribuerat* ed. pr.
cum omnibus] *tum omnibus* ed. pr.

Q. Maximo] Q. Fabius Maximus Aemilianus, filius Q. Fabii Maximi Aemiliani, nepos L. Aemilii Paulli (nam corrigendus error in Fragm. Oratt. p. 100. admissus), consul a. 633. (121.) adversus Allobroges feliciter pugnavit, unde dictus est Allobrogicus: Liv. Epit. LXI. Idem laudationem funebrem P. Scipionis Aemiliani Africani patrui dixit, quam litteris mandatam Cicero p. Murena c. 36. commemoravit.

ante Maximum] Cave iungas *ante Maximum illum Scipionem:* quae res fraudi fuit Guilielmo.

illum Scipionem] P. Cornelius Scipio Nasica Serapio consul a. 616. (138.) Quem constat, in tribunatu Ti. Gracchi a. 621. cum consulem Scaevolam videret languentem, privatum se sequi iussisse, siquis remp. salvam esse vellet, eiusque auctoritate Gracchum fuisse sublatum. V. Tusc. IV, 23, 51.

108. P. Lentulus ille princeps] P. Cornelius Lentulus consul suffectus a. 592. (162.), princeps senatus, in tumultu C. Gracchi a. 633. grave vulnus accepit. Idem accusavit Manium Aquillium patrem. V. Orellius in Onomastico. Wetzelium de hoc viro errantem redarguerunt Ellendtus et Drumann. T. II. p. 529.

L. Furius Philus] In Fastis *Publius* appellatur. *P. Furius Philus Sex. Atilius Serranus coss.* a. 618. De Orat. II, 37. *Certe non tulit haec civitas aut gloria clariores aut auctoritate graviores aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt.* De huius litteris arbitrari licet e Cic. de Rep. I, 11. sqq.

P. Scaevola] Vide c. 26, 98.

prudenter] Referendum ad iuris peritiam.

M' Manilius] Consul cum L. Marcio Censorino a. 605. (149.) tres de iure civili libellos (Pompon. de Orig. iur. c. 3, 39.) et actiones vel venalium vendendorum leges (de Orat. I, 58. cf. Orell. Onomast.) reliquit. Ac nescio an alia quoque scripta, quae ad litteras et ad antiquitatem Romanam pertinerent, ediderit. Gellius quidem III, 3. Manilium iis annumerat, qui de Plauti fabulis commentati sint, Festus autem p. 259. ed. Lind. fragmentum Manilii de antiquitate Romana servavit. Non minus incertum an carmina confecerit: siquidem Varro de L. L. p. 302. tragoediam, p. 315. epigramma Manilii affert. Sed improbo Harduinum, qui quem Plinius Hist. X, 1. senatorem, maximis

Appii Claudii volubilis, sed paulo fervidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus et C. Cato Africani sororis filius, mediocres oratores; etsi Flacci scripta sunt, sed ut studiosi litterarum. Flacci autem aemulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, sed ut vita sic oratione etiam turbulentus. 109. M. Drusus, C. F., qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum tribunum fregit, vir et oratione gravis et auctoritate, eique

108. erat oratio] *oratio erat* ed. pr.
109. fregit] Sic Victor Pisanus: *fecit* edd. vett.

nobilem doctrinis doctore nullo, vocat, quemque primum atque diligentissimum togatorum de phoenice prodidisse scribit, eum in Indice Auctorum pro eodem habuerit: arbitror enim a Plinio aequalem potius quam veterem scriptorem tanto honore laudari.

Appii Claudii] Appius Claudius Pulcher consul a. 611. (143.) qui Salassos, gentem Alpinam, domuit, competitor fuit P. Africani minoris in censura, quam hic Appio repulso administravit a. 612. Idem princeps senatus, socer et fautor Ti. Gracchi. V. Drumann. T. II. p. 180.

M. Fulvius Flaccus] Is post Ti. Gracchi mortem triumvir agris dividundis cum C. Graccho et C. Carbone creatus plebem seditiosis concionibus solicitavit, et Africanum ipsi collegisque adversantem pro rostris insectatus est; idemque Scipionem Serapionem, qui Ti. Gracchum interfecerat, accusavit. Deinde consul a. 629. (125.) leges tulit de civitate sociis Italicis danda. Cum vero a. 633. C. Gracchum adiuvaret, una cum eo liberisque suis caesus est. Cf. Henrichsen. in II. Orat. 70. et Orellius in Onomast.

C. Cato] C. Porcius Cato, M. Catonis censorii et L. Paulli nepos, filius Tertiae sororis P. Africani minoris. Plut. Cat. mai. 24. Is post consulatum, quem a. 640. (114.) gessit, lege Mamilia a. 644. oppressus est, ut coniurationis Iugurthinae particeps: vid. c. 34, 128.

etsi Flacci] Et Flaccum et Catonem mediocres oratores esse dico; nam quas Flaccus reliquit orationes, ipsae sunt mediocres: quippe quae non ab oratore, sed a studioso dicendi compositae videantur. [Aliam quandam interpretandi viam poscit illud *etsi*, quod ad leniendum potius quam firmandum valet iudicium. Nam si tenemus oratores aevi superioris plerosque (cf. c. 24.) non scriptis sed admirationi suorum civium famam eloquentiae debuisse, quam memoria posteritatis mirum quantum augeret: non potest obscurum esse, cur in illorum recensu Tullius existimationem aequalium a dignitate commentariorum accurate distinxerit. Vide modo sententiam de laude Carbonis et Ti. Gracchi c. 27, 104. Itaque hoc loco Flacci et Catonis laudem quidem mediocrem, prioris tamen industriam tradit probabilem fuisse, qui labore domestico stilum exercuerit.]

P. Decius] Praetor a. 640. Cave confundas, sicut Wetzelius fecit, cum Q. Decio, Opimii accusatore. Cf. Henrichsen. in II. Orat. 31.

109. M. Drusus] M. Livius Drusus in tribunatu C. Gracchi collega a. 632. eique tanta constantia restitit, ut ob eximiam adversus Gracchos operam patronus senatus diceretur: Sueton. Tiber. 3. Consul fuit a. 642.

proxime adiunctus C. Drusus frater fuit. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum, paulum aetate antecedens. fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quaestor Gracchus, tribunus

paulum aetate] *paulum* om. ed. pr.

C. Drusus] Is in senectute caecus fuit. Tuscul. V, 38. *C. Drusi domum compleri a consultoribus solitam accepimus: cum, quorum res esset, sua ipsi non videbant, caecum adhibebant ducem.* Eundem de iure civili composuisse libros auctor est Valerius Max. VIII, 7, 4. [Nihil in hanc sententiam ille de caeco sene potuit litteris mandare, sed orationem ut solet calamistris inustam obscuriorem effecit hanc: *qui aetatis viribus et acie oculorum defectus ius civile populo benignissime interpretatus est, utilissimaque discere id cupientibus monumenta composuit.* Id est, disciplinam tradidit, quae memoriam senis propagaret.]

M. Pennus] M. Iunius Pennus, filius eius qui cum Q. Aelio a. 587. consul fuit, tribunatum gessit a. 628. (126.), quo ipso anno C. Gracchus quaestor in Sardiniam abiturus erat, unde biennio post a. 630. Romam rediit. Apud Cic. de Offic. III, 11, 47. quod Pennus legem de peregrinis sive de civibus regundis tulisse dicitur, Beierus Fannium substituit, cum a Fannio consule a. 632. in tribunatu C. Gracchi legem de civitate, de sociis et nomine Latino (vide c. 26.) latam esse constet. Cuius opinio sane probabilis esse videtur. Nam Pennus si a. 628. legem de peregrinis ex Italia eiiciendis tulisset, quonam pacto ξενηλασίαν, quattuor annis post lege Fannia factam, tanquam novam et insolitam commemorare potuit Plutarchus (C. Gracchi c. 12.)? Apud Festum vero p. 236. ubi C. Gracchi oratio contra legem Penni memoratur, auctoris nomen sola nititur coniectura. Walterus tamen p. 245. ea ratione litem censet dirimendam, ut legem Penni ad peregrinos, Fanniam ad Latinos et Italicos pertinuisse contendat. [Recte quidem; neque causam excogitare licet, cur legem eam, cuius argumentum haud leviter ab Fannia discreparet, a Penno abiudicari patiamur. Sed hunc lege de peregrinis effecisse, ut Gracchus irritaretur (quae produntur in Fragm. Oratt. p. 119.), id novum est.]

facile] Id ad Penni peritiam dicendi pertinet, eique laudem eloquentiae tribuit. [Quasi facilem locum interpretes leviter habuerunt. Pennus vero *Gracchum agitavit*, qui tum temporis quaestor in Sardinia tenderet, nec rempublicam adhuc attigisset? et *facile* quidem *agitavit* hominem in dicendo potentissimum, cuius inter adversarios nemo Pennum rettulerit? Quae si reputamus, non licet dubitare quin *Gracchum* coire debeat cum illis *paulum aetate antecedens*. Vellem eadem opera de proximis iudicium fieret, quibus non habeo quo pacto succurram nisi depulsis *in tribunatu*, quae librarii repetierant e membro superiore. Iam *agitavit* etsi novum est ne addito quidem nomine de mentis agitatione dici, Ciceronem opinor, cuius extat item singularis dictio de Divin. I, 29. *ea parte animi quae mentis et consilii est agitata et erecta*, facultatem Penni significasse, qui quamlibet in partem auditores pertraheret et commotos semel ad sensus excelsos erigeret.]

Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Aelio consul fuit; sed is omnia summa sperans aedilicius est mortuus. Nam de T. Flaminino, quem ipse vidi, nihil accepi nisi Latine diligenter locutum.

XXIX. 110. His adiuncti sunt C. Curio, M. Scaurus, P. Rutilius, C. Gracchus. De Scauro et Rutilio

is omnia summa] Sic ed. pr. *omnia is summa* Lamb.
C. 29. 110. his adiuncti] *iis adiuncti* male edd. multae.

Nam de T. Flaminino] T. Quintius Flamininus, quem omittendum putat (id enim spectat *nam* particula), ac similiter infra c. 74, 259. perstrinxit, cum Q. Caecilio Metello consul fuit a. 631. (123.) XVII. annis ante natum Ciceronem.

C. 29. 110. C. Curio] De hoc exposuit c. 32. item de C. Graccho c. 33.

M. Scaurus] M. Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callide occultans (quod Sallustii fuit iudicium), consul a. 639. (115.) eodem anno princeps senatus ab L. Metello Dalmatico et Cn. Domitio censoribus lectus est. Seditiosis omnibus a C. Graccho usque ad Q. Varium (a. 630—663.) restitit, nec potuit eum vis, minae, invidia labefactare. L. Calpurnio Bestiae, cuius quaestor fuerat, reo affuit a. 644. Iterum consul creatus a. 647. a P. Rutilio Rufo competitore ambitus accusatur, quem Scaurus absolutus in iudicium vocavit. Deinceps a. 650. Cn. Domitius Ahenobarbus tribunus plebis, post legationem Asiaticam a. 663. Q. Servilius Caepio lege Servilia repetundarum, idemque lege Varia a. 664. proditionis, item repetundarum, incertum eadem quam dixi causa an in alia, M. Brutus accusarunt. Supersunt pauca quaedam *orationum* contra Q. Caepionem et contra M. Brutum (v. Oratt. Fragm. p. 128. sq.), item librorum, quos *de vita sua* composuit, fragmenta. Ceterum adeatur Westermann. §. 42. sive Kraus. Hist. Fragm. p. 223. sqq.

P. Rutilius] P. Rutilius Rufus a. 633. (121.) in Asia quaestor erat Q. Mucio Scaevolae Auguri propraetori, a. 640. tribunus, a. 644. praetor, a. 649. consul. Deinde cum Q. Mucii Scaevolae Pontificis (quem ab Augure distingues), a. 660. proconsulatum Asiae tenentis, legatus ab iniuriis publicanorum provinciam defendisset: invisus equestri ordini, penes quem erant iudicia, repetundarum damnatus et in exilium missus est a. 662. Accusatorem Rutilii fuisse Apicium, hominem luxuriae et gulae deditum, Athenaeus tradit IV. p. 168. D. οὗτος δ' ἐστὶν Ἀπίκιος ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἴτιος γενόμενος Ῥουτιλίῳ τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ. Inde Smyrnae degit, ubi Cicero (vid. c. 22.) per iter Asiaticum a. 676. eum vidit. Cf. Liv. Epit. LXX. Clinton. in a. 662. Causam eius Q. Mucius susceperat: Rutilius autem cum utrique Mucio coniunctissimus fuerit, interpretes ambigebant, uter eius defensor extitisset. Apparet autem tam ex Bruto quam ex Val. Max. VIII, 15, 6. Q. Mucium Pontificem intelligendum esse. Extat de hac re commentatio Krebsii, in Diario Scholast. 1828. II. n. 48. edita, ab Orellio in Onomastico p. 407. repetita; ac de Rutilii rebus vide quae collegit Westerm. p. 94. sq. Quas Rutilius orationes reli-

breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem, et uterque in multis causis versatus erat. In quibusdam laudandi viri; etiamsi maximi ingenii non essent, probabiles tamen industria; quamquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere. ne id quidem satis est, nisi id,

et uterque] *at uterque* Ernestii, *etsi uterque* Schneideri coniecturae. Quod alii contendunt, *et* significare *sed*, merito reiecit Handius in Tursell. T. II. p. 494. monens Latinos in opponendis sententiis contrariis saepius uti simplici copula, ubi nos adversativam particulam usurpemus. Cf. c. 56, 204. *nihil tam dissimile quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum praestitit.* Et c. 75, 261. *etiamsi orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus.* [Talem usum particulae legitimum esse, sicubi per irrisionem vel affectionem animi res diversissimae inter se contendantur, existimari potest ex Verr. V, 2, 5. De Legg. II, 21, 53.]

laudandi viri] Sic ed. Rom. Vulgo corrupte legitur: *In quibusdam laudandis viris, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria.* Error librarii, qui ad ablativum *quibusdam* accommodabat sequentia: ex hoc enim fonte multas corruptiones fluxisse praeter alios Turicensis Quintiliani codex demonstret. Orellius etiam, vulgatae lectionis vitium intelligens, sic refingebat: *In quibus laudabatur iure, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria. In quibus sane laudandis viris* Ernestii suspicio, nonnullis probata. [Neutri favet collocatio particulae *tamen;* Orellianum neque commendat exilius istud *iure,* et friget in laude posita *probabilis industria.* Ceterum quam exhibuit scripturam editio Romana, nondum ea coagmentationem verborum atque facilitatem praestat, quam par est ab Ciceronianis exigi quamvis negligentiore stilo fusis.]

probabiles] Ed. Rom. *probabilis* vulg.

quit, earum levia supersunt vestigia: velut apud Suetonium Aug. 89. orationis de modo aedificiorum, quam in aedilitate, opinor, habuit, et apud Diomedem p. 372. orationis pro L. Caerucio ad populum. Scripsit porro de iure (Zimmern. I. p. 280.), cuius disciplinam ab Mucio (v. de Offic. II, 18.) acceperat; res Romanas graece, ab antiquissimis temporibus ad bellum civile Marii ac Syllae progressus, ut in testibus de vita Scipionis Africani maioris (v. Liv. XXXIX, 52. et Isidor. Origg. XX, 11, 4.) afferri potuerit: v. Clinton. F. in a. 666. Madvig. Opusc. p. 21. Idem de vita sua Latine plures libros confecit. Cf. Kraus. Hist. Fragm. p. 230. sq. Epistolam tamen Rutilii ad Mithridatem regem (Plut. Pomp. 37.) malevolus quidam finxerat.

[quid dicendum sit] Ornatius haec elocutus est de Orat. II, 27. ubi post alia quaedam: — *tamen prudentiae est paene mediocris, quid dicendum sit videre; alterum est, in quo oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea quae dicenda sunt ornate, copiose varieque dicere.*]

[solute et suaviter] Infra c. 81, 280. *facile soluteque verbis vol-*

quod dicitur, fit voce, vultu motuque conditius. 111. Quid dicam opus esse doctrina? sine qua etiam si quid bene dicitur adiuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest. In Scauri oratione, sapientis hominis et recti, gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. 112. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime. significabat enim non prudentiam solum, sed quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. quamquam huius quoque ipsius rei, quemadmodum scis, praecepta sunt.

fit] Sic codd. et ed. pr., remota structurae ambiguitate: *sit* Asc. Lamb. Ern.

111. tamen id] *tamen* om. ed. pr.

cum pro reo diceret] Om. Gu. probantibus Schneidero et Schütsio. Verum ut aperta sit et dilucida sententia, his carere non possis. [Vellem ab criticis indicatum esset, quam causam pro reo quodam Scaurus orasset. Immo neminem ille, quem defenderet, habebat, opinor, praeter se ipsum in iudicium toties vocatum. Tum igitur facile naturalem protulit auctoritatem, cum pro defensione sibi diceret testimonium; cuius specimen sit nobilis eius vox certatim celebrata (Quintil. V, 12, 9.): *Q. Varius Sucronensis ait Aemilium Scaurum rempublicam Po. Romani prodidisse; Aemilius Scaurus negat.* Neque hoc mirum accidit in homine, cuius singularem gravitatem ac severitatem Cicero collaudet p. Font. 7. de Offic. I, 30. Unde satis fit verisimile retrahendam esse voculam facile elapsam: *cum pro se reo diceret.*]

112. quemadmodum scis] *scitis* coni. Orellius. Sed eadem formula pluribus locis, ut §. 114. *scis.* [Solet enim Tullius, ut par fuit, compellare Brutum, cui librum inscripsit, sicubi consilia quaedam vel admonitiones de oratoria disciplina interponit: cf. c. 24. 31—33. 40—42. 46. et al.]

vebat sententias. Id noli de volubilitate sermonis accipere, sed ut *solutus* ad vultum, habitum, numeros quasi relaxatos et minus astrictos referri solet, ita *solute dicit*, qui mollem quendam et liberum hilarioremque verborum cursum sequitur, alienum illum a tristitia et acerba brevitate, quam in Rutilio reprehendi videmus. Cf. Plin. Epp. II, 11, 21.]

111. recti] rectus dicitur simplex, qui nullo utitur orationis fuco. [Cf. Gesner. in Quintil. IX, 2, 78.]

112. ad patrocinia] Ad causas agendas.

significabat] Hoc dicendi genus simplex et grave non erat prudentiae solum et experientiae testis, sed etiam fidei et sinceritatis. Cf. annot. in c. 22, 88. Nos: *verrieth*, *liess wahrnehmen.*

[praecepta sunt] Nota Graecorum rhetorum industria, qui doctrinam de fide facienda bipartitam Aristotelis auctoritate (v. Westerm. hist. eloqu. Gr. p. 152.) traderent. Hinc vulgo receptum

Huius et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta sane utiles; quos nemo legit: at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen

[acta] Molesta vox, quam ut inutilem resecari iusserunt Colerus et, qui ratiunculas quasdam de vocis origine exprompsit, Billerbeckius. Schützium scripturae librorum, quorum D. Gu. *apta*, Ox. *apte* praebent, ad coniecturam perduxerunt hanc: *scripti de vita ipsius apte, ac sane utiles;* verum in istis salebris aegre concinnitatem Ciceronis agnoscimus. Nonnihil tamen, quod in transcursu monemus, perspexit vir ingeniosus, cum sententiam in ipso principio capitis 30. collocari solitam, quae tenorem narrationis praeter expectationem interrumpit, *Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit*, superiorem in locum retraheret non leniter castigatum: *tres ad L. Fufidium (qui ipse etiam in aliquo patronorum numero fuit) libri.* Sed Cicero cum Fufidium, cuius mentionem fecisset, inter facundos homines sileri noluerit, huic proposito satis consultum opinamur, finibus cap. 29. usque ad novissima *in aliquo p. n. fuit* prolatis. Ceterum *de vita ipsius acta*, quae breviter enunciari poterant *de vita sua*, longissimum vitae cursum et in ipsa senectute consummatum videntur indicare; nec Lambinum omnino fugit, quid res postularet, cum suspicaretur, *de vita ipsius ante acta.*]

rebus nostris] *nostris rebus* ed. pr.

est duplex πίστεων sive *probationum* (Quintil. V, 10, 8. coll. c. 1. pr.) genus, alterum πίστεις ἔντεχνοι sive *artificiales* dictum, quod totum rationis fuit, ac potissimum e demonstratione, morato sermone (qualis huius Scauri habebatur) et dicentis affectibus pendebat; alterum ἄτεχνοι sive *inartificiales*, quo fere totum instrumentum forense continebatur, id est, tabulae, testes, iusiurandum, alia. Vide de Orat. II, 27.]

ad L. Fufidium] L. Fufidius erat homo veteris frugalitatis: cuius rei documentum prodidit Plinius Hist. XXXIII, 1, 6. *ne tum quidem omnes senatores anulos habuerunt, utpote cum memoria avorum multi praetura quoque functi in ferreo consenuerint, sicut Calpurnium et Manilium, qui legatus C. Marii fuerat Iugurthino bello, Fenestella tradit, et multi L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de vita sua scripsit.* Unde colligi potest L. Fufidium praetorem fuisse. Idem de architectura scripsit, si Schneideri coniecturae in Vitruv. VII. praef. 14. fides est habenda.

Cyri vitam] Xenophontis Cyropaediam eo nomine cum libro Scauri comparat, quod uterque nativa simplicitate emineat: sed reprehendit populares suos, quos Cyri vita, quamvis ea Romanis non esset tam accommodata quam Scauri, et virtutes Scauri non possent Cyri laudibus superari, Graeca tamen narratio multo magis oblectabat. Nec mirum; nam in eo sane Cicero causam suam exaggeravit, quod veteres Romanorum scriptores, ut Catonem, ut hunc ipsum Scaurum, Graecis aequiparare studet; neque verior comparatio Bruti accusatoris cum Lycurgo oratore (c. 34, 130.), aut Catuli cum Xenophonte (c. 35, 132.), vel Antonii et Crassi cum Demosthene et Hyperide c. 36. instituta.

Scauri laudibus anteponendam. Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit. XXX. 113. Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est; et uterque natura vehemens et acer; itaque cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit; multaque opera multaque industria Rutilius fuit; quae erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure respondendi sustinebat. 114. Sunt eius orationes ieiunae; multa praeclara de iure: doctus vir et Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis: quorum peracutum et artis plenum orationis genus, scis tamen esse exile, nec satis populari assensioni accommodatum. Itaque illa, quae propria est huius disciplinae,

C. 30. 113. [acer. Itaque cum] Sic editi, male narrationi de accusationibus Scauri et Rutilii iungentes praeter rem, *multaque opera* et quae sequuntur. Nos distinctionem refinximus.]

de iure respondendi] *iuris respondendi* Lamb. probante, quod miror, Orellio.

114. multa praeclara] Intellige *scripta*. Eandem in sententiam *multa praeclare* Ernestius, *multa et praeclara* Orellius.

scis tamen esse exile] Sic. codd. cum ed. pr. *sed tamen exile* Ald. Lamb. Ern. [Hos mireris parum ad illam efficacem dicendi brevitatem attendisse, quam Cicero cum optimis scriptoribus, praecipue vero cum poetis habet communem in particula *tamen*, quamque facile nemo non agniturus fuisset, si participium his *peracutum et artis plenum* adiici licuisset simile Graeco ὄν. Nam orationem sic esse solvendam, *quorum genus, quamvis sit peracutum et artis plenum, exile tamen esse scis*, docent vel Acad. I, 1, 3. *Ista quidem iam diu expectans, non audeo tamen flagitare*, et ib. II, 4, 11. *et homo natura lenissimus — stomachari tamen coepit.* Ac notissimum Virgilianum Ecl. I, 28. *libertas, quae sera tamen respexit inertem:* ne dicam Graecum usum in ὅμως paene vulgarem. De his materiam aliquam congesserunt Beierus in Or. p. Tull. 40. et Heind. in Horat. p. 386.]

populari] *populi* ed. pr.

C. 30. 113. et uterque] Patet Scaurum et Rutilium esse intelligendos.

114. orationis genus] Similiter Stoicam disserendi eloquendique rationem perstrinxit Cicero de Orat. III, 18. de Fin. IV, 28. quocum Quintil. X, 1, 84. veteres Stoicos rebus magis acutos esse quam oratione magnificos tradit.

huius disciplinae] Stoici omnia sua in se posita, humanosque casus virtute inferiores ducebant. Vide vel Lael. 2. Tusc. V, 12. [Hoc est, res humanas ad rigidum exemplar viri sapientis revocabant quem cum ratione sectaque Stoicorum adeo coniunctum haberent, ut regem et artium omnium peritissimum eundem esse pronunciarent. V. Lipsii Manud. ad Stoic. Phil. II, 8. sqq. et Heind. in Ho-

philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est. 115. qui cum innocentissimus in iudicium vocatus esset (quo iudicio convulsam penitus scimus esse rem publicam), cum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. dixit ipse pro sese; et pauca C. Cotta, quod sororis erat filius, et is quidem tamen ut orator; quamquam erat admodum adolescens. Sed

in hoc viro] Sic etiam ed. pr. *in hoc uno* mendam quorundam speciosam probavit Lamb.

115. qui cum] Sic etiam ed. pr. *qui quamquam* male Lamb. Ern.

consulares] Om. ed. pr.

Sed] *Sed et* ed. pr., hoc est, sed etiam. C. 17, 67. *Sed et in nostris inscitia est.* Multa huic similia protulit Handius Tursell. T. II. p. 510. [Nullus istis particulis locus in ea sententia, quae prorsus ab anacoluthi licentia recedit. Nam in c. 17. Cicero vehementia quadam affectus eo se passus est abripi, ut membrum superioribus *sed et in n. i. est* referendum longam post intercapedinem afferret, *Nec vero ignoro, nondum esse satis politum* etc.]

rat. p. 82. Hinc pendet insolens dicendi forma *philosophorum de se ipsorum opinio*, quam tollit commentum Schützii *de sapiente opinio*. Nam reliqui philosophi quam dudum de se ipsi concepissent opinionem (id quod inest vocibus Tullianis), animum studiis philosophiae incensum et despicientia rerum vulgarium emendatum ad perfectam humanitatem et similitudinem deo pervenire posse: eam igitur fiduciam ab aliis inchoatam Stoici prorsus ad suam sectam traduxerunt, cui summa quaeque praesidia honeste beateque vivendi assererent. Nos in liberiore sententiae conformatione: *das Bewusstsein ihrer Würde, welches die Philosophen ihrestheils immer gehegt haben, die Stoiker aber als Eigenthum ihrer Schule in Anspruch nehmen.* Unde potest etiam de criticorum errore statui, qui deinceps mallent *qui quamquam innocentissimus;* quo nihil fieri potuit magis ab Rutilii sensibus alienum. Nimirum homo constantissimus *quia* suam innocentiam satis fore putabat, patronos noluit admitti. De Orat. I, 53, 229. *nam cum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentiae, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate neque sanctior: non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat.*]

115. convulsam] Causa Rutilii magnas in re publ. excitavit turbas, cum equester ordo non Rutilium solum, sed dignitatem etiam senatorum laesisset, ordinumque concordiam turbasset. Vellei. II, 13. *Eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus — P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis aevi optimum, interrogatum lege repetundarum maximo cum gemitu civitatis damnaverant.*

L. Crassus et M. Antonius] De his ordine disputavit c. 36. sqq.

C. Cotta] Vide c. 55. Is tum admodum adolescens fuit, qui annum tricesimum tertium ageret.

Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii et magnitudo causae postulabat. 116. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis: utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera hac oratoria laude caruerunt. volo enim, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.

postulabat] *postulat* ed. pr.

116. [hac oratoria laude] Fuerunt qui *hac* ad *civitate* referrent. Quorum error Schützii peperit coniecturam, *ne hac quidem in civ. genera haec or. l. caruerunt:* quasi Stoicus orator inter Graecos extitisset. Sed *hac* Cicero more suo dixit de re nunc ipsum in disputationem vocata. Vide vel Goerenzium in Cic. Legg. I, 12. III, 6.]

Q. Mucius] Q. Mucius Scaevola Pontifex consul a. 659. cum post consulatum regeret Asiam provinciam, habuit (ut supra dictum in §. 110.) legatum P. Rutilium. Hunc igitur adversus publicanos defendit, quorum ipse inimicitias susceperat, innocenter provinciam administrans. Sed de Mucio infra dicetur c. 39.

116. in antiquis] Antiqui oratores ii habentur, qui natura potius quam arte atque doctrina copiam dicendi sunt assecuti. Supra c. 25, 94. *fuerunt in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii fratres: simplex quidem Lucius et antiquus.* Cf. c. 35, 132. et c. 86.

statarios] C. 68. *C. Piso statarius et sermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando.* Orator statarius is dicitur, qui omni prope actione destitutus est; item ut actor statarius, qui simplici actione utitur, non ea, quae arte et studio comparatur. Cf. Ernesti Lex. Technol. s. v. et Gron. Obss. IV, 7. [Quoniam figuram a scena duxit Cicero, tenendum et discrimen, quod inter statariam comoediam et motoriam intercedebat, et diversum in comoedia histrionum propositum, quorum alii tenui vultus vocisque notatione mollem, decoram, favorabilem exprimerent actionem; alii placerent agilitate, gestu paullum argutiore ac flexibili (sive *motu difficili*, ubi haesit Ernestius, quem Graeci *ποικίλον*, nos *künstlich*), denique summa lenociniorum varietate. Cuius diversitatis exempla luculenta Demetrium et Stratoclem protulit Quintilianus XI, 3, 178.]

molesta] C. 38, 143. *Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia.* Sueton. Aug. 86. *Sed opus est, dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris.* Tiber. 56. *Xenonem quendam exquisitius sermocinantem cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset Doridem: relegavit Cinariam.* De illust. Gramm. 22. *M. Pomponius Marcellus, sermonis Latini exactor molestissimus.* [Nos *gezwungen, peinlich;* cum *veritas* ista respondeat vernaculo *Naturtreue.* Quintil. XI, 3, 183. *Quare non immerito reprehenditur*

XXXI. 117. Et quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat, paulo etiam durior: qui quidem in triumviratu iudicaverit contra P. Africani avunculi sui testimonium, vacationem augures, quo mi-

C. 31. 117. est facta] *facta est* ed. pr.
in triumviratu] Sic codd. et edd. vett. *in tribunatu* Schützii suspicio, Ellendto et Orellio probata: Vide Comment.

pronunciatio vultuosa et gesticulationibus molesta et vocis mutationibus resultans. Ceterum *non molesta* cogendum in unam et solidam notionem: ne quis cum Ernestio desideret *molestia.*]

C. 31. 117. Q. Aelius Tubero] Q. Aelius Tubero tribunus pl. a. 621. (133.) Ti. Graccho, qui tum excitavit tumultus, restitit. Lael. c. 11, 37. *Ti. Gracchum rempublicam vexantem a Q. Tuberone aequalibusque amicis derelictum videbamus.* Idem in praetura a. 631. C. Gracchi tribuni pl. legibus repugnavit. Consul sufficitur a. 636. Nam Fasti Capitolini *a.* 635. *M. Porcius M. f. M. n. Cato (in magistratu mortuus est; in eius locum factus est Q. Aelius Q. f. Q. n. Tubero) Q. Marcius Q. f. Q. n. Rex.* Et Pomponius de Orig. Iur. c. 3, 40. *Ab his profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit, P. Virginius et Q. Tubero ille Stoicus, Pansae* (Panaetii) *auditor, qui et ipse consul.* Ex hoc Pomponii loco colligimus Tuberonem de iure scripsisse. Sed non in iure solum sed in ceteris etiam doctrinae generibus excelluit vixitque familiarissime cum philosophis Graecis, quorum ei Panaetius epistolam (v. Lynden. de Panaet. p. 116. sq.), Hecato Rhodius de officiis inscripserunt: De Fin. IV, 9, 23. Offic. III, 15. Eidem Africanum avunculum, qui a. 625. vita decesserat, laudanti C. Laelius scripsit laudationem: De Orat. II, 84. Simplicitate autem morum atque ruditate tanta fuit, ut omnem splendorem cum privatae tum publicae vitae sperneret ob eamque rem populo minus probaretur: p. Murena c. 36. Tacit. Ann. XVI, 22. *ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque reipubl. ingrata nomina, genuit.* Hic Tubero distinguendus est tam a Q. Tuberone historico quam ab eo, qui Ligarium accusavit multaque volumina de iure reliquit.

in tribunatu] Sic Schützius. Fuerunt sane multi in republica triumviri, quibus varia munerum et officiorum erat cura; iudicia tamen ad eos pertinuisse nego. Eorum vero constituendorum maxime apud tribunos erat potestas. [Tribuni cum rarissime iudiciis intercesserint, tum parum me intelligere fateor, quae rationes Tuberonem, si forte, tribunum ad patrocinium testimoniumve auguribus indicendum compellere potuerint. Itaque malumus eum triumviris capitalibus ascribi: qui cum custodes publicae securitatis fuerint constituti debuerintque cavere, ne senatusconsulta de rebus urbanis et sacris violarentur (v. Huschk. in libell. de Magistr. p. 104. sqq. et Walter. I. p. 165. sq.), potuit iis sane usu venire, ut auxilium ab auguribus expeterent. Cuius rei coniecturam licebit ab Liv. XXV, 1. derivare. Interim non patiemur vestigia sive moris reconditi sive extraordinariae potestatis oblitterari.]

nus iudiciis operam darent, non habere: sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. sunt etiam in Gracchum Tuberonis. is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando. 118. Tum Brutus: Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Graecis: ut omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sint et id arte faciant sintque architecti paene verborum, iidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur. Unum excipio Catonem,

sic oratione] *sic in oratione* ed. pr.
et in primis] *et* om. ed. pr.

sed ut vita] *sed* eodem accipiendum sensu, quo dictum in c. 21, 81.

Graccho] Caium, non Tiberium, Gracchum accipio, contra quam Orellius in Onomastico v. *Q. Aelius Tubero* statuit. Sed ubique, cum Gracchus nullo praenomine appellatur, Caius est intelligendus; quodque gravissimum est, Priscianus ipsius Caii Gracchi orationem contra Q. Aelium Tuberonem profert T. I. p. 108.

118. omnes fere Stoici] Quintil. X, 1, 84. (coll. XII, 2, 25.) *Minus indulsere eloquentiae Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque quae instituerant plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis quam, id quod sane non affectant, oratione magnifici.* Ipse Cicero de Fin. IV, 28. *verba tenent mordicus quae rursus dum sibi evelli ex ordine nolunt, horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus.* Quorum artem disserendi inveniendique supra c. 4. laudibus extulerat.

Catonem] M. Porcii Catonis Uticensis eloquentiam sic describit Plutarchus c. 5. *καὶ γὰρ ὁ λόγος νεαρὸν μὲν οὐδὲν οὐδὲ κομψὸν εἶχεν, ἀλλ' ἦν ὄρθιος καὶ περιπαθὴς καὶ τραχύς. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ χάρις ἀγωγὸς ἀκοῆς ἐπέτρεχε τῇ βραχύτητι τῶν νοημάτων καὶ τὸ ἦθος αὐτοῦ καταμιγνύμενον ἡδονήν τινα καὶ μειδίαμα τῷ σεμνῷ παρεῖχεν οὐκ ἀπάνθρωπον.* Paradox. Prooem. *Animadverti, Brute, saepe Catonem avunculum tuum, cum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. Cato enim de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate patriae Stoice solet ornamentis oratoriis adhibitis dicere.* Cf. Sallust. Catil. 54. Quintil. XI, 1, 36. *Hic, qui bello civili se interfecit, Cato eloquens senator fuit.* Monet etiam Cicero de Legg. III, 18, 40. in eo genere senatoriae facundiae magnum fuisse Catonem, ut longis orationibus aut diem eximeret, peccante senatu aut in gravissimis causis oratoris copiam explicaret vel ad hortandum vel ad docendum. Orationum eam solam, quae de coniuratione Catilinae erat, aetatem tulisse tradit Plutarchus Cat. 23.

in quo perfectissimo Stoico summam eloquentiam non desiderem, quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse. 119. Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa, propterea quod istorum in dialecticis omnis cura consumitur, vagum illud orationis et fusum et multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus, quemadmodum scis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit: sed dicere didicit a dicendi magistris, eorumque more se exercuit. Quod si omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. 120. Quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum [id est ex vetere Academia] philosophorum sectam secutus es, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio coniungitur cum suavitate dicendi et copia: quamquam ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit

118. desiderem] *desiderent* ed. pr.
119. tuus autem] Om. *autem* ed. pr.
petenda] Om. ed. pr.
120. id est ex vetere Academia] Delenda censuerunt Lamb. et Ern., delevit Schützius cum sequacibus. Repugnavit, quia veteres ab novis Academicis ubique diligenter soleant distingui, Goerenzius in Fin. V, 3. p. 537. Ad Brutum autem infra referuntur c. 40, 149. *Cum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus Academia dixit, mediocritas;* et c. 97, 332. *quid te exercuit Pammenes? quid illa vetus Academia?* Frustra criticos in glossematis odorandis opinor fuisse etiam de c. 46, 172. *domum redeamus, id est, ad nostros revertamur*, et c. 62. *ex acie, id est, a iudiciis.* [Quatenus formulam *id est* ad criticum usum liceat revocare, summatim explicabimus in c. 46. Hoc autem loco quibus machinis perversam istam interpositionem tueamur, quam et collocatio et ipse color verborum aspernentur, non dispicio. Goerenzii tamen ratiocinationem, qui Brutum, ut philosophum Antiochium, novam cum Academia vetere conflasse fabuletur, quis est quin intelligat vacillare atque vehementer frigere?]

in Fannio] Qui Laelii soceri instituto Panaetium audierat, c. 26, 101.

119. vagum] Vagum vel amplum et copiosum dicendi genus, quod ab locis amoenis et ornatu conquisito nolit abhorrere, opposuit astrictae Stoicorum subtilitati.

Tuus avunculus] Brutus enim ex Servilia Catonis sorore natus. Postea socer Bruti etiam factus est Cato, cuius filiam ille Porciam a. 709. duxit. Cf. ad Att. XIII, 9. 10. Hic vero liber a. 708. est scriptus.

Peripateticorum institutis] Horum enim cum Cicero (vide vel de Orat. I, 10.) solet elegantiam et copiosam doctrinam, probatam illam Theophrasti Dicaearchique libris, commendare, tum satis testantur veteres summum compositionis et orationis numerosae studium fuisse.

ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Nam ut Stoicorum adstrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt: sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo iudiciorum et fori. 121. Quis enim uberior in dicendo Platone? Iovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui. Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex genere et granditate verborum. dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese. sed et huius oratio in philosophiam translata pugnacior (ut ita dicam) videtur, et illorum in iudicia pacatior.

XXXII. 122. Nune reliquorum oratorum aetates, si placet, et gradus persequamur. Nobis vero, inquit Atticus, et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere sane

latior] I. e. uberior. Pariter apud Plinium Epp. I, 10. extat *Platonica latitudo.* Fuerunt qui coniicerent *laxior;* Ellendtus *laetior.*

121. Iovem sic aiunt] *Iovem sic ut aiunt philosophi si Graece loquatur loqui* ed. pr. Anacoluthon istud, *Iovem, sicut aiunt philosophi, si Graece loqueretur, sic loqui,* ferendum censet Matthiae de Anacol. p. 9. Simillimus locus est de Republ. I, 37. *Si, ut Graeci dicunt omnes aut Graecos esse aut barbaros, vereor ne Romulus barbarorum vere fuerit.* [Huic tamen dicendi formae locum esse proprium in diductiore quodam verborum orbe, non in brevi simplicique enunciato, monstraverit illustrissimum exemplum de Offic. I, 7, 22. Verum *sicut* nihil nisi corruptionem alterius *sic aiunt* referre videtur. Sed paulo concinnius, Ernestio probante, Rivius: *Iovem aiunt philosophi, si Gr. loquatur, sic loqui.* Quae satis fideliter accedunt ad orationem Plutarchi Cic. 24. καὶ περὶ τῶν Πλάτωνος διαλόγων, ὡς τοῦ Διός, εἰ λόγῳ χρῆσθαι πέφυκεν, οὕτω διαλεγομένου.]

audivisse] Deest ed. pr.

C. 32. 122. eiusdem aetatis fere] Sic etiam ed. pr. *eiusdem fere aetatis* Corradus.

121. in quadam epistola] Quae non amplius superest. [Orat. 4. *Quod idem de Demosthene existimari potest: cuius ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor.* Satis est his adiungere Hermippum ap. Plut. Demosth. 5. sive Gell. III, 13. Cf. Act. Soc. Gr. I. p. 289. sq. Ceterum notum est Ciceronem Platonis ac Demosthenis epistolas praeter fraudis suspicionem laudasse.]

C. 32. 122. ut pro Bruto etiam respondeam] De Senect. 2, 6. *ut etiam pro Scipione pollicear.* Acad. I, 8. extr. *ut pro Attico etiam respondeam.*

Curio] C. Scribonius Curio praetor fuit a. 633. (121.) Orationis eius pro Ser. Fulvio de incestu servavit fragmentum de Invent. I, 43. Idem Ser. Fulvius appellatur c. 21, 81.

igitur] Id praecedentem sen-

illustris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim et aliae et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio, nobis quidem pueris haec omnium optima putabatur, quae vix iam comparet in hac turba novorum voluminum. 123. Praeclare, inquit Brutus, teneo, qui istam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas; certe enim et boni aliquid attulimus iuventuti, magnificentius quam fuerat genus dicendi et ornatius; et nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras, non a me quidem (meis enim illas antepono), sed a plerisque legi sunt desitae. Numera, inquit, me in plerisque: quamquam video mihi multa legenda iam te auctore, quae antea contemnebam. 124. Atqui haec, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes; verumtamen nondum tritis nostrorum hominum auribus nec erudita civitate tolerabiles. Scripsit etiam alia nonnulla, et multa dixit et illustria, et in

eius] Servat ed. pr., om. Asc.

haec omnium] Sic ed. pr. Excidit *haec* ex Repet. Lamb. Grut.

novorum voluminum] Item ed. pr. *voluminum novorum* D. [Hunc ego positum probari velim, siquidem ipsam multitudinem suorum voluminum commendat Cicero. De qua re satis fuerit illa Orator. 30. (quamquam is locus totus debet adhiberi) novissima proferre: *Nemo enim tam multa orator ne in Graeco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra, eaque hanc ipsam habent quam probo varietatem.* Certe *novorum* ad significatum leviter differt a superiore *hac.*]

123. Et ego, inquam, intelligo] *et ego, Intelligo, inquam* Schützius, recte. Supra §. 119. *Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa.* §. 148. *Hic ego, Noli, inquam, Brute.* §. 151. *Et ego, De me, inquam, dicere.*

fuerat genus] *fuerit illud genus* ed. pr.

numera] *enumera* ed. pr. *annumera* Schütz. Vide annot. in c. 19, 75. *quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius.*

antea] *ante* ed. pr.

124. Atqui] *atque* ed. pr.

et illustria] Item ed. pr. *multa et illustria*, id est, multa illustria: in quo miror cur interpretes haeserint. *et illustris* Ven. [Nempe Schneiderus istam dicendi formam nimis vagam et ineptam esse pronunciavit; sed et perperam negavit id iudicium in Ciceronem cadere, ut qui Curionem non audisset dicentem, et minime Ciceronianam extudit collocationem verborum *et illustrium in numerum oratorum aetates, si placet,* tentiam respicit, *nunc reliquorum oratorum aetates, si placet,* et gradus persequamur. Cf. Hand. Turs. T. III. p. 195.

numero patronorum fuit, ut eum mirer, cum et vita suppeditavisset, et splendor ei non defuisset, consulem non fuisse. XXXIII. 125. Sed ecce in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero, C. Gracchus. noli enim putare, quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse. Et ille, Sic prorsus, inquit, existimo, atque istum de superioribus paene solum lego. Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. damnum enim illius immaturo interitu res Romanae Latinaeque litterae fecerunt. 126. Utinam non tam fratri pietatem quam patriae praestare voluisset! quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel pa-

mero patr. fuit. Quasi novum foret *illustria* dici res notas et laudatas; Curionem vero sententias quasdam vocesque fudisse vulgo propagatas arguit usus ille Ciceronis de Inventione sive Auctoris ad Herennium.]

consulem non fuisse] *consulem eum non fuisse* ed. pr.

C. 33. 125. ingenio] Om. ed. pr.

et uberiorem] *aut uberiorem* ed. pr.

sic prorsus inquit existimo] Item ed. pr. *sic prorsus inquit sic existimo* Ald.

C. 33. 125. C. Gracchus] Is Tiberii fratris consilia maxime fovit, et veterem reipublicae formam ingenio atque eloquentia summa prope labefactavit. Cum Ti. Gracchus in tribunatu a. 621. effecisset, ut tresviri agris dividundis crearentur, ipse Caius adolescens triumvir est factus, neque hoc ei munus post mortem fratris est ereptum. Deinde legem C. Papirii Carbonis de tribunis pl. reficiendis a. 623. suasit. A. 630. cum ex Sardinia, ubi quaestor erat, iniussu imperatoris et contra morem maiorum redisset, accusatur, quasi socios solicitarit et coniurationis Fregellanae particeps fuerit: a populo tamen absolutus tribunus plebis est creatus. Itaque a. 631. leges suas populares promulgare coepit: quae tantas in republica discordias movebant, ut a. 633. consensu bonorum et auctoritate senatus occideretur. Orationes eius, quarum multa supersunt fragmenta, afferuntur hae: 1. Oratio, uti lex Papiria accipiatur, a. 623. 2. De lege Penni, de peregrinis, a. 628. [Cuius fidem prorsus incertam esse dictum in c. 28, 109.] 3. Concio ad populum, cum ex Sardinia rediit, a. 630. 4. Oratio apud censores, a. 630. 5. Orationes in P. Popillium Lenatem, acerrimum adversarium Ti. Gracchi et sociorum, a. 631. 6. Oratio in Q. Aelium Tuberonem, a. 631. 7. Oratio, qua legem Aufeiam dissuasit, a. 631. 8. De legibus a se promulgatis, a. 632. 9. De lege Minucia, a. 633. 10. Oratio in L. Metellum, a. 633. 11. Oratio in L. Pisonem, a. 632. 12. Oratio adversus Furium, a. 633. 13. Oratio in rogatione Marcii Censorini, a. 633. 14. Oratio in Maevium, a. 633. 15. Oratio in Plautium. Extabat porro epistolarum ad Corneliam matrem scriptarum volumen. V. Oratt. R. Fragm. p. 116. sqq. et breviter haec recensentem Westerm. p. 84.

ternam esset vel avitam gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus eius: praeclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, iuventuti. non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.

126. operibus eius] *eius* parum illud graviter adiectum om. Gu. probantibus Schneid. et Schützio.
legendus, inquam] *legendus*, *legendus*, *inquam* Orellius. Quam coniecturam Madvigius in Opusc. p. 453. veram esse negat, cum *inquam* non ad vocabuli repetitionem pertineat, sed ad sententiam, quae cum ante sit universe significata, iam apertius et asseverantius ponatur. Assentior: nam supra Bruto respondens affirmanti, *istum de superioribus paene solum lego*, dixit, *immo plane*, *Brute*, *legas censeo;* quae nunc sententia paulum mutata repetit, *legendus*, *inquam*, *est hic orator*, *Brute*, *iuventuti*. Contra geminatum *legendus* verum esset, si nihil praecessisset, quorsum respiceret *inquam*.

126. paternam..avitam] Ti. Sempronius Gracchus pater Gracchorum supra laudabatur c. 20, 79. Avus autem fuit Scipio Africanus minor, cuius filia Cornelia, mater Gracchorum. Eorundem meminit de Offic. II, 23. et de Orat. I, 9.

nescio an habuisset] Oratio, ne quis dissensum temporum miretur, brevius conformata. Hoc dicit: C. Gracchus, diutius si vixisset, parem neminem, opinor, habuisset. Cf. Fragm. Oratt. p. 122. Vid. Hand. Tursell. T. I. p. 323. coll. Zumptii Gramm. p. 582. Cf. c. 41, 151.

manus extrema] Quintil. Prooem. 4. *nam ceteri fere*, *qui artem orandi litteris tradiderunt*, *ita sunt exorsi*, *quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam inde eloquentiae manum imponerent*. [Accedat praeter alios eiusdem locus X, 1, 97. *Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse*. Ceterum formulae huius generis ad novissimas curas statuariorum referuntur, opera sua levigantium diligenterque retractantium: cf. Winckelm. Opp. T. V. p. 103. sq.]

[Legendus — iuventuti] Dissentire videtur Quintilianus II, 5, 21. cavens ne quis antiquitatis nimius admirator pueros vellet in Gracchi similiumque lectione durescere: sed videtur tantum. Nam quod eorum vim quidem captum excedere puerilem, ieiunam autem elocutionem ab cultu suorum temporum alienam esse contendit, prorsus ille cum Cicerone facit, qui Caii celeritatem, actionem, facultatem in movendis flectendisque animis exultantem libenter solet admirari (cf. de Orat. III, 56.), dicendi genus praetermisit. Illud vero *grandis verbis* (quod nobis est, *seine Sprache ist erhaben und grossartig*) facile viderit confirmari, si quis praeclaras Gracchanarum litterarum reliquias apud Gell. X, 3. XI, 10. et Schol. Ambros. Cic. p. Sulla c. 9. expenderit, quae singularem audaciam atque magnificentiam sensuum spirant, ut tamen sermonis nitidi vel expoliti nulla fere ratio habeatur.]

127. Huic successit aetati C. Galba, Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et iurisperiti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu. nam rogatione Mamilia Iugurthinae coniurationis invidia, cum pro sese ipse dixisset, oppressus est. extat eius peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore pueris nobis erat, ut eum etiam edisceremus. hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus post Romam conditam iudicio publico est condemnatus. XXXIV. 128. P. Scipio qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem nec saepe dicebat, sed et Latine loquendo cuivis erat par, et omnes sale facetiisque superabat. Eius collega L. Bestia bonis

127. aetati] Supra c. 32, 122. *nunc reliquorum oratorum aetates, si placet, et gradus persequamur.* Perperam *aetate* Purgold.

C. Galba Serv. illius] *P. Galba Servilius* ed. pr. Idem Galbae filius supra c. 26, 98. Caius appellatur, item De Orat. I, 56, 239.

Mamilia] Sic Corradus; itemque paulo post: *Manilia* utroque loco ed. pr. Eadem confusio apud Gellium IV, 14.

edisceremus] Item ed. pr. *disceremus* Repetit. Lamb. Grut.

127. C. Galba] C. Sulpicius Galba Servii illius (de quo c. 21.) f. quaestor fuit a. 634. Cum deinde a. 644. (110.) C. Mamilius Limetanus tribunus pl. rogationem ad populum promulgasset, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo per legationes aut imperia pecunias accepissent, qui elephantos quique perfugas tradidissent, item qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent: Galba praeter alios in iudicium vocatus condemnatur. Cf. Sallust Iug. 65.

P. Crassi] C. 26.

in cursu] Cf. c. 1, 3. *cum praesertim non modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus aut ab illo meus.* Et c. 67. *ex eo tempore, quasi revocatus in cursum, tenuit locum.*

Iugurthinae coniurationis] Iugurthina coniuratio dicitur factio nobilium, quos ab Iugurtha corruptos constat ei favisse contra rempublicam.

qui in collegio sacerdotum esset] Quamvis sacerdos esset. Nam quicumque collegiis socerdotum intererat, nec legibus neque iudiciis reipublicae obnoxius fuit. Quod si tamen sacerdotum aliquis commisisset, collegio pontificum, qui soli sacerdotum essent arbitri, rationem oportuit reddi. Dionys. A. R. II, 73. οἱ ποντίφικες εἰσὶν ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες οὔτε δήμῳ. Cf. Ruhnkenii Antiqu. Rom. ed. Eichst. P. IV. p. 13.

C. 34. 128. P. Scipio] P. Corn. Scipio Nasica, Serapionis filius, consul cum L. Calpurnio Bestia a. 643. c. 58. Cuius comitatem laudat Cicero de Off. I, 30.

non multum] Non copiose, nec multis ille verbis (cf. Hand. Turs. T. III. p. 668.), sed tamen Latine loquendo, hoc est, puro sermone praestabat.

L. Bestia] C. Calpurnius Bestia tribunus pl. a. 633. quo anno C. Gracchus est oppressus, P. Popil-

initiis orsus tribunatus (nam P. Popillium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit), vir et acer et non indisertus, tristes exitus habuit consulatus. nam invidiosa lege Mamilia quaestione C. Galbam sacerdotem et quattuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum civemque praestantissimum L. Opimium Gracchi inter-

C. 34. 128. tristes] *tristis* ed. pr.

invidiosa — quaestione] Istud *quaestione* displicuit Ernestio, deleverunt editorum nonnulli; *quaestio* ed. pr. Sed construas, *invidiosa quaestione lege Mamilia.* Invidiosam vocat quaestionem, ex lege Mamilia constitutam, propterea quod homines populares eius opportunitate sunt usi, ut in optimates saevirent. [Duram et perplexam structuram cur Cicero maluerit inire, quam addita praepositione facilitatem orationis iuvare, vix licet intelligi. Praestat vero *quaestione* ad eam ablativi absoluti rationem revocare, quam optimi scriptores nunc solis ablativis nunc addito pronomine frequentant in designanda temporum condicione certove statu. Sic Acad. II, 1. quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, *in Asia pace* consumpserat. Item *tribunatu*, *proscriptione*, *votorum nuncupatione* (cf. Ern. in Suetonii Ner. 46. Graev. in Aug. 13.), alia de eodem genere, quibus potissimum scriptores aetatis argenteae indulgent. Adde *hoc populo*, *hac concione*, *omni populo*, de quibus Cortius ad Fam. VI, 1, 17. paulo doctius Goerenzio in Legg. III, 16. Apparet igitur *quaestione* brevius dictum esse formula explicatiore, cum quaestio haberetur; item ut infra §. 131. *lege Aquilia damni iniuria.*]

lium Laenatem, qui consul a. 622. socios Ti. Gracchi persecutus ob eamque causam a Caio tribuno pl. a. 631. in exilium eiectus erat, restituit. Haec eum res optimatibus valde probavit; in consulatu tamen a. 643. morum malorum dedit documentum. Livii Epit. LXIV. *Iugurthae bellum indictum; idque Calpurnius Bestia consul gerere iussus pacem cum Iugurtha iniussu populi et senatus fecit.* Florus III, 1. *Primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul mittitur, sed rex pacem emit.* Cum igitur Mamilius a. 644. causam iis indixisset, qui ab Iugurtha corrupti essent, Bestia condemnatur. Idem a. 664. in exilium voluntarium abiit, cum Q. Varius tribunus pl. adversus auctores belli socialis rogationem tulisset: nam huic etiam culpae affinis habebatur. V. Drumann. T. II. p. 95.

P. Popillium] V. c. 25, 95.

Sp. Albinum] Spurius Postumius Albinus consul a. 644. bellum adversus Iugurtham ita gesserat, ut plerique eum ab rege corruptum esse putarent. V. Sallust. Iug. 36. Itaque lege Mamilia condemnatus est. Antiquior Sp. Albinus supra c. 25. memoratur.

L. Opimium] L. Opimius praetor a. 629. Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit Fregellasque delevit. Consul a. 633. C. Gracchum interfecit, civiumque tria millia indicta causa condemnavit: itaque a. 634. maiestatis crimine reus factus ad populum a Q. Decio, cum ab C. Papirio Carbone defensus esset, absolvitur. Sed legatus adeo corrumpi se passus est ab Iugurtha, huius ut commodis omnino patriae suae dignitatem condonaret: quo factum ut a. 644. lege Mamilia accusatus publico

fectorem, a populo absolutum, cum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt. 129. Huius dissimilis in tribunatu reliquaque omni vita civis improbus C. Licinius Nerva non indisertus fuit. C. Fimbria temporibus iisdem fere, sed longius aetate provectus habitus est sane, ut ita dicam, truculentus, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior atque commotior, diligentia tamen et virtute animi atque vita bonus auctor in senatu. idem tolerabilis patronus, nec rudis in iure civili, et cum virtute tum etiam ipso orationis genere liber: cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire vix possumus. 130. Atque etiam ingenio et sermone eleganti, valetudine incommoda, C. Sextius Calvinus fuit: qui

129. truculentus, asper] Sic Ernestius, plerisque probantibus, correxit scripturam codd. et ed. pr. *luculentus patronus asper.* Schützius *truculentus accusator, asper.*

130. C. Sextius] *C. Sestius* ed. pr.

iudicio damnaretur. V. Plut. C. Graccho 18. et Henrichsen. in II. Orat. 25. Magna de hoc viro dissensio fuit inter auctores rerum Romanarum: nam qui Gracchis favent, Opimium omnibus modis lacerant; contra laudant eum egregie, qui easdem in republica partes sequuntur.

contra populi studium] Cum Gracchum hominem plebeiis dilectissimum interfecisset.

Gracchani iudices] Equites, ad quos iudicia C. Gracchus transtulerat a. 631. quosque Cicero, quamquam in republica senatorio ordini, hoc est optimatibus, adversarentur, non diffitetur severe et innocenter munere suo functos fuisse Verr. Act. I, 13.

129. C. Licinius Nerva] Huius tribunatus quoniam cum L. Bestiae comparatur, veri simile est utrumque collegas fuisse a. 633. Licinium tamen Gracchanae factionis turbulentum fuisse tribunum apparet.

C. Fimbria] C. Flavius Fimbria quaestor a. 633. tribunus pl. non est factus, consul cum Mario a. 650. Accusavit eum repetundarum M. Gratidius, vid. c. 45. extr. Senex occisus est Romae Cinnano tumultu, cum Marius exul a Cinna revocatus urbem occupasset, a. 667. Diversum habet C. Flavium Fimbriam c. 66.

liber] Solutus et expeditus oratione, quae placido cursu flueret: ne quis ei cum interprete quodam vernaculo studium libertatis affingat. *Virtute* autem iungas cum *orationis.* [Eam structurae legem non modo duram, sed parum accommodatam ad laudem viri consularis duco: nam *orationis virtus* quid in tali narratione distet ab *ipso orationis genere* minime licet assequi. Potius hunc Fimbriam, quem virum bonum et sapientem fuisse persuadet Ciceronis de Offic. III, 19. demonstratio, cum liberrime (quod nos ipsi dicimus, *er sprach frei von der Brust weg*) et plenum calore pronunciasse virtutis fiducia, tum censebimus velocitate sermonis animos movisse. Itaque homo fuit *oris liberrimi.*]

130. C. Sextius Calvinus] Praetor a. 655. Incertum an idem significetur de Orat. II, 60. 61.

etsi, cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat. itaque consilio eius, cum volebant, homines utebantur, patrocinio, cum licebat. Iisdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, † dedecus generi vestro, qui cum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et iuris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. is magistratus non petivit, sed fuit accusator ve-

dedecus] *decus* Ascens. *genus* Cod. Paris. C. *vulnus* ed. pr. probante Schützio; quod tamen alienum est ab hac verborum iunctura, *in quo fuit magnum vulnus*. [Non assentior: siquidem brevitas orationis non sine quodam acumine formatae (velut de Fin. V, 6. f. *fons reperiendus est, in quo prima sunt invitamenta naturae*) iubet dativum ad praegressum *fuit*, i. e. extitit, subortum vel inflictum est, pertrahi. Simile quid volebat Lambinus, tentans *dedecus inustum generi*; quem ipsum *fuit* convincit. Ceterum cum nihil possit inveniri quo *vulnus* et *decus*, unde profecta recentiorum correctio *dedecus*, inter se concilientur: opinor sane sincerum nomen dudum in vetustis exemplis interiisse, quem defectum alio alius remedio ut fit resarcire conaretur.]

M. Brutus] M. Iunius Brutus accepit nomen accusatoris: v. de Offic. II, 14. Extant eius orationum duo tituli: unius quidem in M. Aemilium Scaurum, alterius autem in Cn. Plancum habitae defendente L. Licinio Crasso.

patrem] M. Iunius Brutus de iure libros reliquit septem, si credimus Pomponio De Orig. Iur. c. 2, 39. *P. Mucius et Brutus et Manilius fundaverunt ius civile. Ex his P. Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres. illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius.* Sed tres tantum a Scaevola agnitos bis indicat Cicero de Orat. II, 55, 224. p. Cluentio 51, 141. Quem dissensum emendaturus Zimmernius T. I. p. 276. Pomponii verba transponebat: *Ex his P. Mucius etiam x. libellos reliquit, Manilius septem, Brutus tres.*

accusationem factitaverit] Recte Wetzelius (qui Taciti H. II, 10. *delationes factitare* conferebat), *der ein Handwerk aus dem Anklagen machte.*

[ut Athenis Lycurgus] Reprehendit hanc comparationem Nissenus de Lycurgi vita et rebus gestis p. 19. inique factam criminatus cum eo nomine, quod orator morum integritate iustitiaque praestantissimus cum Bruto, homine luxurioso atque improbo, componeretur, tum quod Cicero parum expendisset discrimen, quod inter Atticam et Romanam rempublicam illorum temporum intercederet. Frustra: tantum enim abest ut temeritas iudicii debeat in eum scriptorem cadere, qui publicas Atheniensium litteras tenuerit diligenter, ut accusatorias ille rationes in utraque civitate probe perspexerit. Lycurgum quidem, quasi rigidum patriae satellitem ageret, vires eloquentiae suae constat in accusationibus nunc inferendis (quas tituli fere novem attingunt) nunc repellendis consumpsisse; neque quisquam ante huius vel Dinarchi aetatem extiterat vir ingenio, vita, consiliis decorus, qui provinciam illam nullis privatim iniuriis lacessitus

hemens et molestus: ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatae voluntatis.
131. Atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus fuit, quem ego audivi iam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquilia damni iniuria petivisset. Non fecissem hominis paene infimi mentionem, nisi iudicarem, qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivisse me neminem. XXXV. Doctus etiam Graecis T. Albucius, vel

131. Caesulenus] *Cesulenus* ed. pr. *Caesidienus* Ursinus. damni iniuria] Hotomanni coniecturam Orellius pro eo posuit, quod male retinent codd. et edd. vett. *de iustitia*. Sed disertis verbis Gaius III, 202. [cf. Bachii Hist. Iurispr. Rom. p. 156. cui *de iustitia* nihil differre videbatur ab vulgari *ex iusto*.] *cum per legem Aquiliam, quae de damno lata, etiam culpa puniatur*. Orellius in commentariis putat errorem esse natum ex nota *D. I.*, quam librarii perverse *de iustitia* legerint. *de inuria* vel *de iniustitia* Victor Pisanus: quorum priùs cum aliis Schützius probavit.

acerbius et maiore contentione gessisset. Eam rem cum ipsi cives Attici notarent et ab humanitate esse alienam arbitrarentur (quod Lycurgus diserte confitetur c. Leocr. §. 3.), impensius etiam debuit homo Romanus admirari, qui ius accusationis iuvenibus quique propius abessent ab annis iuvenilibus, si quidem necessitudinem pietatis vel officii sequerentur, quasi tirocinium (v. Dial. de Oratt. 34. extr. et Casaub. in Appuleii Apol. p. 539. T. II.) sciret fuisse concessum, viris auten in republica principibus et gloria honorum claris, quamquam ius istud pro patriae salute usurparent, ipsam auctoritatem ad populum nocuisse, ut reos misericordia vulgi sublevaret. V. Divin. in Caecil. 21. pro Mur. 28. et disertas de Offic. II, 14. voces: *Sed hoc quidem non est saepe faciendum, nec unquam nisi aut reipublicae causa — aut ulciscendi — aut patrocinio —. semel igitur aut non saepius certe*. Itaque Cicero tametsi nomina contendit toto vitae civilis cursu et tenore diversissima, communem tamen notam secutus est institutum accusandi et quasi professionem, in qua Lycurgus satis cum M. Bruto conspirasse videretur.]

131. lege Aquilia] Quae fuit de damno iniuria dato. Sed nihil de auctore legisve latae tempore constare dicit G. Baiterus, qui *Indicem Legum* Onomastico Orellii adiecit, p. 138.

C. 35. T. Albucius] T. Albucius a. 634. (120.) Q. Mucium Scaevolam, Laelii generum, qui Asiam praetor a. 633. administrarat, repetundarum accusavit (vid. c. 26. f.); Mucius tamen est absolutus. Idem propraetor Sardiniae a. 640. Supplicationem ei senatus denegavit, quam ipse sibi in Sardinia decreverat: constabat enim Graecum hominem ac levem in ipsa provincia quasi triumphasse. Inde Romam reversus repetundarum postulatur ab C. Iulio Caesare Strabone a. 651. damnatusque exul Athenas migravit. Is paene Graecus fastidiebat multum linguam Latinam; itaque Lucilius eum sub persona Mucii Scaevolae salse irrisit: de Fin. I, 3, 9. Orat. 44, 149. Reliquit orationes et satiras,

potius paene Graecus. loquor, ut opinor: sed licet ex orationibus iudicare. fuit autem Athenis adolescens; perfectus Epicureus evaserat; minime aptum ad dicendum genus.

132. Iam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus. Multae litterae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas: quae perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, familiarem

Luciliano charactere (v. Varr. R. R. II, 3. extr.) compositas: eiusque carmina Frontoni lectitata fuisse testatur huius Epistola p. 171. *In poetis quis ignorat, ut gracilis sit Lucilius, Albucius aridus, sublimis Lucretius?* Cf. Onomasticon Orellii.

[minime ... genus] Wetzelius cum interpretibus opinor plerisque structuram putabat ad sensum, ut dicitur, esse conformatam: perfectus in disciplina Epicureorum, quae quidem disciplina non possit oratores fingere. Vellem ex ipso Cicerone satis disertum et accommodatum aut huius figurae aut notionis, cui *genus* illud per se positum subiiciunt, exemplum esset prolatum. Nobis citra veniam dixisse scriptor est visus, qui per gradus quosdam demonstret, unde Albucius ad orationem quasi transmarinam progressus sit. Nimirum is adolescens cum Graecis consuerat, maturus annis mentem institutis item Graecis, et quidem Epicureorum, infecerat: itaque factum ut eius forma dicendi colorem referret peregrinum, ac parum valeret ad eloquentiam forensem.]

132. Q. Catulus] Q. Lutatius Catulus cum triplicem in petitione consulatus repulsam tulisset, consul factus est a. 652. (102.) cum Mario quartum, et continuo proconsul una cum Mario bello Cimbrico interfuit. Idem in tumultu L. Appuleii Saturnini tribuni pl. a. 654. adiuvit consules Marium et Flaccum. Postea vero per Cinnanam dominationem a. 667. a Mario proscriptus, senex se ipse interfecit. Scripsit orationes et librum rerum suarum cum in consulatu et bello Cimbrico tum bello civili gestarum: Plut. Mar. 25. Porro poemata erotica, quorum in Antholog. Lat. T. I. p. 12. 13. supersunt duo. Ac nescio an libros etiam Communium historiarum nomine inscriptos ediderit, quibus res Romanae inde ab antiquissimis temporibus traditae fuerant. [Probamus Krausium Fragm. Histor. pp. 234. 318. de diverso scriptore cogitantem: nam quibus utuntur Varro et interpretes Virgilii (demptis quidem mendaciis Auctoris de Origine Gentis Romanae), ea spirant hominem in rebus grammaticis et antiquitatibus occupatum.] Praeterea librum de lingua Latina scripsisse videtur, si quid ex Varronis verbis de L. L. p. 188. colligimus: *Nox, quod, ut Catulus ait, omnia, nisi interveniat sol, pruina obriguerint, quod nocet.* Extabat denique eiusdem laudatio Popilliae matris, de Oratt. II, 11.

A. Furium poetam] A. Furius Antias (diversus ille ab Furio Bibaculo) Annalium libros fere undecim (tot enim proferuntur) versibus hexametris condidit, quorum

suum: qui liber nihilo notior est quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri. 133. Tum Brutus: Mihi quidem nec iste notus est nec illi, sed haec mea culpa est: nunquam enim in manus inciderunt. nunc autem et a te sumam, et conquiram ista posthac curiosius. Fuit igitur in Catulo sermo Latinus: quae laus dicendi non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est. nam de sono vocis et suavitate appellandarum litterarum, quoniam filium cognovisti, noli expectare quid dicam. quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamen in sententia dicenda cum prudentia tum elegans quoddam et eruditum orationis genus. 134. Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum, sed erat talis, ut, cum quosdam audires, qui tum

C. 35. 133. sed haec mea] Vetustam scripturam mutabant Rivius, Lamb. et Schützius, Ernestio probante, *sed nec mea* parum prospere tentantes. [Hi cum verba *sed haec — in manus inciderunt* inter se referrent, sane non inveniebant quo pacto reprehensionem Bruti cum excusatione satis probabili conciliarent. Verumtamen debuit prius membrum pro secundaria quadam accessione praegressorum haberi: fateor illos mihi ignotos esse, cuius quidem rei culpam ipse sustineo, quippe parum curiosus eorum librorum, quos casus nunquam obtulisset.]

laus dicendi] *laus in dicendo* ed. pr. Sed vide c. 13, 50. *Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi.*

134. [cum quosdam] Negabat Schneiderus eum cum *quibusdam*, qui tum praestarent eloquentia, comparatum, sed cum iis qui tum excellerent collatum potuisse posthaberi. Iam cum offerret Gu. A.

pulcherrima supersunt fragmenta apud Gell. XVIII, 11. Nonium p. 133. 145. 148. 188. Macrobium Sat. VI, 1. et 3. In his Annalibus etiam Catuli res per consulatum gestas extitisse Weichertus Poett. Reliqu. p. 353. arbitratur.

dixi] C. 29.

133. sermo Latinus] Id est, purus, emendatus, urbanus. Vide mox §. 140. ac potissimum c. 74. et similem Catuli laudem de Or. II, 7, 28. III, 8. coniunctam illam cum gratia comitatis, de Offic. I, 30.

appellandarum] I. e. pronunciandarum aequabili cum lenitate, quam in Catulis admiratur Cicero de Offic. I, 37. *Sonus erat dulcis; litterae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut putidum. sine contentione vox nec languens nec canora.* C. 74. *Catulus erat ille quidem minime indoctus, sed tamen suavitas vocis et levis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat.* Quintil. XI, 3, 35. *Laudatur in Catulo suavis appellatio litterarum.* [Novum in tali re vocabulum, sed exquisitum, cuius ad similitudinem accedit vernaculum *betonen*. Usitatius fuit *explanare*, velut Acad. I, 5, 19. *in lingua etiam explanatam vocum impressionem*. Hinc *os planum*, cui refertur *os confusum*, apud Plin. Epp. VI, 11.]

filium] Quem significat etiam c. 62.

erant praestantes, videretur esse inferior; cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres. 135. Q. Metellus Numidicus et eius collega M. Silanus dicebant de re publica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis. M. Aurelius Scaurus non saepe dicebat, sed polite; Latine vero inprimis est eleganter locutus. Quae laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero est habitus disertorum. Q. etiam Caepio, vir

cum is quosdam, miseram is extudit correctionem, *ut si cum iis audires.* Cicero tamen non adeo magnifice sensit de oratoribus illorum temporum, quae inter Gracchum et Crassum erant interiecta; satisque visum ut delectus quorumlibet de praestantioribus ageretur, si quidem Catulus deberet in contentionem vocari.]

non modo contentus] *non modo eo contentus* Lamb. Cui repugnat *melius.*

135. Q. Metellus Numidicus] Is adolescens Athenis Carneadem senem audivit. Praetor a. 642. (112.) Cum provinciam nescio quam administrasset, ea decedens repetundarum postulatur; sed statim absolutus est. Consul a. 645. bellum Numidicum praeclare gessit; quod cum nimis trahere videretur, C. Mario legato a. 647. exercitus a populo traditur. Censor a. 652. infamia notavit L. Appuleium Saturninum tribunum pl. et Servilium Glauciam. Sed a. 654. cum Saturninus iterum tribunus pl. factus esset, Metellus tunc optimatium princeps in tanta pericula incidit, ut exilium voluntarium bello civili praeferret. Saturnino interfecto restitutus a. 655. per insidias occubuit. An Q. Varius Sucronensis Hybrida veneno eum necarit, incertum est. V. Drumann. T. II. p. 37. et Westerm. p. 101. Huic per totam vitam cum Mario fuit contentio. Extant fragmenta quattuor orationum: v. Fragm. Oratt. p. 136. sq. 1. Orationum in Valerium Messallam. 2. Orationis in qua apud populum C. Mamilio Limetano tribuno pl. a. 644. respondit. 3. Orationis de triumpho suo a. 647. habitae. 4. Orationis post reditum ad populum a. 655. Nam praeter has quam in censura putatur ad populum de ducendis uxoribus habuisse, hanc verisimiliter in c. 21, 81. Metello Macedonico tribuendam duximus. [Ceterum sunt qui mirentur virum inter disertissimos habitum et a Frontone p. 46. claris nominibus immixtum laudibus affici tam frigidis ac malignis, ut nihil fere Metellus a Domitio distinguatur, quem extra locum oratoris magistratus personam et consularem dignitatem satis esse tuitum scribat Cicero c. 45. Sed desinent mirari, si specimen eloquentiae sane horridum et exsangue velint apud Gell. XII, 9. intueri, in quo sodalem Archiae poetae (v. pro Arch. 3.) quaerimus.]

M. Silanus] M. Iunius Silanus consul a. 645. male adversus Cimbros pugnavit; quam ob causam Cn. Domitius Ahenobarbus tribunus pl. a. 650. eum ad populum accusat, frustra. V. Asconius in Cornelian. p. 80.

M. Aurelius Scaurus] Cos. a 646. Ad eum spectat Divin. in Caecil. 19.

A. Albino] A Postumius Albinus Cos. a. 655.

Q. Caepio] Q. Servilius Caepio consul a. 648. (106.) legem de iu-

acer et fortis, cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit. XXXVI. 136. Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt, oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt. Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit. M. Marcellus Aesernini pa-

C. 36. 136. non saepe] *non* om. ed. pr.
vectigali] *vectigale* ed. pr.

diciis ab equitibus in senatum transferendis promulgavit, eamque L. Licinius Crassus (vid. c. 43, 161.) suasit oratione, cui inscribebatur *Suasio legis Serviliae.* Cf. de Invent. I, 49. Oratt. Frag. p. 148. sq. Heurichsen. in I. Orat. 52, 225. Sed auctori legis obstitit invidia, qua iudicia senatoria premerentur. Idem Caepio proconsul a. 649. a Cimbris victus est: castra exuta, militum millia octoginta occisa, tota Italia metu contremuit. V. Liv. Ep. LXVII. Sallust. Iug. 113. 114. Huius cladis culpa cum in ducem conferretur, Caepio maiestatis reus factus est a Norbano tribuno pl. a. 659. defendente eodem Crasso. Condemnatus in exilium Smyrnam abiit: v. Henrichsen. in II. Orat. 47, 197. Ceterum ille cum a Caepionibus, quorum supra c. 25. facta est mentio, tum ab eo qui c. 46, 169. et c. 62. nominabitur probe distinguendus est: quod secus factum in Oratt. Fragm. p. 130. Nam, cuius oratio fuit in M. Aemilium Scaurum, de eo Caepione in cap. 62. dicetur. Westermannus etiam, cum p. 98. vere eum a Caepione iuniore, Scauri adversario, distinxisset, tamen cum Caepionibus, qui longe maiores erant natu, confudit p. 79.

C. 36. 136. C. et L. Memmii] Homines populares, optimatibus infesti, quorum multos ut coniurationis Iugurthinae participes in iudicium vocavere. C. igitur Memmius L. Calpurnium Pisonem Bestiam, ab Iugurtha pecuniis corruptum, accusavit. Praetura functus circa a. 649. a Scauro repetundarum reus fit. Tandem a. 654. (100.) Appuleius Saturninus tribunus pl. in petitione consulatus eum occidit. Extant orationum cum pro se habitae, tum in Bestiam, fragmenta pauca et ambigua, v. Oratt. Fragm. p. 138. sq. Mordax eius ingenium irrisit Crassus, de Orat. II, 59. Lucius iterum appellatur c. 89.

Sp. Thorius] Sp. Thorius Balbus tribunus pl. a. 647. vectigal agri publici (scripturarii) in Italia ita sustulit, ut non amplius in aerarium publicum redigendum esset, sed plebi agros non habenti divideretur. De Orat. II, 70, 284. Appian. B. Civ. I, 27. Itaque vocat inutilem legem, quae fraudaret aerarium publicum. Legis Thoriae sive agrariae fragmenta memorabilia recensuit Spangenbergius in Antiquitatis Rom. monum. legal. p. 13. sqq.

M. Marcellus] M. Claudius Marcellus, Aesernini pater, adversus Teutonas Marii imperatoris legatus bene pugnavit a. 652. Deinde cum in bello Marsico post stragem Iulii Caesaris consulis a. 664. Aeserniam coloniam effugisset, mox fame coactus in potestatem Samnitium venit. Liv. Ep. LXXIII. Huius in ignominiam filius Marcellus cognomen accepit Aesernini. In causa P. Quintii C.

ter, non ille quidem in patronis, sed et in promptis tamen et non inexercitatis ad dicendum fuit, ut filius eius P. Lentulus. 137. L. etiam Cotta praetorius in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude processerat, sed de industria cum verbis tum etiam ipso sono quasi subrustico persequebatur atque imitabatur antiquitatem.

Atque ego et in hoc ipso Cotta et in aliis pluribus intelligo, me non ita disertos homines et rettulisse in oratorum numerum et relaturum. est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sint, ut tenerent oratorum locum: quorum quidem quae fuerit ascensio, et quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, ex eo quod dicam existimari potest. 138. Quam multi enim iam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperi-

137. ipso] Deest ed. pr. Sed Quintil. XI, 3, 10. *vel qui verborum atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem antiquitatis affectant.*

persequebatur] Item ed. pr. *prosequebatur* Asc. Ern. *subsequebatur* Gu. Praestat vulgatum, cui simile est vernaculum *nachgehen*.

ascensio] Item ed. pr. *assensio* D.

Aquilio aderat in consilio a. 673. Cf. Drumann. T. II. p. 404. Inimicitias eum exercuisse cum L. Crasso testatur Or. p. Font. 7. Filium Aeserninum consulem fuisse a. 703. Zumptius in Verr. IV, 42, 91. dicit; negant Orellius in Onomastico et Drumannus.

P. Lentulus] P. Cornelius Lentulus Marcellinus, a Lentulo quodam adoptatus. Fuit legatus Cn. Pompeii in bello piratico a. 687. V. Drumann. T. II. p. 405.

137. L. Cotta] L. Aurelius Cotta tribunus pl. a. 659. praetor a. 663. De quo quae significavit Cicero, planius confirmat c. 74, 259.

non ita multum] Mox, *me non ita disertos homines*, et c. 69, 244. *non ita multos fuisse.* Quem usum particulae *ita* uberrime illustrat Handius Tursell. T. III. p. 490.

138. spisse] I. e. tarde: quod nobis est *knapp*, vel *schwerfällig*. De Orat. II, 53, 213. *principia tarda et exitus spissi et producti esse debent.* Varro ap. Nonium p. 392. *Nascimur spissius quam morimur: vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum, contra una pestilentia, hostica acies puncto temporis immanes acervos facit.* Innuit igitur progressionem illam ad Demosthenem et Hyperidem, quam c. 9, 35. adumbravit, hoc est, ad perfectum eloquentiae statum inter Atticos tam celeri gradu factam, quam lenta fuerit et mediocris oratorum Romanorur [illegible] tantiam [illegible] Crassiq

dem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in

Antonium] M. Antonius a. 611. (143.) natus (vel secundum Clintonum a. 612.). Quaesturam in Asia administravit a. 641. Metello et Serviliano coss. Causam pro se de incesto in causa Virginum mense Decembri anni 640. dixit. Valer. Max. III, 7, 9. *M. Antonius quaestor in Asiam proficiscens Brundusium iam pervenerat; ubi litteris certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium praetorem — in urbem recurrit*, etc. Praetor urbanus cum a. 650. fuisset, anno sequenti Ciliciam provinciam rexit, ut piratas opprimeret. Cum Athenas per itineris causam accederet, oratoribus et philosophis operam dedit; item ut Rhodi. E provincia reversus triumphavit a. 652. A. 654. extra urbem cum praesidio fuit et arma contra Saturninum tulit. Consul a. 655. Sex. Titio tribuno pl. restitit. Censor a. 657. a M. Duronio ambitus accusatur, sed frustra. A. 663. et 664. bello Marsico legatus interfuit. Sed cum Cinna et Marius a. 667. urbem recuperassent, Antonius una cum multis adversae partis nobilibus (vid. c. 89. f.) trucidatus est. De huius vita copiosus est Westerm. §. 46. Orator laudatissimus, nullas tamen orationes (v. pro Cluent. 50.) scriptas reliquit: nam quae fragmenta Cicero proferre solet, memoria suppeditavit et fama popularis, cum alia per aequales eius cognovisset, aliorum ipse testis fuisset. V. Oratt. Fragm. p. 140. sqq. Itaque nihil nisi librum de arte dicendi edidit. [Haud supervacuum duximus de huius eloquentia verbo monere, quam ab reliquis scriptoribus neglígenter habitam unus Cicero cum insigni laude prosecutus sit, tum delectu speciminum vocibusque nobilibus testatam reliquerit. Verum is Antonium, quem fama popularis ferret omnis eruditionis expertem fuisse, quasi defendens ab iniuria vulgi ostendit interiorem habuisse litterarum Graecarum cognitionem, studiose tamen artium rerumque reconditarum indicia pressisse, ne fidem et auctoritatem apud cives suos imminueret. Persuasit ille Westermanno §. 47. Sed in tali iudicio nolim Ciceronem invitum ad testimonium pertrahi, qui satis callide, nec ut ambitionem praeconii sui aut argutam cavillationem (Orat. II, 14, 59.) posset obscurare, colores oratorios insumpsit, ut Antonium variis ingenii doctrinaeque dotibus instructum tanquam alterum decus eloquentiae cum Crasso componeret, vel popularibus antiquitatis parum curiosis commendaret. Itaque certum habebimus illum oratorem, qui nunquam artem didicisset (Orat. I, 48, 208.), nativa tantum ingenii facilitate supra captum vulgarem excelluisse.]

Crassum] L. Licinius Crassus a. 614. (140.) Laelio et Caepione coss. natus anno vicesimo et uno sive a. 635. Papirium Carbonem accusavit. A. 636. legem de colonia Narbonensi deducenda tulit. Defendit postea in causa Virginum Liciniam a. 640. (v. Clinton. in a. 640.) Quaestor fuisse dicitur a. 643. annos 29. natus: si tamen ex Villia lege annali annus quaesturae 31. constitutus erat, ut plerique arbitrantur, Crassum quaestorem ad a. 645. (Clinton. in a. 643. Henrichsen. in I. Orat. 11, 45.) referemus. Tribunatum a. 647. gessit. A. 648. suasit legem Serviliam de iudiciis senatui restituendis. Aedilis a. 651. praetor a. 655. consul a. 659. cum pro Q. Caepione dixit. Censuram gessit a. 662. cum Cn. Domitio, in

his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. XXXVII. 139. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur: sed ita erat paratus, ut iudices illo dicente nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. 140. Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone: itaque diligenter loquendi laude caruit, neque tamen est admodum inquinate locutus; sed illa quae

C. 37. 140. itaque diligenter] *atqui dilig.* ed. pr.

sed illa] Ellendtus *itaque diligenter — inquinate locutus* signis interpositionis ita distinxit, ut *sed illa*, hoc est, eiusmodi sive talia, revocaret ad initium sententiae *verba ipsa non illa quidem*, damnans etiam *in verbis*, cuius nullum inveniret explicatum. Nihili rationem instituit Billerbeckius, qui membrum inferius sic redintegrabat: *sed illa laude caruit*, *quae proprie laus oratoris est*. Neque in priore conformatione video, quo possit valere *sed illa;* saltem expectabamus, *sed illo*, id est, *sermone*. Praestat haec sic interpungere: *Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone*, *itaque diligenter loquendi laude caruit* (*neque tamen est admodum inquinate locutus*); *sed illa*, *quae proprie laus oratoris est in verbis.* Nam interpositis quibusdam factum est ut Cicero desciseeret a sententia primaria: Verba ipsa Antonii non quidem sunt elegantissima, sed tamen in iis eligendis, collocandis, devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat. Itaque structuram effecit anacoluthon: cuius generis exempla diiudicavit Matthiae de Anacol. p. 18. sq., qui sententiam istam, *sed illa*, *quae proprie est laus oratoris in verbis*, cum scriptor imperfectam reliquisset, deinceps instaurari censet, aliis tamen verbis, *sed tamen Antonius* etc. Beierus autem in Fragm. Oratt. Cic. p. 53. opinabatur post vv. *sed illa laus* expectari talem fere structuram, *in Antonio fuit*, *ut in verbis — dirigeret*. [Huius explicationem propter ipsam simplicitatem probamus; quamquam omnes debent consentire, Ciceronem ab ordine semel instituto, ne post tot ambages ac digressus putidam exigeret molestamque sermonis aequabilitatem, consulto deflexisse. Sed ut diversissimis ille rationibus solet structurae necessitatem eludere atque grandem

quem orationem habuit. A. 663. cum in L. Marcium Philippum consulem, hominem popularem, contentius in senatu esset invectus, letalem in morbum incidit paucisque diebus post obiit. Crassi perpauca esse, nec ea iudiciorum, Cicero pronunciat Orat. c. 38.: cuius narrationem firmant fragmenta quae supersunt, quorum pleraque sunt ex orationibus senatoriis aut concionibus sumpta. Orationis pro Licinia virgine et Suasionis legis Serviliae quasdam tantum partes, orationis censoriae nihil nisi commentarium edidit. V. Oratt. Fragm. p. 146. sqq, et Westerm. §. 40—51.

proprie laus oratoris est in verbis: nam ipsum Latine loqui est illud quidem, ut paulo ante dixi, in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum; non enim tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire, neque tam id mihi oratoris boni quam civis Romani proprium videtur: sed tamen Antonius in verbis et eligendis (neque id ipsum tam leporis causa quam ponderis) et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. 141. quo genere quia praestat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus. σχήματα enim quae vocant Graeci, ea maxime ornant orationem; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus quam in illuminandis senten-

comprehensionem verborum leniter in semitas diducere: ita noster locus ab reliquorum similitudine vehementer recedit. Nam horum ego primordia video membris vocibusve idoneis esse destituta, quibus tenor grammaticus contineatur; at haec, *sed illa*, *quae proprie laus oratoris est in verbis*, id est, si callidam verborum compagem interpretamur, *sed illa laus*, *quae proprie laus oratoris est* (vid. §. 83. coll. Tusc. II, 16. *Militiam vero* — *nostram dico*, *non Spartiatarum*, *quorum*... *hortatio* — *nosti exercitus primum unde nomen habeat*), iustum efficiunt et integrum enunciatum, in quo possit mens et intentio lectorum morari, donec Tullius, paulisper in existimationem Latine loquendi exspatiatus, ad descriptionem artis oratoriae redierit.]

proprie] Sic ed. pr. *propria* Lamb. Illud autem probandum, quod unica et verissima laus oratoris in verborum tractatione describitur.

comprehensione] *compressione* ed. pr. comprehensionem de periodo dici ostendit Orat. c. 44, 149. adde supra c. 8. extr.

141. orationem] Cod. D. Lamb. probante Wetzel. *oratorem* edd. inde a princ. pleraeque. [Nolui repugnare; licetque hanc in rem vocare c. 17. f. *sententiarum orationisque formis*. Quamquam figurae magis ad *oratorem*, ut pondere sententiarum et varietate nunc oblectet nunc obruat lectores et expugnet, quam ad *orationem* pertinent, cuius vis et ornatus potest lenociniis figurarum carere.]

C. 37. 140. dixi] C. 35, 133.

conformationibus] Sive figuris sententiarum.

141. [σχήματα — sententiis] Mireris a Cicerone fines et usum figurarum (sic enim dicit, quas Graeci σχήματα, v. Ruhnk. in Rutil. Lup. p. 2.) coartari, non ut verba quasi pingantur sive coloribus suis distinguantur, sed ut sententiae luminibus ornentur et illustrentur. Nam schematum duplex fuisse genus, alterum διανοίας, λέξεως alterum, cum in vulgus dudum pervasit, tum satis est appellasse Tiberium Rhetorem, cuius libellus περὶ σχημάτων utramque partem ipsis Demosthenis,

tiis. XXXVIII. Sed cum haec magna in Antonio tum actio singularis: quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens, manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus omnisque motus; [cum verbis sententiisque consentiens] vox permanens, verum subrauca natura.

C. 38. cum verbis sententiisque] Schützius: Illa distributio in verbis, *manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum rebus sententiisque consentiens*, nescio quid molesti habet. Nemo sane illa desideraret, si illis omissis legeretur: *gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens; vox permanens, verum subrauca natura.* Assentior; itemque Moserus ad fraudem interpolantium referebat illa *cum verbis sententiisque consentiens.* Ed. pr. cum codd. *cum verbis sententiisque consentiens, vox permanens.* Omisit *consentiens* Asc. sola, quam ita secutus est Orellius, ut iungeret: *cum verbis sententiisque vox permanens;* nam probe sensit haec cum praecedentibus vix construi posse. [Saltem in posteriore parte Schützius audiendus, qui damnarit explicationem sensu quidem cassam, si cum novissimis copuletur, sin autem ad actionem ea reiiciatur, turpiter claudicantem. Nos uncis notavimus.]

quem Cicero testem edit primarium, exemplis luculente confirmet, et prioris quidem titulos XXII. persecutus. Quamobrem satis speciose possimus fingere, genus illud schematum, quod in exprimendis sensibus et affectibus versetur, multoque maiorem vim et probationem afferat quam ingeniosa formularum mutatio grammatica vel rhetorica, Nostro tanti visum fuisse, ut unice in censum referret. Cf. Quintil. IX, 1, 19. sqq. Sed talem coniecturam revincit locus superior c. 17. extremi, docens ille *σχήματα* Ciceronem intellexisse de solis figuris *διανοίας*.]

C. 38. [actio singularis] Hanc in Antonio cum iterum c. 59, 215. Cicero celebravit (repetiit vero Quintil. XI, 3, 8.), tum paulo contentiorem eam fuisse quam artis rationes concederent idem ostendit exemplis prolatis de Orat. II, 47. et Tusc. II, 24.]

[non verba — congruens] De Orat. III, 59. *Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens scenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione, sed significatione declarans.* Ac paucis interiectis: *Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens.* His abusus Wetzelius, quasi qui rem histrioniam prorsus ignoraret, Antonium opinabatur non perpetuo gestus subiecisse, sed cum iudicio singulis eos sententiis accommodasse. Verumtamen abunde veteres declarant, quid scenici motus ab oratoriis discreparint. Nam ut histrionibus multum licentiae lasciviaeque concedebatur, quo fortius aut valerent in affectibus movendis aut favorabiliores viderentur vel locis quantumvis vilibus gratiam adderent: ita pudor, modestia, dignitas in oratorum actione requirebatur, nec debebat ea per iras contentionum ambitiosius sese iactare. Caelius igitur apud Quintil. XI, 1, 51. veniam precaturus: *Ne cui vestrum*, inquit, *atque etiam omnium qui ad rem agendam*

sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. 142. habebat enim flebile quiddam in questionibus, aptumque cum ad fidem faciendam tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem; et idem tertium respondisse. nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit,

convertebat] Sic etiam ed. pr. Rarior significatus, omisso *se*, de quo dixit Bremius in libr. de Fato c. 7. *nec in falsum e vero praeterita possunt convertere.* [Potissimum vero consulendus Garat. in Planc. 20. cum Orellii auctario: unde cognoscere licet etiam Celsum et Gellium hanc brevitatem esse sectatos.] *convertebatur* Manutius, *vertebat* ex more vulgari Lamb.

142. questionibus] Agnoscit ed. pr. Sed Lambinus et Orellius *conquestionibus*, hic quidem etiam eo nomine, quod nusquam extet istud *questio;* de qua re disseruit in Orat. c. 38, 135. *Conquestio* dici solet oratio miserationem auditorum captans.

fingit] *tangit* Purgold. [Pravum commentum. Fingi mollis materia dicitur, velut cera, quam artifices in formas cogunt ac digerere norint. Servius (ut hoc utamur) in Aen. VIII, 634. *Fingere tamen et formare aliquid et ad integram faciem arte perducere significat; inde fictores dicuntur, qui imagines vel signa ex aere vel cera faciunt.* Nos similiter *bearbeiten*, si quando callidus animorum tractandorum orator sensus in quamlibet partem ducit; Graeci πλάττειν τὸ σῶμα, τὴν φωνήν, τὰς ψυχάς, auctore potissimum Platone (vide vel nobilissimum dictum Gorg. p. 483. E.); *adsunt, mens aut vultus molestior, aut vox immoderatior aliqua, aut denique, quod nimium est, iactantior gestus fuisse videatur.* Iam Antonius tantum afuit ab illa motuum scenicorum quasi loquacitate, quae flexu capitis, manuum, vultus easdem voces pro arbitrio solet variare et spectatoribus minutatim ostentare (Quintil. X, 5, 6. coll. IX, 4, 7. *organorum soni, quamquam verba non exprimunt*), ut pondera sententiarum gestu habituque diligenter temperaret atque illuminaret. Huc autem is conferebat dotes externas, quibus eloquentia Romana nitebatur (v. de Orat. III, 59. infra c. 43. 80. Senec. Epist. 75. Quintil. XI, 3.), *manus* (i. e. manuum iactationem), *humeros* (rectos illos nec deformes, item decore toga vestitos), *latera* (i. e. firmitatem laterum ac lenem in utramque partem inflexionem), *supplosionem pedis* et, quod in pedibus impensius observabatur, *statum et incessum* artificem. Itaque nihil est quod in his quidem verbis reprehendamus.]

142. flebile] Quintil. XI, 3, 64. *Suadentium et monentium et pollicentium et consolantium vox gravis, in metu et verecundia contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miserationibus flexa et flebilis et consulto quasi obscurior.*

Demosthenem] Ciceroni memoriam imposuisse, cum responsum, quod ab Andronico Demostheni quaerenti datum esset, ad ipsum Demosthenem referret, censuit Osannus in Analectis p. 10. Idem tamen repetiit Cicero in Orat. c. 17, 56. v. de Orat. III, 56, 213. quem sequitur Quintil. XI, 3, 6.

format, flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.

143. Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse qui horum alterutro patrono cuiusquam ingenium requireret. Equidem quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas, erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos, Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio; cum de iure civili, cum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia. XXXIX. 144. Nam ut Antonius coniectura movenda, aut sedanda

de quorum usu explicaverunt Heindorfius, Astius, Wyttenbachius in Plutarch. T. VI. pp. 83. 598.]

talesque] *talisque* ed. pr.

volunt] *volint* prisce (sive *velint*, i. e. optent) Ern. improbatus Goerenzio in Cic. de Fin. p. 576.

143. quidem certe] *certe* om. ed. pr. Id ad *omnes* refertur (cf. Handii Turs. T. II. p. 27.), ut unam intelligamus rationem, quam omnes certam et confessam habuerint.

alterutro] *altero* ed. pr.

mira explicatio] Item ed. pr. *explicatio mira* D.

videri facit] I. e. ut videantur facit: quod legitimus usus (v. Zumpt. Gr. p. 518.) flagitabat. [Si magistros artis rusticae medicaeve spectamus, quorum sunt formulae *mel infervere facito, facit manare sudores*, debet verbum de necessitate quadam intelligi, ut sit *cogere* vel sensim perficere.]

143. cum gravitate lepos] Infra c. 43. *multae et cum gravitate facetiae*. Crassi leporem cum summatim de Offic. I, 30. laudet, tum exemplorum copia Cicero de Orat. II, 54—56. celebravit.

sine molestia] I. e. sine affectatione: v. annot. in c. 30. f.

[similitudinum] Wetzelius ad c. 53. ablegat. Malim *ἀναλογίας* (nos ipsi, *verwandte Fälle*), quibus ius controversum posset sagaciter explicari. Nec dubito, cum *argumentorum* (i. e. testimoniorum rerumque extrinsecus positarum) videam mentionem extare, quin Cicero potissimum *res iudicatas* in mente habuerit: v. de Orat. II, 27, 116.]

C. 39. 144. coniectura] Coniectura in arte rhetorica status coniecturalis dicitur, cum de facto controversia est: omnis autem coniectura aut de re aut de animo est. [V. Auct. ad Herenn. I, 11. sive Cic. de Invent. I, 8. *Cum facti controversia est, quoniam coniecturis causa firmatur, constitutio coniecturalis appellatur.* Et II, 5. *Omnis igitur ex causa, ex persona, ex facto ipso coniectura capienda est.* Coniecturalibus autem causis inter exercitationes pueriles fuisse locum tradit Quintil. II, 4, 26. Hinc pendet compositio verborum, *coniectura movenda incredibilem vim habebat*, hoc est, arte coniectu-

suspicione aut excitanda, incredibilem vim habebat: sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius: idque cum saepe alias, tum apud centumviros in M' Curii causa cognitum est. 145. ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum Q. Scaevolam et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum obrueret argumento-

C. 39. 145. vertebatur] Cum ed. pr. *versabatur* Asc. probante Ernestio, quamquam hoc longe dilutius est. Deinde *peritissimum*, Lamb. Sed illud indicat copiosissimum virum et in qualibet parte disciplinae promptum.

ras ac suspiciones tractandi plurimum valebat: ut nihil opus sit *in* ante *coniectura* suppleri. Iam coniecturalis artificii praesidium ac ratio habebatur *suspicio*, quae debebat in defensionis vel accusationis partibus aut excitari aut levari: v. Quintil. IV, 2, 81. sqq. Unde sequitur, ablativos *aut sedanda suspicione aut excitanda*, quos perverterunt critici refingentes *et in sed.* vel *et sedanda*, ad significatum instrumentalem referri.]

Manii Curii causa] Causa acta est a. 661. cum Crassus pro Curio adversus Coponium, Scaevola pro Coponio dicerent. V. Oratt. Fragm. p. 153. sq. Causam Boethius in Topicis Ciceronis l. IV. p. 341. ed. Orell. sic exposuit: quidam praegnantem uxorem relinquens scripsit heredem postumum, eique alium substituit secundum, qui Curius vocabatur, ea condicione, ut, si postumus, qui intra menses decem proximos nasceretur, ante moreretur, quam in suam tutelam pervenisset, id est, ante obiret diem, quam testamentum iure facere posset, secundus heres succederet; quod si ad id tempus pervenisset, quo iam firmo iudicio in suam tutelam receptus iure civili instituto posset herede defungi, secundus heres, id est, Curius non succederet: quae vocatur substitutio pupillaris. Quaesitum est, an valeret ita instituta ratio. Crassus igitur plura protulit exempla, quibus sic institutus heres obtinuisset hereditatem; movitque iudices exemplorum commemoratio. Litem infra Cicero perstrinxit c. 52, 195.

Q. Scaevolam] Q. Mucius Scaevola P. F. a. 643. quaestor, a. 648. tribunus pl., a. 651. aedilis, a. 655. praetor, a. 659. consul, proconsul Asiam provinciam a. 660. (94.), administravit ac legatum habuit P. Rutilium, c. 30. Idem pontifex maximus; itaque multi scriptores hunc Scaevolam pontificem appellare solent, ut a Scaevola augure distinguatur. Occisus est a. 672. cum Damasippus praetor iussu C. Marii omnes nobiles, qui Sullae partibus in urbe favebant, trucidaret: v. Vellei. II, 26. infra c. 90. Liv. Ep. LXXXVI. Scripsit de iure, fuitque Muciorum, qui iuri operam dederunt, omnium celeberrimus et maximus auctor. Pomponius de orig. iur. 3, 41. *Q. Mucius P. f., pontifex maximus, ius civile primus instituit, generatim in libros XVIII. redigendo. Mucii auditores fuerunt complures, sed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Lucilius Balbus, Sex. Papirius, C. Iuventius.* Librorum *De iure civili sextum decimum* profert Gellius VII, 15. Eundem Velleius II, 26. divini humanique iuris auctorem vocat celeberrimum; quo veri simile fit cum de ponti-

rum exemplorumque copia, atque ita tum ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur: qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum, quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. **146.** quare sit nobis orator in hoc interpretandi, explanandi, edisserendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim; in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus quam admirandus orator. **XL. 147.** Verum ad Crassum revertamur. Tum Brutus, Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas audiebam saepe ex C. Rutilio, quo utebamur propter familiaritatem Scaevolae nostri, tamen ista mihi eius

ab his] *ab iis* ed. pr.
et iam consular.] *etiam* edd. ante Orellium. Cf. nos in §. 96.
146. sit nobis] *fuit nobis* Schützius: cuius coniecturae obest *nobis*.
explanandi, edisserendi] Sic Guelf. et ed. pr. *explanandique et disserendi* edd. vulgg. probante Madvigio Emendatt. I. p. 40.
C. 40. 147. quo utebamur] Recepi coniecturam Gebhardti Obss. in Cic. Brutum p. 5. Similiter Orellius, *quo utebar propter familiaritatem Scaevolae nostri.* Libri *quo utebatur.* Non tanti est ut aliorum suspiciones enumeremus.

ficio quoque iure eum tradidisse, tum eo ducit Augustini testimonium de Civ. Dei IV, 27. In Digestis Iustiniani Scaevolae liber singularis ὅρων affertur, unde Gellius IV, 1. locum excerpsit. Cf. Zimmern. I. §. 76. Eiusdem praeterea mentio fit c. 30. 40—44. 52. 53. 96.

146. quare sit — orator] In omnibus officiis iurisconsulti, quae quidem ad interpretationem scripti disertamque explicationem referuntur, Mucium licebat summum quasi oratorem habere (hoc est, in docendo praestantem); at in iis partibus, quae proprie sunt oratoris, in augendo, ornando, refellendo magis existimatorem agebat (v. annot. in c. 24, 92.) hoc est, afferebat eam intelligentiam, ut optime, quid satis esset, quid nimium, in aliis discerneret, quam ipse dicendo valebat. Haec autem fere nihil nisi summam et argumenta laudis argutae, quam Cicero de Mucio concinnavit (de Orat. I, 39. *ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus*), declarare videntur.

C. 40. 147. C. Rutilio] P. Rutilii eius, qui Mucii proconsulis a. 660. legatus fuerat, fratre.

Scaevolae nostri] Q. Mucius Scaevola Q. f. a. 700. tribunus pl. qui si tribunatum, ut tum fere fiebat, annum agens tricesimum quartum gessit, triennio maior fuit Bruto, quem a. 669. natum esse constat. V. Gebhardt. p. 5.

dicendi tanta laus nota non erat. Itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum tamque excellens ingenium fuisse in nostra re publica. 148. Hic ego, Noli, inquam, Brute, existimare, his duobus quicquam fuisse in nostra civitate praestantius. nam, ut paulo ante dixi, consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse: sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses, utrius te malles similiorem. Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. 149. Licet omnia hoc modo: sed vereor, ne fingi videantur haec, ut dicantur a me quodam modo; res se tamen sic habet. Cum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus Academia dixit, mediocritas: uterque horum medium quiddam volebat sequi;

148. etiam severitatis] *severitatis etiam* ed. pr.
149. vestra] *nostra* D. Gu. Vid. c. 31, 120.
uterque horum] *uterque istorum* ed. pr.

cepi voluptatem — fuisse] Structura magis ad sensum (i. e. laetatus sum fuisse) quam ad vulgarem usum conformata.

148. dixi] C. 39, 145.

149. licet omnia hoc modo] Supplendum, quod familiari brevitate neglectum est, *persequi*: possem hanc utriusque comparationem per ceteras eorum virtutes tali orationis genere continuare.

quodam modo] Videbor enim uti comparationis genere, non veritate ductus, sed acutae sententiae captatione, qua colorem addam orationi: nos, *eines gewissen Effectes wegen*. Cf. Walch. Em. Liv. p. 49. ubi reiecit Buttmanni coniecturam *commode*. Aliorsum eadem formula spectat in III. de Orat. 10, 37. *ergo haec et agenda sunt ab oratore, quae explicavit Antonius, et dicenda quodam modo.* [Prioris loci hanc simpliciorem interpretationem licet inire, ut comparetur Graecis tritissimum *ἁμηγέπη* sive *ἁμωσγέπως ἀποφαίνειν* vel *λέγειν* (v. Ruhnk. in Tim. p. 29.), item quod extat in Plat. Legg. VII. p. 798. *μηχανὴν δὴ δεῖ τὸν νομοθέτην ἐννοεῖν ἁμόθεν γέ ποθεν, ὅντινα τρόπον τοῦτ᾽ ἔσται τῇ πόλει.* Id est, utcunque fieri potest cum aliqua specie. Similiter de Fin. I, 19. *Sed possunt haec quadam ratione dici:* ubi *quidam* cum lenitate modestiaque dictum illustrat Goerenzius.]

mediocritas] De Offic. I, 25. *mediocritas* (*ἡ μεσότης* sive *τὸ μέσον*), *quae est inter nimium et parum, placet Peripateticis.* [Ubi Peripateticis merito tribuitur, quod ab vetere Academia prorsus recedit. Cicero tamen cum nobilem illam dissensionem, qua scholae dogmaticorum olim agitabantur, intra verborum diversitatem substitisse sibi persuaserit adeo, ut ductam a Socrate philosophiam in Peripateticis opinetur permansisse (Tusc. IV, 3. Acad. I, 4, 17. Fin. IV, 2.), item ut rationem Stoicam pro correctione quadam veteris Aca-

sed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet. 150. Tum Brutus, Cum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum et Scaevolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio co-

demiae habebat, Acad. I, 12.): apparet istam Academiae mentionem sic interpretandam esse, ut exiguum discrimen inter Platonicos et sectatores Aristotelis relinquatur.]

150. Ser. Sulpicio] Servius Sulpicius Rufus anno, opinor, 649. (105.) natus (uno enim tantum anno plerisque in magistratibus, quo spectat illud c. 42. *aequalitas vestra*, aberat a Cicerone), a. 680. quaestor, a. 686. aedilis, a. 689. praetor, in petitione consulatus a. 692. repulsam tulit, neque ante a. 703. consul est creatus. In bello civili Caesaris partes est secutus, et a Caesare Achaiae est praepositus a. 708. Caesare interfecto partes senatus una cum Cicerone amplexus, et in legatione Mutinam ad Antonium profectus, mortem obiit a. 711. Vide potissimum Rob. Schneideri Quaestionum de Ser. Sulpicio Rufo specimina duo, Lipsiae 1834. In iure Mucium, qui usu magis quam doctrina valebat, superavit, cum philosophiam iuri coniunxisset primusque dialecticam ad iuris regulas traduxisset. De cuius studii causis tradidit non sine temporum perturbatione Pomponius De Orig. iur. c. 3, 43. „Servius cum in orandis causis primum locum aut pro certo post M. Tullium obtineret, traditur ad consulendum Q. Mucium de re amici sui pervenisse, cumque eum sibi respondisse de iure Servius parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse, et a Q. Mucio responsum esse, nec tamen percepisse, et ita obiurgatum esse a Q. Mucio: namque eum dixisse, turpe esse patricio et nobili et causas oranti, ius, in quo versaretur, ignorare. Ea velut contumelia tactus operam dedit iuri civili et plurimum eos, de quibus locuti sumus, audiit. Institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae; itaque libri complures eius extant Cercinae confecti. Huius volumina complura extant, reliquit autem prope *centum et octoginta libros*." — Quorum apud scriptores multa (cf. Zimmern. I. p. 290.) extant fragmenta; praetereaque Servius orationes (quarum nos in Murenam et pro Aufidia habitas cognovimus) reliquit, quibus insignem eum famam meruisse auctor est Quintilianus X, 1, 116. V. Oratt. Fragm. p. 174. sq. Addidit commentarios causarum (Quint. X, 7, 30.) atque carmina erotica (Ovid. Trist. II, 1, 441. Plin. Epist. V, 3.). Extant etiamnunc eiusdem duae epistolae, amoris et ingenii plenae, in libro IV. Epistolarum familiarium Ciceronis. Is non Ciceroni solum, sed M. Bruto quoque familiaritate iunctus erat, cui libros ad Edictum pertinentes inscripsit: nam peccant, qui alium Brutum intelligunt. [Ceterum illud etiam quaerendum erat, cur hoc ipso loco tanquam in operis degressu Sulpicius commemoraretur. Cuius rei duas causas licet invenire. Primum enim Cicero, qui Servium suum iuvenem summe omnium doctrinarum studiosum fuisse cum voluptate recordaretur (ad Fam. IV, 3, 12.), virum autem industriae plane singularis in explicando iure civili nunc leniter irridens (quod fecit pro Mur. 9. 10.) nunc admirabundus praeclara laude perfunctum (Philipp. IX, 5.) celebraret, homini sapientissimo sibique carissimo, quicum omnia consilia de republica (ad Fam. IV, 1, 5.) novissimis annis libenter

gitans esse quandam vobis cum illis similitudinem iudico. Quonam, inquam, istuc modo? Quia mihi et tu videris, inquit, tantum iuris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori; et Servius eloquentiae tantum assumpsisse, ut ius civile facile posset tueri: aetatesque vestrae ut illorum nihil aut non fere multum differunt. XLI. 151. Et ego, De me, inquam, dicere nihil est necesse; de Servio autem et tu probe dicis, et ego dicam quod sentio. non enim facile quem dixerim plus studii quam illum et ad dicendum et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. nam et in iisdem exercitationibus ineunte aetate fuimus, et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior; et inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. atque haud scio an par principibus esse

150. posset] *possit* ed. pr. cum vulgg.
C. 41. 151. quem dixerim] Item ed. pr. Vid. Hand. Tursell. I. p. 261. *quemquam* Lambinus.
iisdem] *eisdem* ed. pr.
una Rhodum] Sic ed. pr. *Rhodum una* Ald.

communicaret, documentum quodpiam amicitiae tribuere cupiebat. Nec potuit opportunior locus aut dignior eo excogitari, quo lectores ab imagine viri iurisperitissimi sponte raperentur ad auctoritatem Sulpicii, qui princeps in iure civili habebatur artisque elegantia familiam ducebat. In oratoribus quidem vix eum licuit numerari, cuius eloquentia non multum videatur mediocritatem excessisse; nec solet Cicero (vide c. 71.) facundos homines qui supererant in censum vocare. Sed accessit etiam ambitio, quam causam Nostro dixeris vel antiquiorem fuisse. Nam ut ille continuo (c. 43.) philosophiam et interiorem doctrinam a se cum studiis eloquentiae coniunctam haud ambigue gloriatur, ita cognitionem iuris tantam, quanta satis esset oratori, quamque olim (de Orat. I, 44. sqq.) diserte commendarat, merito sibi arrogabat: qua in laude ne modestia desideraretur, cavit aptissima L. Crassi persona. Ciceronem autem ut alienum ab industria ICtorum, gnarum tamen antiquitatum civilium et iuris interpretandi fuisse docent scriptores apud Bachium Hist. Iurispr. Rom. p. 259. et Zimmern. I. p. 289.]

tantum iuris civilis] Cicero adolescens ad ius civile cognoscendum operam dabat Muciis auguri et pontifici: v. c. 89. Lael. c. 1. Idem librum de iure civili in artem redigendo sive de ratione, qua ius ad formulam artis revocaretur (v. Schneid. de Sulpic. I. p. 38. sq., nos: *über wissenschaftliche Behandlung und Anordnung des Civilrechts*), confecit: V. Quintil. XII, 3, 10. Gell. I, 21. Charis. p. 111.

C. 41. 151. Rhodum] Rhodum ille cum Cicerone (cf. c. 91.) a. 676. profectus est, ubi praecepta sapientiae (*quo melior esset*) tradentem Posidonium videtur audisse. Cf. ad Fam. IV, 3.

in secunda arte] In iuris prudentia; cui refertur *prima*, hoc est, eloquentia.

potuisset: sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam qui fuissent in iure civili esse princeps. 152. Hic Brutus, Ain' tu? inquit. etiamne Q. Scaevolae Servium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam et apud multos fuisse; artem in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae quibus positis essent quaeque non essent consequentia. 153. hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur. XLII. Dialecticam mihi videris, inquit, dicere. Recte, inquam, intelligis: sed adiunxit etiam et litterarum scientiam et loquendi ele-

152. ambigua] *ambiguam* ed. pr. non recte probante Wetzelio. positis] *propositis* ed. pr. Mutavit Lamb.
153. maximam] *magistram* Schützius, quod nemo veterum unquam dialecticam omnium artium maximam dixerit. Sed Cicero hactenus vere philosophiam omnium artium maximam habuit, ex qua sola reliquae lucem et ordinem accipiant. Hac autem Mucium, usu illum peritissimum, Servius superavit, quod causas iuris earumque cohaerentiam perspexit. [Sustuli post *maximam*, cui debet accurate iungi *quasi lucem*, virgulam damnosam.]
C. 42. inquit, dicere] *dicere inquit* ed. pr. cum vulgg. V. annot. in c. 32, 123.
loquendi] *eloquendi* ed. pr.

152. Q. Scaevolae] Vid. c. 39. Eandem laudem tectius in Sulpicium contulit de Offic. II, 19. (cf. de Legg. I, 5, 17.) *cum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset.* Iurisconsulti quidem illius sententiis quantum tribuerint, intelligi licet ex locis a Schneidero congestis I. p. 50. sqq.

usum — artem] Usui et experientiae rerum opponitur ars sive disciplina, *die Wissenschaft*. Vide vel c. 74.

[eam artem] Dialecticam philosophiae partem. Acad. II, 28. *dialecticam inventam esse dicitis, veri et falsi quasi disceptatricem et iudicem. — quid igitur iudicabit? quae coniunctio, quae disiunctio vera sit, quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugnet?* Cf. de Fin. II, 6. de Orat. II, 38. Topic. 2. potissimum tamen de Or. I, 42.]

litterarum scientiam] Velut in arte grammatica et etymologia Servius excellebat. De Orat. III, 32, 127. *nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam,* ***litterarum cognitionem*** *et poetarum*

gantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. 154. cumque discendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo et C. Aquilio Gallo, Galli, hominis acuti et exercitati, promptam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit; Balbi, docti et eruditi hominis, in utraque re consideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus: sic et habet quod uterque eorum habuit, et explevit quod utrique defuit. 155. Itaque ut Crassus mihi vide-

154. discendi] Item ed. pr. *dicendi* libri nonnulli.

duobus peritissimis] *duobus iuris peritissimis* Schütz. Sed ipsum *discendi* non patitur dubitare quin Sulpicius in scholas iurisperitorum sese contulerit.

Aquilio] *Aequilio* ed. pr. Scribitur et *Aquilius* et *Aquillius*. Nihil decernit Dukerus in Florum II, 20, 7. p. 425. posterius autem probat Heinrichius in Cic. de Rep. I. p. 158. (v. Orellius in Onomastico s. n. *Aquillia gens*.)

atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur. [Quam litterarum scientiam tenuerit Servius, nusquam vidi proditum. Sed *elegantiam loquendi*, hoc est, tersum genus et subtile praeter alia comprobat locus eius paulo copiosior apud Gell. IV, 4.]

154. L. Lucilio Balbo] Pomponius oratione non optima tradit de orig. iuris 3, 42. *Mucii auditores fuerunt complures, sed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sex. Papirius, C. Iuventius: ex quibus Gallum maximae auctoritatis ad populum fuisse Servius dicit. Omnes tamen hi a Servio Sulpicio nominantur: alioquin per se eorum scripta talia non extant, ut ea omnes appetant; denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum, sed Servius libros suos complevit: pro cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur.* Scripta igitur Balbi Servius edidit. [Vel potius sententias praeceptorum suorum, Balbi et Aquilii memoriae prodidit iisque libros suos Sulpicius refersit.] Idem in causa P. Quintii C. Aquilio erat in consilio a. 673.

C. Aquilio Gallo] Praetor a. 688. propter prudentiam in respondendo iudicandoque magno opere expetitus, actiones de dolo malo edidit clarissimas. Eius scripta Servium edidisse Pomponius tradidit, ut modo vidimus. Cf. Zimmern. p. 287. sq. et Klotz. in Oratt. Cicer. T. I. p. 506. Fuit Ciceroni familiaris; quorum quae fuerit coniunctio, licet vel e Topic. 12. existimare. Wetzelium duos C. Aquilios statuentem refellit Orellius in Onomastico.

agendo] Iurisperiti duobus in muneribus versabantur, ut et consulentibus de iure responderent, et agerent causas.

diligentia] In singulis rebus colligendis ac dispensandis: ut quodammodo *cunctatorem* eum ageret, qualem fuisse Servium contendit Caelius ad Cic. VIII, 10, 8.

tur sapientius fecisse quam Scaevola (hic enim causas studiose recipiebat, in quibus a Crasso superabatur; ille se consuli nolebat, ne qua in re inferior esset quam Scaevola): sic Servius sapientissime, cum duae civiles artes ac forenses plurimum et laudis haberent et gratiae, perfecit ut altera praestaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset et ad tuendum ius civile et ad obtinendam consularem dignitatem satis. 156. Tum Brutus, Ita prorsus, inquit, et antea putabam: audivi enim nuper eum studiose et frequenter Sami, cum ex eo ius nostrum pontificium, qua ex parte cum iure civili coniunctum esset, vellem cognoscere; et nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio et iudicio tuo; simul illud gaudeo, quod et aequalitas vestra et pares honorum gradus et artium studiorumque quasi finitima vicinitas tantum abest ab obtrectatione invidiaque, quae solet lacerare plerosque, ut ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. quali enim te erga illum perspicio, tali illum in te voluntate iudicioque cognovi. 157. Itaque doleo et illius consilio et tua voce populum Romanum carere tam diu: quod cum per se do-

155. nolebat] *solebat* ed. pr. *volebat* vett. quaedam edd.
sapientissime, cum duae] Sic ed. pr. *sic Servius sapientissime. Quum enim duae* vulgatum Ascensio debetur.

156. et antea] *etiam antea* Ellendtus, motus ille plenissima vulgg. edd. distinctione post *putabam*: cui male congruit *et nunc*, quod esse debebat *nunc autem*. Improbavit etiam Madvig. Emendatt. I. p. 170.
ut ea] *ut in ea* ed. pr. *uti ea* vulgo.

155. duae civiles artes] Id est, quae ad rempublicam et forum pertinent, altera eloquentia, altera iurisperitia.

156. Sami] Brutus nuper ex Asia Romam redierat. Cum enim Caesar bello Alexandrino absoluto in Syriam et Pontum transisset, ut Asiam sibi totam subigeret, huic expeditioni Brutus quoque interfuit a. 707. Tum Nicaeae, Bithyniae oppido, causam regis Deiotari (c. 5, 21.) defendit, atque epistolam illam, cuius c. 3, 12. facta est mentio, Ciceroni misit. Revertens eodem anno ex Asia, Mytilenis Marcellum (c. 71.), Sami Serv. Sulpicium vidit. Is enim ne bello civili interesset, extremo anno 705. urbe relicta profectus in Asiam est, ubi per duos annos commorabatur; sed a Caesare praefectus Achaiae eam provinciam a. 708. administravit: v. ad Att. XI, 7. ad Div. IV, 7. XIII, 17—28.

ius nostrum] *Nostrum* dicit, quoniam Brutus ipse pontifex erat: c. 58, 212. Eaque causa fuit, cur sententias Servii, qui Samum videtur per opportunitatem itineris Asiatici (v. Schneid. I. p. 101.) attigisse, de iure pontificio requireret. Cf. in c. 62, 222.

lendum est, tum multo magis consideranti, ad quos ista non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint. Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de republica ut sileremus: itaque faciamus. nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo querendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus. XLIII. 158. Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, et institutum ordinem persequamur. Paratus igitur veniebat Crassus, expectabatur, audiebatur; a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, expectatione dignus videbatur; non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis; vehemens et interdum irata et plena iusti doloris oratio, multae et cum gravitate facetiae: quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis. 159. Iam in altercando invenit parem neminem;

157. querendi] Cum ed. pr. restituit Ern. *quaerendi* Heusing. Schütz. Illud tamen cognatione tenetur tam cum praegresso *desiderare* quam continuo *lugendi*.

C. 43. 159. invenit parem neminem] Item ed. pr. *parem invenit neminem* D.

157. ista] Vestrae dotes, consilium et eloquentiae vox. Dolendum igitur fuit cogitanti, qui tunc locum Sulpicii atque Ciceronis in republica obtinerent; eumque dolorem Cicero pronunciavit disertius ad Sulpicium Epp. IV, 3, 13. Ernestius, quem haud raro fugeret pronominis vis (de qua satis est interpp. Plinii Epp. IV, 30. adhiberi), *ista* de republica intelligebat.

non modo querendi] I. e. non modo querendi, sed vel lugendi finem non reperiemus. De cuius formulae ratione diximus in Orator. 2.

C. 43. 158. accuratum] Accurate elaboratum modesteque temperatum: quo spectat eiusdem Crassi vox de Orat. III, 9, 33. *quibus vestigiis primum institi, in iis fere soleo perorare.*

inclinatio vocis] Lusus est vocis, quae secundum orationis modum, nunc asperae nunc dulcioris, modo intendi modo remitti posset. Itaque cum artis et affectati studii plurimum subesset, minus autem ea gravitatis haberet, Crassus eam contempsit. Quintilianus XI, 3, 168. *Tales sunt illae inclinationes vocis,* quas invicem Demosthenes atque Aeschines exprobrant. Significatur ille λαρυγγισμός, qui faucibus aut sublatis et apertis aut demissis cum amaritudine quadam efficitur.

inambulatio] Antiqui oratores in rostris, quae satis erant ampla, saepe procedere, recedere, ambulare solebant; eorumque pauci statarii fuere. Verum in his ipsis motibus dignitas quaedam a discursatione vel vacillatione remotior spectabatur: v. Quintil. XI, 3, 126. sqq. Itali autem etiamnum eadem utuntur actionis celeritate. Ceterum Crasso *motus mediocritas* tribuitur de Orat. III, 9, 33.

159. in altercando] Altercatio distinguitur ab oratione continua:

versatus est in omni fere genere causarum: mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adolescens: summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus. 160. Defendit postea Liciniam virginem, cum annos XXVII. natus esset. in ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque eius scriptas quasdam partes reliquit. Voluit adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Extat in eam legem senior, ut ita dicam,

constat enim interrogando respondendoque vel in intentione aut depulsione. Eius praecepta tradit Quintilianus VI, 4. Ipsius autem Crassi luculentum exemplum affertur de Orat. II, 55.

C. Carbonem] L. Crassus annos natus XXI. Carbonem (c. 27.) in iudicium vocavit a. 635. Vid. de Orat. III, 20. Attigimus in c. 36. extr. errorem illum XIX. annorum, qui fertur in Dialogo de Oratt. c. 34.

160. Liciniam virginem] Vestalem de incestu accusatam defendit a. 640. Acilio Balbo et Porcio Catone coss. (v. Iul. Obsequens c. 97.), et quidem mense Decembri. Macrob. Sat. I, 10. *Fenestella dicit, Aemiliam virginem XV. Kal. Ianuariarum esse damnatam.* deinde adiecit: *Sequebantur eum diem Saturnalia.* mox: *Postero autem die, qui fuit XIII. Kal. Ianuariarum, Liciniam virginem, ut causam diceret, iussam.*

in colonia Narbonensi] Narbo Marcius in Gallia Porcio Marcioque coss. deductus est a. 636. (118.) cum Crassus XXII. annos erat natus. V. Vellei. I, 15. Eam coloniam contra senatus voluntatem fuisse deductam, populari quidem lege constitutam, intelligitur etiam ex orat. pro Cluent. 51, 140. In qua causa parum sibi constare videbatur Crassus, qui dum plebi gratus esse studet, multum auctoritati senatus detraheret: v. de Orat. II, 55. Ceterum cf. Madvig. Opusc. p. 290.

in eam legem] I. e. de ea lege, cum suaderet legem de colonia deducenda. C. 44, 164. *illa in legem Caepionis oratio.* De Offic. I, 9. *Id quod apud Platonem est in philosophos dictum;* ubi Heusingerus contulit de Legg. I, 19. *in virtutem dici potest.* Cf. Hand. Tursell. T. III. p. 311. [Interest aliquantum inter hanc formulam et notiorem illam *de lege:* quemadmodum nos *über* et *auf* distinguimus. Nam *de lege* dixisset Crassus, si quidem materiam eam propositam et integram accepisset, in qua tractanda primas ageret partes; nunc autem in subsidium quasi vocatus secundarium locum suasoris implevit, qui rem commendaret ab aliis transactam laudis quadam accessione. Apposite Cic. de Republ. II, 26. f. *Sed erit hoc de genere nobis alius aptior dicendi locus, cum res ipsa admonuerit ut in eos dicamus* —, i. e. ut ad eos sermonem convertamus.]

senior, ut ita dicam] C. 76, 265. *me quidem delectabat etiam Triarii in illa aetate plena litteratae senectutis oratio.* [Cum hanc figuram exprimebat, Cicero, puto, cogitabat de Graecorum usu, qui iuvenes supra aetatem prudentes dicebant πολιοὺς τὴν γνώμην sive τὴν σύνεσιν vel γέροντας ἐν νέοις (vide praeclaros in multis Pindari locos Pyth. IV, 501. Nem.

quam aetas illa ferebat, oratio. Multae deinde causae; sed ita tacitus tribunatus, ut, nisi in eo magistratu coenavisset apud praeconem Granium, idque nobis bis narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse. 161. Ita prorsus, inquit Brutus: sed ne de Scaevolae quidem tribunatu quicquam audivisse videor, et eum collegam Crassi credo fuisse. Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus, sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus. nam censuram sine Scaevola gessit: eum enim magistratum nemo unquam Scaevolarum petivit. Sed haec Crassi cum edita oratio est, quam te saepe legisse certo scio, quattuor et triginta tum habebat annos, totidemque annis

160. aetas illa] Sic ed. pr. *illa aetas* Steph. cum edd. vulgg. praeconem] *praetorem* ed. pr. nobis bis] *bis* om. ed. pr. probata Lamb. et Schützio. *bis nobis* Gu. 2. cum edd. recentt.

161. cum — tum] Ed. pr. nescio an melius: *Sed haec tum edita oratio est (quam te saepe legisse certe scio), quattuor et triginta quum habebat annos;* aptiore sententia et constructione. [Mollior et ad intelligendum apertior foret ea scriptura, nisi *tum* ab eo membro, quod illi refertur, parum iucunde per interpositionem factam distraheretur.]

III, 125.); eorumque more sunt Latine dicti *iuvenes cana mente* ac similiter. De his formulis nuper exposuit Iahnius Symbolis in Philostr. V. Soph. pp. 78. 102. Maturitatem intelligi significat vel superior ille locus c. 2, 8.]

apud praeconem Granium] Magnus erat praeconum numerus, cum et Romae et in provinciis multis variisque fungerentur officiis, essentque in comitatu magistratuum et publicanorum; inter quos multi etiam divites. Q. autem Granius facetiis et lepore tantopere abundabat, ut principes viri eo familiariter uterentur: v. infra c. 46, 172.. de Orat. II, 60. 70. ad Fam. IX, 15, 6. cf. Klotz. in Oratt. Cicer. T. I. p. 564.

Lucilius] In Satiris: ubi de Granii dictis mentionem esse factam ostendit Gellius IV, 17. Idem etiam Crassi fuit familiaris: v. de Orat. I, 16, 72.

161. Scaevolae] Scaevola pontifex fuit tribunus pl. a. 648. Crassus autem a. 647.

in rostris sedente] Ea formula nihil nisi tribunum esse plebis significat: a rostris enim tribuni ad populum concionari solebant.

Serviliam legem] Q. Servilii Caepionis: de qua vide c. 35, 135.

nam censuram] Hoc est, Orellio monente: contra per se intelligitur, Crassum sine Scaevola censuram gessisse; eum enim magistratum nemo unquam Scaevolarum petivit. Itaque *nam* praecedentem sententiam quasi corrigit.

sed haec] Particula *sed* revocamur ad sententiam principalem *suasit Serviliam legem Crassus,* quae interpositis aliis esset obscurata. Vid. in c. 21. pr.

totidemque annis] Cicero enim ipso hoc anno 648. natus est.

mihi aetate praestabat. iis enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, cum ipse esset Q. Caepione consule natus et C. Laelio, triennio ipso minor quam Antonius. quod idcirco posui, ut dicendi Latine prima maturitas in qua aetate extitisset, posset notari; et intelligeretur iam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior. XLIV. 162. Erit, inquit Brutus, aut iam est iste, quem expectas?

iis enim] *is enim* ed. pr. *his* vulgo.
ad summum] *ad summam* ed. pr.
C. 44. 162. erit] *erat* ed. pr.
aut iam est] Sic ed. pr. cum plerisque: *an iam est* Heusingeri coniecturam, probatam illam Schützio et recentt. editoribus, qui soloecismum removisse sibi videbantur, D. firmavit. Sed perspexit Handius in Tursell. T. I. p. 551. Matthiae praeeunte, non quaeri, utrum futurus sit, an iam extiterit, sed num unquam futurus sit, aut *iam* adsit; quasi dicatur: *num erit*, *aut potius num iam est iste?* Ochsnero tamen *an* placebat, ut iucunde Brutus non alium magis significaret quam eum, qui iam praesto sit, Tullium. Neque ei displicebát, quod infra legitur c. 85. *Brutone id censebas an mihi probaturum?* [Cum res et potestas unius verbi agatur, non opinor bipartitae quaestioni locum esse. Contra particula *aut* progressionem facit a minori ad gradum quendam augustiorem (nos, *oder gar*): quem usum intelligimus criticis iusto saepius offensioni fuisse. Propert. I, 9, 10. *Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen, Aut Amphioniae moenia flere lyrae?* Livius XXVII, 39. *neque coniungi aut conferri in unum vires pateretur.* Tacitus

Q. Caepione et C. Laelio] A. 614.

in qua aetate] Ellendt. *in* soloecum esse dicit. Eum refellunt Hand. Turs. T. III. p. 280. Herzog. in Quintil. L. X. p. 116. Significantur paulo laxiores temporum fines, intra quos maturitas illa prodire coepisset.

ad summum] Eam dicit perfectionem, quae natura et usu comparari posset, in Antonio et Crasso fuisse. Sed qui postea eloquentiam auxerunt oratores, virtutibus priorum artem atque eruditionem addebant: his enim notis vetustior aetas Latinarum litterarum a posteriore differt. V. Bernhardy R. Litt. p. 96. [Quid in oratoribus illorum temporum vel consummatissimis desiderari debuerit, praesertim si quis societatem philosophiae cum disciplina iuris civilis et memoria rerum Romanarum exigeret, facunde Cicero declarat c. 93. Haec autem perstringens ille satis callide et praeter arrogantiae speciem consecutus est, ut lectoribus suam eloquentiae professionem et facultatem commendaret eosque ad condiciones bene dicendi, cuius fastigium aut nunc ipsum homo Romanus escendisset aut speraret iamiam escensurum, adverteret. Eodem consilio suam iuris scientiam modo memorabat sub finem c. 40. Philosophiam vero se cum arte oratoria coniunxisse cum alibi gloriatur, tum de N. D. I, 3, 6. *orationes* innuens *refertas philosophorum sententiis.*]

Nescio, inquam. Sed est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Caepione defensione iuncta non brevis, ut laudatio, ut oratio autem, brevis; postrema censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuco veritatis color. quinetiam comprehensio et ambitus ille verborum (si sic περίοδον appellari placet) erat apud illum contractus et brevis, et in membra quaedam, quae κῶλα Graeci vocant, dispertiebat oratio-

Ann. I, 16. *ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia.* Neque aliunde Horatiano S. I, 1, 8. *momento cita mors venit aut victoria laeta*, lux afferenda.]

defensione iuncta] *pro Q. Caepionis defensione iuncta* ed. pr. Omittunt *defensione* D. et Gu. l. probante Orellio, qui locum sic, quasi laudatio quaedam una cum oratione Crassi foret edita, accipiebat: *Est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Caepione* (scil. oratio); *iuncta* (est cum illa Caepioniana) *non brevis*, *ut laudatio*, *ut oratio autem brevis.* Contra Wetzelius, ab Ernestio adiutus: L. Crassi in consulatu (consulis) pro Caepione, quem Norbanus accusaverat, oratio defensione adiuncta (cui defensio est adiuncta), non brevis est, ut laudatio (laudationes autem breviter solebant perorari, cum testimonium potius quam oratio esse deberent), brevis autem ut oratio (i. e. iusto brevior, si esse deberet oratio totius causae, defensionem et laudationem praestitura). Similiter Schützius: pro Caepione testimonium dixisse Crassum consulem, cumque testimonia saepe dicerentur accuratius (de Orat. II, 11.), et cum laudatione eius, a quo testis esset productus, coniungerentur, oratiunculam ab eo habitam, quae ut laudatio testimonio annexa non brevis fuerit, ut oratio autem iusta, si eam Crassus ut Caepionis patronus habuisset, brevis dicenda fuisset. In hac explicatione ipse acquiesco: cum olim legerem, *Sed est etiam* (oratio) *L. Crassi*, *in consulatu pro Q. Caepionis defensione dicta.* Sed et hanc et Ellendti suspicionem, *Q. Caepionis defensione iuncta*, merito reiecit Westerm. p. 116. [Omnino tenendum insertis *defensione iuncta* causam contineri, cur oratio pro Caepione locum medium et ambiguum inter laudationem et iustam orationem impleverit, et pari iure quasi laudatio vel quasi oratio haberi potuerit.]

censoris] Sic edd. *censoria* Orellius. [Cuius coniecturam mirari libet, cum formam dicendi minus apertam c. 21, 82. *de ingeniis oratorum* ille prorsus perspexerit.]

περίοδον] Sic Orell. *periodum* edd. inde a princ.

C. 44. 162. censoris oratio] Sive altercatio contra Cn. Domitium collegam. V. Oratt. Fragm. p. 150. sq.

ambitus ille] Orat. 61, 208. *haec vel circumscriptio vel comprehensio vel continuatio vel ambitus, si ita licet dicere.* Adde de Orat. III, 48. f. et Quintil. IX, 4, 124. De *comprehensione* monitum etiam in c. 25, 96.

in membra] Non amabat Crassus longas comprehensiones, sed plerumque conficiebat periodos e binis versibus sive membris, Orat. 66, 223. qui locus cum nostro debet contendi.

nem lubentius. 163. Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu istos oratores, inquit, tanto opere laudas, vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere: cum enim omnibus memoriam sui, tum etiam disciplinam dicendi nobis reliquissent. nam Scaevolae dicendi elegantiam satis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. 164. Et ego, Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit, inquam, illa in legem Caepionis oratio: in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in iudicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt: plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intelligi potest. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paulo plenius. nulla est enim alter

163. Brutus — inquit] Media exciderunt ed. pr.
tanto opere] *tantopere* ed. pr.
164. et in accusatorum] Deest *in* ed. pr. Cum duo hominum genera significentur, praepositionem repeti par fuit.
leniter] *leviter* ed. pr.
expositis] Item ed. pr. *positis* Orellius. Oratio non tota quidem extabat aut integra, sed plurium partium argumentum breviter tantum illustratum earumque descriptio tanquam in tabula sive indice facta (quo spectat illud *expositis*), ipsis verbis, quibus Crassus dixerat, non redditis.

163. libellum] *M. Antonius unum de arte dicendi libellum sibi excidisse questus est:* de Orat. I, 47. 48. Orat. 5. *M. Antonius inchoavit aliquid: nam hoc solum opus eius, atque id ipsum imperfectum manet.* Adde Quint. III, 1, 19. Eius libri fragmentum extat apud eundem III, 6, 45. de quo cf. Westermann. p. 111.

Scaevolae] Vide c. 39.

164. inquam] Haec notabilis est verbi collocatio.

in legem Caepionis] Vide annot. in c. 43, 160. *extat in eam legem oratio.* Huc respexit infra c. 86, 296.

in iudicum] Iudices erant equites, hoc est, adversarii senatus. Magistratus enim et publicani invicem sibi invidebant, quorum utrique provinciales licenter exhaurire cuperent et spoliare. *Accusatores* autem intelligebat homines populares, qui plebem captantes non solum in malos patricios, verum in optimos etiam et innocentissimos, ut in Rutilium accusationes factitarent. Itaque Crasso, cum contra hos dicendum esset, prudenter cavendum fuit, ne plebem laederet: quam quibus lenociniis studuerit sollicitare, Tullius ostendit de Orat. I 52.

plura etiam dicta quam scr. Vide annot. in c. 24.

catio clamoribus unquam habita maioribus. 165. Et vero fuit in hoc etiam popularis dictio excellens: Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam concionibus.

XLV. Hoc loco ipsum Domitium non relinquo. nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam et consularem dignitatem tueretur: quod idem de C. Caelio dixerim, industriam in eo summam fuisse summasque virtutes, eloquentiae tantum, quod esset in

165. et vero] *et vere* ed. pr. *at vero* Gud.
etiam popularis] Sic ed. pr. cum codd. *et popularis* inde ab Lamb. vulg.
C. 45. pono] Sic edd. vett., i. e. statuo, censeo. *pone* Corradus, improspere. [Minus etiam opera cessit Schützio, sic satis audacter locum refingenti: *nam etsi non in oratorum numero pono, tamen puto satis in eo fuisse industriae atque ingenii;* quae coniectura ne levem quidem causam relinquit, cur Domitius inter eloquentes viros memoretur. Sed hic quoniam auctoritate quadam et concionibus valuit, Cicero tantum orationis, quantum satis esset ad tuendam dignitatem, in Domitio fuisse colligebat, et eo quidem ratiocinandi modo, quem firmant etiam exempla c. 35. 44. 77. in iudiciis de Metello, Servio, Lentulo.]

clamoribus] I. e. plausibus concionis. Nihil hoc usu tritius apud Quintilianum, Plinium (v. potissimum Epp. II, 14. extr. et Gesn. in IV, 5.), alios illis aequales.

165. [in hoc] Id est, in viro gravissimo, quem venustissimum eundem et urbanissimum fuisse miratur Cic. de Or. II, 56, 228.]

popularis dictio] Concionibus apta: cf. c. 70, 247. Crassus non solum in iudiciis, ut Antonius, verum excellebat etiam in concione.

C. 45. Domitium] Cn. Domitius Ahenobarbus tribunus pl. a. 650. M. Iunium Silanum, qui in consulatu a. 645. adversus Cimbros rem male gesserat, accusavit. Ascon. in Cornelianam p. 80. Idem eodem anno M. Aemilio Scauro patri diem dixit (v. Ascon. in Scaur. p. 21.), atque legem de sacerdotiis tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet. V. Agrar. II, 7. Vellei. II, 12. Sueton. Ner. 2. Consul a. 658. (96.) Quod Westermannus p. 99. dicit eum consulem de Allobrogibus et Arvernis ridicule triumphasse: perperam fecit, huius Domitii res cum patris confundens, sed praeeunte Suetonio. Censuram cum L. Crasso a. 662. gessit: cum orationem in eum Crassus habuit modo memoratam c. 44, 164.

C. Caelio) C. Caelius Caldus primus gentis suae ad consulatum pervenit, in quo nobilitatem quamvis repugnantem superavit: cf. Verr. V, 70. In tribunatu a. 647. legem tabellariam, ut in omnibus iudiciis tabella daretur, tulit, quo iudices metu liberiores suffragia ferrent. Lege perlata statim C. Popillium in ius vocavit. Consul a. 660. Hispaniam provinciam administravit. In bello civili cum Mario fecit: itaque verisimile est eum in proelio vel per proscriptiones Sullanas occubuisse. Cf. de Orat. I, 25. Drumann. T. II. p. 409.

rebus privatis amicis eius, in re publica ipsius dignitati satis. 166. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine et diligenter loquentibus numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit. Eodem tempore C. Claudius, etsi propter summam nobilitatem et singularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiae quandam mediocritatem afferebat. 167. Eiusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui meo iudicio eo

166. C. Claudius] *C. Clodius* edd.
summam nobilitatem] Item ed. pr. *summam auctoritatem, nobilitatem* D. Gu. 1.
167. eiusdem f. temporis] *eisdem f. temporibus* unus D.

in re publica] C. 77, 268. *quaereres in iudiciis fortasse melius, in re publica, quod erat, esse iudicares satis.*

166. M. Herennius] Quaestor a. 645. tribunus pl. a. 650. aedilis a. 653. praetor a. 656. propraetor a. 657. consul a. 661.

sodalitate, collegio] Haec idem fere significant. Tunc enim temporis partim Sullani partim Mariani multas constituebant sodalitates et collegia (quas Graeci ἑταιρείας vocant), ut in magistratuum creationibus quicquid liberet perferrent, atque res novas opera plebeiorum hominum pararent. Sic respublica haud mediocriter lacerabatur. Cf. Walter. I. p. 253. Klotz. in Oratt. T. I. p. 644. [De his olim eleganter tradidit Manutius in Sestian. 15. adde Wolfium in IV. Oratt. p. 65.]

L. Philippum] Vide c. 47.

C. Claudius] Sic scripsi, partim Fastis Consularibus in anno 662. obsecutus, partim quod in ceteris locis Ciceronis, quos Orellius in Onomastico p. 153. congregavit, eadem extat ratio. Eandem supra c. 18. fecimus mutationem, de qua Drumannus T. II. p. 200. praecepit. Ceterum is p. 184. nihil nisi consulatum huius viri rettulit, distinguens eum ab altero C. Claudio Pulchro aequali.

[magnus erat] Sallust. Catil. 54. *Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur.* Adde c. 47, 175.]

167. C. Titius] Ex hoc loco apparet Titium iisdem fere temporibus, quibus Herennius, C. Claudius, Philippus consulatus suos adepti sunt, hoc est, circiter a. 660. vixisse. Discedit paulum Macrobius Sat. II, 12. C. Titium appellans *virum aetatis Lucilianae.* Lucilius autem a. 606. natus, excessit vita a. 651. aetatis anno XLVI. Cf. Varges in Musei Rhen. Vol. III. p. 41. Idem vero cum dicat II, 13. legem Fanniam, quam oratione suaserit Titius, anno 593. latam esse, maiorem etiam movet dubitationem: *Post annum vicesimum secundum legis Orchiae Fannia lex lata est, anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem quingentesimo octogesimo octavo* (vel potius ut alii legunt, *quingentesimo nonagesimo secundo*). Eundem annum 593. Plinius Hist. X, 50. assignat. Quomodo tamen is, qui a. 593. orationem habuerit, oratoribus annumerari potuit, qui circa a. 660. floruerunt? Duae sunt rationes, quibus haec difficultas removea-

pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis litteris et sine multo usu pervenire. huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus. 168. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui a senatu hostis cum C. Mario indica-

tantum argutiarum] Deest ed. pr.
satis ille quidem] Sic ed. pr. *satis quidem ille* Nor. Asc. et vett. quaedam edd.

tur. Aut enim ponendum est, Titium non a. 593. sed multis annis post, nescio qua occasione motum, defendisse legem Fanniam, quae fuit Westermanni p. 124. opinio; aut Ciceronem paulum ab vero declinasse, si quidem debuit illum in priorum oratorum numero referre, qui quadraginta ferme annis ante Antonium Crassumque vixerit. Ac deprehendimus in hoc genere quendam errorem c. 74. Ceterum supersunt duo fragmenta orationis Titianae de lege Fannia apud Macrobium Sat. II, 9. (ubi vulgo pro *Titius* legitur *Cincius*, quod Meursius emendat) et II, 12. ex quo cognoscimus oratorem lepidum, argutum et ingeniosum. Sed Titii poetae memoria prope intermortua est: cuius nemo praeter Ciceronem et Frontonem meminerit. Hic enim p. 15. ed. Rom. scribit ad M. Caesarem: „*quibus ego gaudium meum verbis exprimere possim, quod orationem istam meam tua manu descriptam misisti mihi? Contigisse quid tale M. Porcio aut Q. Ennio, aut C. Graccho aut Titio poetae? quid Scipioni aut Numidico? quid M. Tullio tale usu venit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt a Lampadione aut Staberio aut Tirone aut Aelio aut Attico aut Nepote.*“ — De argumentis tragoediarum multum frustra quaesiverunt interpretes. Cf. Neukirch. de Fabula togata p. 174.

L. Afranius] Pauca de temporibus Afranii testimonia extant, sed quae persuadeant eum ante Crassum et Antonium natum et aequalem Attii fuisse: ut ab hac quoque parte nostram opinionem de Titii aetate putemus confirmari. Vellei. I, 17. *Nam nisi aspera ac rudia repetas et inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum Romana tragoedia est, dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt.* Idem II, 9. *Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Attii.* Contra Neukirch. p. 166. verbis Ciceronis innitens anno circiter 624. natum eum opinatur; qui quas Afranius, in togatis excellens ac Menandrum plerumque secutus, quinquaginta fere fabulas scripsit, earum fragmenta diligenter collegit. Eas semper in deliciis fuisse atque adeo Neronis temporibus actas, auctor est Suetonius Ner. 11.

168. Q. Rubrius Varro] Quaestor erat a. 627. et Gracchanae factionis particeps; in tribunatu C. Gracchi collega a. 632. cum

tus est, acer et vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem Graecis litteris, propinquus noster, factus ad dicendum, M. Gratidius, M. Antonii perfamiliaris, cuius praefectus cum esset in Cilicia, est interfectus; qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater.

XLVI. 169. Atque etiam apud socios et Latinos oratores habiti sunt Q. Vettius Vettianus e Marsis, quem ipse cognovi, prudens vir et in dicendo brevis; Q. et D. Valerii Sorani, vicini et familiares mei, non tam in di-

168. M. Marii Gratidiani pater] *patrem* edd. vett. ante Manutium. Error librarii, qui proximo nomini vel sono se accommodavit, de quo dictum in c. 27. Cf. Beier. in III. Offic. 16. p. 303. Wetzelius haec pro glossemate habuit, cum a nomine principali nimis esse viderentur remota. Sed adhaerent potius pronomini *qui*.

C. 46. 169. Vettius Vettianus] *Vectius* omisso *Vettianus* ed. pr. *Vectius* quidem edd. vett.

legem tulit de colonia deducenda Carthaginem. Praeturam gessit a. 638. Senex a senatu hostis cum C. Mario iudicatus a. 666.

M. Gratidius] Quaestor a. 640. fuit, tribunus pl. a. 645. cum legem tabellariam ei ferenti restitit M. Tullius Cicero avus. Porro C. Fimbriam repetundarum accusavit. Cum praefectus esset M. Antonii, clarissimi oratoris, in Cilicia, qui illam provinciam a. 651. rexit, interfectus est a piratis. Eius soror fuit Ciceronis avia: v. Cic. Legg. III, 16. Filium M. Marium Gratidianum perstrinxit c. 62.

C. Fimbriam] De quo v. c. 34.

C. 46. 169. apud socios et Latinos] Sic a Latinis reliqui socii Italici distingui solebant; ut in SC. de Bacchanalibus: *nequis adiese velet ceivis Romanus neve nominis Latini neve socium quisquam*. Cf. Niebuhr. T. II. p. 85. et Madvig. Epist. Crit. p. 111. Litterae autem non multum ante bellum Marsicum extra urbem apud Latinos coli coeptae sunt, cum eorum pauci studiis operam dedissent; tunc vero felicitas quaedam temporum auctaeque opes eo valuerunt, ut bonis artibus et eloquentiae incumberent. V. de Orat. III, 11. coll. Bernh. R. Litt. p. 93.

Q. Vettius Vettianus] Eundem nescio an Quintilianus I, 5, 56. memoraverit: *Peregrina vocabula ex omnibus prope dixerim gentibus ut instituta etiam multa venerunt. Taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur.* Nec repugnat aetas: siquidem Cicero plures vidit Lucilio suppares, velut Mucios augurem et pontificem, T. Flamininum, L. Aelium, Granium praeconem, Tincam Placentinum. Ceterum distinguamus; contra quam in Addendis ad Quintil. T. I. p. 462. sensi, Vectium Lucilii ab Vectio Philocomo, cuius apud Suetonium de Grammat. 2. fit mentio: eum enim potius Graecum fuisse et libertinum demonstravi in Diar. Zimmerm. 1836. p. 376.

Q. et D. Valerii Sorani] Sorani dicuntur a Sora, Latinorum oppido ad Lirim amnem, Arpinatibus proximo. Horum Quintus celebratur, cuius plura scripta tradantur; Decimus hoc uno loco memoratur. Vixerunt aetate Crassi et Antonii,

cendo admirabiles quam docti et Graecis litteris et Latinis; C. Rusticelius Bononiensis, is quidem et exercitatus et natura volubilis. Omnium autem eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot

Rusticelius] Restituit Ursinus. *Rusticellus* ed. pr. cum Plinio Hist. VII, 20.

Betucius Barrus] *T. Battutius Varrus* ed. pr.

vitamque produxerunt usque ad tempora Varronis et Ciceronis, quibus familiariter sunt usi. Ac nescio an istum Quintum in praetura Pompeius a. 672. iusserit occidi. Plutarchus Pomp. 10. *Γάιος Ὄππιος ὁ Καίσαρος ἑταῖρος ἀπανθρώπως φησὶ καὶ Κοΐντῳ Οὐαλερίῳ χρήσασθαι τὸν Πομπήιον· ἐπιστάμενον γὰρ ὡς ἔστι φιλολόγος ἀνὴρ καὶ φιλομαθὴς ἐν ὀλίγοις ὁ Οὐαλέριος, ὡς ἤχθη πρὸς αὐτόν, ἐπισπασάμενον καὶ συμπεριπατήσαντα καὶ πυθόμενον, ὧν ἔχρηζε, καὶ μαθόντα προστάξαι τοῖς ὑπηρέταις εὐθὺς ἀνελεῖν ἀπαγαγόντας.* Sed Oppio negat Plutarchus in Pompeii rebus fidem haberi posse. Laudat Quintum (de quo dubitabam in Anthol. Lat. T. I. p. XI.) Cic. de Orat. III, 11, 43. *nostri oratores minus student litteris quam Latini: tamen ex istis quos nostis urbanis, in quibus minimum est litterarum, nemo est quin litteratissimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat.* Composuit libros *de lingua Latina:* quo respexit Varro de L. L. p. 347. Item de grammaticis eius studiis testis est Gellius II, 10. *Servius Sulpicius iuris civilis auctor, vir bene litteratus, scripsit ad M. Varronem rogavitque, ut rescriberet, quid significaret verbum — favissae Capitolinae. Varro .. negat se in litteris invenisse, cur favissae dictae sint, sed Q. Valerium Soranum solitum dicere ait, quos thesauros Graeco nomine appellaremus, priscos Latinos favissas dixisse.* Praeterea *Satiras* scripsit, de rebus, opinor, ad litteras pertinentibus: quarum extat versus hexameter apud Varronem L. L. p. 583.

Attius Hectorem nolet facere,
Hectora malet.

Ubi Valerius irridet Attium, qui non *Hectorem* Latina finitione et media producta, sed Graeco more media correpta *Hectora* scribere solebat. Alterum carminum Valerii superest fragmentum apud eundem Varronem p. 318. *Apud Valerium Soranum: Vetus adagio est, P. Scipio.* De quo coniecturas, qui velit, petat a Schneidero in epist. ad Langerum p. 32. Deinde carmen *de diis* eum reliquisse ex Augustino Civ. Dei VII, 9. et ex Mythographo tertio p. 152. ed. Bodii cognoscere licet. Eius versus aliquot in Antholog. Lat. T. I. p. 9. leguntur. Ceterum huc solet anilis quaedam fabula referri: Valerium enim Soranum, quod arcanum Romae nomen prodidisset, repente extinctum esse ferunt Varro apud Servium in Aen. I, 277. Plinius Hist. III, 5, 65. et Plutarchus in Quaest. Rom. 61. Sed fabellam vetustissimis Romae temporibus, non aevo Varronis ortam esse arbitror, atque ex ipsius Servii narratione satis elucere videtur, alium quendam Valerium Soranum longeque vetustiorem intelligi. Postremo libros Valerii, quos *Ἐποπτίδων* inscripsit, Plinius sub finem Praefat. Historiae nominavit: ubi nescio an de antiquissimo cultu deorum apud Romanos, de rebus divinis atque de mysteriis disputarit.

T. Betucius Barrus] Is (nisi fallit coniectura) qui virgines Ve-

orationes Asculi habitae; illa Romae contra Caepionem, nobilis sane, cui orationi Caepionis ore respondit Aelius:

stales Liciniam, Aemiliam et Marciam vitiavit a. 640. Liv. Epit. LXIII. et Oros. V, 15.

Caepionem] Q. Servilius Caepio probe distinguendus ab eo, qui cos. a. 648. et in exilium missus est a. 659. de quo c. 35. dictum est. Hic vero minor natu quaesturam urbanam a. 654. (100.) gessit, contraque legem frumentariam L. Appuleii Saturnini tribuni pl. dixit, Auct. ad Herennium I, 12, 21. Cum valde familiaris fuisset M. Livio Druso, levibus ex causis in tribunatu Drusi a. 663. inter ipsos inimicitiae subortae sunt, unde origo socialis belli et exitia rerum: v. Plin. XXXIII, 1, 6. cumque a. 664. Varius tribunus pl. legem in auctores belli socialis tulisset, Caepio M. Aemilium Scaurum, principem senatus, ea lege accusavit. Orationis eius in Scaurum supersunt apud Charis. pp. 174. 198. fragmenta, eandemque causam tetigit Cicero: quorum alieno loco feci in Oratt. Fragm. p. 131. mentionem, cf. Westerm. p. 98. Tum legatus P. Rutilii consulis in bellum sociale profectus, prospera primum fortuna usus, deinde circumventus insidiis fuso exercitu cecidit a. 665. Liv. Ep. LXXIII. Adde c. 62. *Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus a senatu dissedisset.* Erat enim homo popularis, atque contra senatum semper stetit. Huius defensionem ab Aelio susceptam denuo commemorat c. 56, 206.

Aelius] L. Aelius Stilo Praeconinus doctrina et eruditione celeber: de cuius vita adeo plurima nos fugiunt, ut quibus consulibus sit natus quibusve mortuus, ignoremus. Id tantum constat summam eum attigisse senectutem, qui vixerit cum hominibus diversarum aetatum. Nam et L. Coelius Antipater (si Krausius Hist. Fragm. p. 184. vere locum Ciceronis in Oratore c. 69. correxit), historiam suam ei inscripsit et Lucilius in libro Satirarum primo eundem allocutus est, Auct. ad Herenn. IV, 12, 18. Deinde Metellum Numidicum in exilium comitatus est a. 654. Sueton. de Gramm. 2. *Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus generque Aelii Servius Clodius, uterque eques Romanus multique ac varii et in doctrina et in republica usus. L. Aelius cognomine duplici fuit: nam et Praeconinus, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat. tantus optimatium fautor, ut Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus sit.* Metelli tamen exilium cum non ultra annum duraverit, uterque debuit a. 655. Romam redisse. Senex vero discipulos habuit Varronem et Ciceronem; eiusque studia litterarum declarat locus eximius c. 56, 205. Ac tenuit eandem disciplinam, in qua Varro plurimum excelluit: itaque factum est ut quantumvis magnam assecutus laudem et auctoritatem, ab Varrone tamen obscuraretur. Scripsit *de grammatica Latina* libros, et grammaticorum princeps iuxta Cincium atque Santram vulgo habebatur, Gell. VI, 15. Eorum extant quaedam apud Charisium p. 104. et Gell. X, 21. Idem *de lingua Latina* sive *de origine verborum* libros reliquit, quorum saepenumero fit mentio: v. Varro de L. L. pp. 28. 30. 42. 72. 103. 190. de Re R. III, 12, 6. Festus pp. 167. 168. 177. 206. Gell. I, 18. Quint. I, 6, 37. Praeterea carmen Saliare commentariis explicavit, Varro de L. L. p. 282.

qui scriptitavit orationes multis, orator ipse nunquam fuit. 170. Apud maiores autem nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum Ti. Gracchi P. F. fere aetate: eius etiam oratio est pro Fregellanis coloniisque Latinis habita in senatu. Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? Quid censes, inquam, nisi idem quod urbanis? praeter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? 171. Et Brutus, Qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam; tantum esse quendam scio. id tu, Brute, iam

multis] Item ed. pr. *multas* edd. quaedam vett.
170. eius etiam] Sic ed. pr. cum Grut. et Ern. *eius autem* edd. quaedam vett. cum Lamb. et Orell.
coloniisque] *colonisque* ed. pr.

Cic. de Legg. II, 23. Festus pp. 168. 197. 238. Extabat etiam *de fabulis Plautinis* commentarius, quo quae Plauti essent disceptavit, Gell. III, 3. Quint. X, 1, 99. Omnino cum antiquitatis esset studiosissimus, antiquitatem Romanam illustravit. Cic. Academ. I, 2, 8. Nonius p. 44. Plin. Hist. XIV, 13. cui dicitur XXXIII, 1, 7. et XXXVII, 1, 4. *Stilo Praeconinus*. Tandem dialecticae praecepta Latinis eum litteris tradidisse volumen testificatur, quod de proloquiis sive περὶ ἀξιωμάτων edidit: de quo Gellius XVI, 8. durius sic iudicat: *In eo nihil edocenter neque ad instituendum explanate scriptum est, fecisseque videtur eum librum Aelius sui magis admonendi quam aliorum docendi gratia.*

scriptitavit] Negotium tenuit sibi familiare operamque consuetam. C. 77. *qui et scriptitavit accurate.* Cf. c. 26, 100. *defensitavit causas;* et annot. in c. 34, 130. *qui accusationem factitaverit.*

170. Ti. Gracchi P. F.] C. 20. *erat iisdem temporibus Ti. Gracchus P. F., qui bis consul et censor fuit, cuius est oratio Graeca apud Rhodios.*

pro Fregellanis] Fregellae ceteraeque coloniae Latinae varia condicione varioque fato sunt usae. Cf. Madvig. Opusc. p. 271. et 297. Fregellanorum quidem res Niebuhrius per T. III. passim tangit.

quasi colorata] Verte cum Wetzelio: *dass ihre Rede keinen städtischen Anstrich hat.* Figuram dicendi fere prodit Orat. 13. extr. *Sed quod educata huius nutrimentis eloquentia ipsa se postea colorat et roborat.* Nimirum *colorem ducere* flores et fructus sole picti dicuntur vel quaecunque species satis formatae propius ad maturitatem accedunt. Vide graphicam descriptionem Horatii Carm. II, 5, 9. sqq. Hinc Quintil. X, 1, 59. *multa magis quam multorum lectione formanda mens et ducendus est color.* Quod autem Cicero tradit orationem quasi solibus et auris *urbanitatis* coloratam, fecit ille respiciens ad condicionem et proprietatem litterarum Latinarum, quarum flos Romae tunc habitabat, nec secutus est definitionem vocis popularem et mox pervagatissimam, ut quicquid bene lepideve diceretur, urbane dicti nomen acciperet. Vide diligentem explicationem eiusdem Quintil. VI, 3,

intelliges, cum in Galliam veneris. audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae, sed haec mutari dediscique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quiddam et resonat urbanius. nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. 172. Ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: sed Tincam non minus ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego iam non mirer illud Theophrasto accidisse, quod di-

171. retinnit] Id Schneiderus facile confecit e codd. et ed. pr. scriptura *retinuit*. *recinit* Ald. Orell. improbante Frotschero in Quint. X. p. 206. *retinnire* idem fere valet quod resonare et personare, cui magis copiae quam reprehensionis inest significatio.

172. Tincam] *Tineam* ed. pr. bis.

eon'] *eone* ed. pr.

non minus ridicule] Sic ex ed. pr. castigavimus editum *non minus multa ridicule*, cui *multa* e praecedentibus erat illatum.

102. sqq. Noster tamen cum braccatas et transalpinas nationes videret in Romam infusas, per quas nullum iam veteris leporis vestigium appareret (ad Famil. IX, 15.): concessit quidem municipiis laudem industriae doctrinaeque, sonum autem leniter expressum et nescio quid reconditi saporis negabat se agnoscere nisi in hominibus urbanis, qui suavitatem istam urbi gentibusque nobilium propriam et domesticam tenerent nulla opera quaesitam. V. de Orat. III, 11. Itaque non voces pressit qualicunque peregrinitatis nota infectas (velut cum Plinius appellat Catullum conterraneum suum vocabulo castrensi sive municipali), sed gratiam illam nativam et interioris elegantiae civibus suis adiudicavit, quorum in sermone quiddam *retinniret* urbanius, hoc est, resultaret leniter ad aures allabens.]

171. in Galliam veneris] Brutum Galliae praefecit Caesar anno 708. quo Cicero hunc librum scripsit. Vid. ad Fam. VI, 6. et Clinton. in a. 708. p. 205. et 207. Eo profecturus erat a. 709. *Oratorem* vero a. 709. quo ipso tempore Brutus in Gallia versabatur, prodiisse docet ib. c. 10.

172. T. Tincam Placentinum] Quint. I, 5, 12. *Duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus, si reprehendenti Hortensio credimus, precu-lam pro pergula dicens.*

Q. Granio] Apud Granium coenavit Crassus orator in tribunatu a. 647. ut supra dixit c. 43, 160. auctore Lucilio, qui a. 651. vita decessit. Quem Granium cum familiarem suum appellet Cicero, videtur is usque ad a. 670. vel amplius vitam produxisse.

obruebat] Obumbrabat eiusque luminibus quasi obstruebat (*setzte in Schatten*), sapore vernaculo, i. e. proprio, innato, domestico, sive facetiis Urbem olentibus.

Theophrasto] Quintil. VIII, 1. *illa Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, annotata unius affectatione ver-*

citur, cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et respondisset illa, atque addidisset, *Hospes, non pote minoris*, tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum aetatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnino sic, ut opinor, in nostris est quidam urbanorum, sicut illic Atticorum sonus. Sed domum redeamus, id est, ad nostros revertamur.

percontaretur] Sic ed. pr. *percunctaretur* Lamb. Ern.

non pote] *non potes* ed. pr. Illud pro *non potest* dictum ex sermone quotidiano populi venit. Cf. Klotz. in Oratt. T. I. p. XXXIV.

Omnino sic] *optimeque loqueretur omnium. Sic ut opinor* etc. ed. pr. *Omnino sic (ut opinor)* Rivius, nec offendit haec collocatio verborum. Nec male Orellius: *Omnino sic, opinor*, deleto *ut*.

sicut illic] Item ed. pr. *sicut illis* D. *sicut in illis* Schütz.

id est, ad nostros r.] Tanquam interpretationem damnant Lamb. Wetz. Schütz. Ego vero necessaria esse puto, ne quid ambigui sit. Cum enim *domum redire* significet e Graecia Romam reverti, non fuerit ineptum addi, *id est, ad nostros revertamur*. Ac ne Schützius quidem hoc totum delendum putabat, sed mutasse satis habuit, *et ad nostros revertamur*. Omnino talis dicendi ratio non abhorret ab more dialogorum: v. Goerenz. in Academ. I, 2, 8. et Klotz. in Tuscul. V, 9, 24. [Cf. quae dicta sunt in c. 31, 120. Fuerunt olim, Ruhnkenii (in Vellei. II, 23.) potissimum auctoritatem secuti, qui quicquid sententiarum proderet formulam *id est*, hac certissima quasi nota glossematis confoderent; quamquam ipse Ruhnkenius concessit interdum vim et elegantiam orationi addi, neque criticos omnino fugit, quantum discriminis inter tot tamque dissimiles locos interesset. V. Davis. in Tusc. III, 27. Cort. in Epp. II, 17, 6. Spald. in Quintil. I, 5, 65. Illud vero certum et suapte natura manifestum, interpretes ibi grassatos fuisse, sicubi nuda verborum sit explicatio quaeque nihil a praegressis nisi per vocum inflexionem recedat, ut lectorem tanquam imperitum edoceat. Velut inculcarunt grammatici de N. D. II, 9. physicis, *id est naturalibus*, et II, 29. *πρόνοιαν — id est providentiam*. Contra scriptores ipsi haud raro nec praeter dictorum efficaciam aut translationis figuraeve notionem aut interiorem verborum sensum illustrarunt addito membro, cuius index esset *id est*: nos, *ich will sagen, darunter verstehe ich*. Ut Acad. I, 2. „si Epicurum, *id est si Democritum* (qui nihil differt a Democrito) probarem." Epp. II, 17, 6. „De praeda mea praeter quaestores urbanos, *id est populum Romanum*, teruncium nec attigit .. quisquam:" non enim quaestores proprie sed magistratus et sequestres P. R. intelligi vult. In Pison. 27, 65. „cum P. Clodio, *hoc est cum amoribus suis* coenet," cf. Sallust. Iug. 31. Figuram autem interpretans infra Cicero posuit c. 62, 222. „Catulum filium abducamus ex acie, *id est a iudiciis*:" quae Ruhn-

bi hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata re-spondit, quam quod nimium Attice loqueretur.

XLVII. 173. Duobus igitur summis Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. itaque eum, etsi nemo intercedebat qui se illi anteferret, neque secundum tamen neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim aut tertium, qui vix e carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit; nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sed tamen erant ea in Philippo, quae qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret: summa libertas in oratione, multae facetiae; satis creber in-

kenius damnat incaute. Verum haec universe sufficiant, ut cognoscatur totam quaestionem ad differentiam externam vel internam referri. Iam quod Wetzelio nihil visum fortius manum interpolantis olere, cum minime opus esset locutionem *domum redire* Bruto explicari: fefellit illum ratio, qui novissima putaret ad memoriam Atticorum modo iniectam spectare. Sed quos Tullius dixit *nostros*, eos par est sociis et Latinis referri, quibus paulisper immoratus iamiam avebat Romam ad domesticos oratores redire.]

C. 47. 173. acceperit] *accepisset* ed. pr.

C. 47. 173. L. Philippus] L. Marcius Philippus quem summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia supra c. 45. celebravit, in tribunatu a. 650. legem agrariam tulit, de Off. II, 21. Idem in consulatus petitione a. 661. a M. Herennio superatus, duobus tamen annis post a. 663. consul creatus est. Cum autem et senatui et legibus M. Livii Drusi tribuni, quae auctoritatem senatus tuerentur, vehementer esset adversatus, L. Crassus ei restitit et acerrimam opposuit orationem, de Orat. I, 7. III, 1. Sed Philippus obtinuit a senatu, ut omnes leges Liviae tollerentur. Censuram gessit a. 668. eodemque anno pro Cn. Pompeio dixit. Senex vero mutatis consiliis partes Sullanas est secutus. Memoriam viri nobilitavit Horatius Epist. I, 7. Eius facetiae dictaque urbane multa ferebantur, orationes nullae. Cf. Westerm. p. 100. et Oratt. Fragm. p. 159. sq.

proximus] Hanc conformationem Macrobio teste Sat. VI, 2. imitatus est Virgilius Aen. V, 320. *Proximus huic, longo sed proximus intervallo.* Conf. Quintil. X, 1, 53. *Quamvis Antimacho secundas fere grammaticorum consensus deferat, et affectibus et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum.* In his notionibus persequendis multus fuit Latinus Alcimus in epigramm. de Virgilio Antholog. Lat. T. I. p. 101. Ceterum Macrobius editam lectionem satis ab eorum conatu defendit, qui verba transponi iubebant: *longo intervallo, sed tamen proximus.* [Sic enim intelligenda dictionis forma: *proximus* erat, sed tanto intervallo, ut *secundus* haberi non posset. Vide Horat. C. I, 12, 19.]

in quadrigis] Non in quadrigarum curriculo, quod placuit nonnullis, sed in quadrigario certamine vel, ut breviter dicamus, cursu secundum.

reperiendis, solutus in explicandis sententiis; erat etiam inprimis, ut temporibus illis, Graecis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. 174. Horum aetati prope coniunctus L. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires quid ei deesset. nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, et verbis solutus satis: sed in magnos oratores inciderat eius aetas; multam tamen operam amicis et utilem praebuit, atque ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur. 175. Iisdem fere temporibus D. Brutus, is qui consul cum Mamerco fuit, homo et Graecis doctus litteris et Latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperite, Cnaeusque Pompeius Sex. F. aliquem numerum obtinebat. Nam Sex. frater eius praestantissimum inge-

174. L. Gellius] C. 27. *familiaris noster L. Gellius Carboni contubernalem se fuisse in consulatu narrabat;* eumque in dicendo magistrum habuit. Is autem qui a. 634. erat adolescens, aetate debuit par esse Crasso et Antonio. Hoc longe minor natu L. Gellius consul a. 682.

non tam vendibilis] Non tam eximius orator quam is, in quo nullum vitium aperte deprehendas. Itaque non tam propter virtutes fuit laudandus quam quod vitiis carebat. Orellius quod coniicit, *non tam non vendibilis* (i. e. erat quidem vendibilis et admodum probabilis orator, sed tamen nescio quid ad perfectionem ei deerat), haec coniectura videtur iis quae sequuntur probari. [Miror tamen et relationem membrorum parum aequabilem, in qua coniunctio *ut* non satis quadret in adiectivum *non vendibilis*, et ambages orationis, quibus validum ac perspicuum sensum praefero: minor Gellii fuit gratia et existimatio quam pro dotibus et praesidiis rei bene gerendae, quae nemo non in eo agnoscebat.]

ad excogitandum] Ad inveniendum. Inventio enim est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant: v. de Invent. I, 7.

175. D. Brutus] Decimus Iunius Brutus et M. Aemilius Mamercus Lepidus Livianus coss. a. 677.

L. Scipio] L. Corn. Scipio Asiaticus cos. a. 671. ab exercitu, quem contra Sullam ducebat, desertus, sed a victore conservatus est. Postea tamen ab eodem Sulla proscriptus in exilio Massiliensi mortuus est.

Cnaeus Pompeius] Cn. Pompeius Strabo T. Albucio propraetore in Sardinia quaestor a. 649. praetor a. 660. propraetor Siciliae a. 661. consul a. 665. bello Marsico bene re gesta et Asculo capto (Gell. XV, 4.) de Picentibus triumphavit. V. Pighius T. III. p. 230. Pompeii Magni pater: qui quam invisus plebi fuerit, Plutarchus in illius vita sub princ. declarat.

Sexti filius] Quem attigit c. 25, 97.

nam Sextus] Explicat cur Sextus in oratorum numero sit praetereundus: Sextus frater eius abhorrebat ab eloquentia, quippe qui ingenium ad ius et philosophiam contulisset, ac laudaretur ob studia geometriae. V. de Orat. I, 15, 67. Offic. I, 6, 19. Pomponius de

nium contulerat ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum Stoicarum scientiam. Item in iure et ante hos M. Brutus, et paulo post eum C. Bellienus, homo per se magnus, prope simili ratione summus evaserat: qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus et in eas petitionis angustias incidisset. 176. Cn. autem Octavii eloquentia quae fuerat ante consulatum ignorata, in consulatu multis concionibus est vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores revertamur. Censeo, in-

175. et rerum] *ac rerum* ed. pr.
item in iure] *ita in iure* (sine spatio vacuo ut in ed. Med.) ed. pr.
Bellienus] Sic ed. pr. *Billienus* D. *Bilienus* vulg. inde ab Lamb.
prope simili rat. summus] *summus* om. Gu. probantibus Schneidero et Wetzelio: quos fugit interpretatio vocis *magnus*. Iungenda vero *prope summus*, quam in sententiam Schützius tentabat, *simili ratione prope summus*. Nam similis ratio fuit eadem iuris scientia.

orig. iur. c. 3, 40. *Ab his profecti sunt P. Rutilius Rufus, P. Virginius, Q. Tubero ille Stoicus, Panaetii auditor. Etiam Sex. Pompeius, Cnaei Pompeii patruus, fuit eodem tempore.*

M. Brutus] Vir laudatissimus, idemque pater eius, qui accusator est dictus: de quibus exposuimus supra c. 34.

C. Bellienus] C. Annius Bellienus quaestor a. 636. aedilis autem a. 643. Post aedilitatem praefectus militavit sub Q. Metello contra Iugurtham et ex Numidia reversus praeturam obtinuit a. 648. Anno deinde legitimo consulatum petens repulsam est passus, cum C. Marius praeferretur: v. Pighius T. III. p. 142. Is igitur, quamquam rebus gestis satis erat clarus, iuris etiam scientia prope summus evaserat ad summamque dignitatem pervenerat. [Similiter Corradus: sua virtute magnum fuisse Bellienum, etsi caruisset consulatus honoribus. Mirabatur Ernestius: cui foret, opinor, satisfactum, si de Mario, hoc est, homine novo rerumque gestarum laude praestantissimo, talia pronunciarentur. Sed formulam istam ad potentiam et auctoritatem spectare docet vel superior locus c. 45, 166. ubi nos tetigimus.]

Marianos consulatus] Marius enim continuatos sibi quinque consulatus arrogavit ab a. 650. usque ad 654.

176. Cn. Octavii] Cum Sulla a. 666. Marium praeter alios decem hostes reipublicae iudicasset et expulisset, consules creavit Cn. Octavium, qui partes ipsius strenue defendebat, et Corn. Cinnam. Deinde in bellum contra Mithridatem profecto, Cinna statim res novas moliens leges Sullanas abrogare et Marium una cum sociis eius restituere coepit. Huic Octavius collega sese opposuit, partim concionibus partim vi illata resistens. Ac tum quidem Cinna effugit; sed eodem anno 667. cum Mario reversus urbem occupat; inde caedes et proscriptio principum virorum, Cn. Octavii, Antonii, C. Caesaris Strabonis, Q. Catuli. V. Vellei. II, 20. Drum. T. II. p. 581. Zachariae Sulla p. 127.

quit Atticus: eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere.

XLVIII. 177. Festivitate igitur et facetiis, inquam, C. Iulius L. F. et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus sicut ex eiusdem tragoediis lenitas eius sine nervis perspici potest. 178. Eius aequalis P. Cethegus, cui de re publica satis suppeditabat oratio. totam enim tenebat eam penitusque cognorat. itaque in senatu consularium aucto-

176. eloquentes] *eloquentis* ed. pr.
C. 48. 178. itaque in senatu] *ita in senatu* ed. pr.

eloquentes — sedulos] Librum de oratoribus, non de studiosis eloquentiae te edere profitebaris.

C. 48. 177. igitur] Respicit particula ad praecedentem sententiam, *iam ad oratores revertamur*. Cf. c. 47. pr.

C. Iulius] C. Iulius Caesar Strabo Vopiscus, idemque Sesquiculus dictus. Is ab Sardis rogatus T. Albucium repetundarum postulavit a. 651. et extabat eius pro Sardis oratio. Aedilis curulis a. 664. quotidie fere conciones habebat accuratas. Cum autem a. 666. omissa praetura consul fieri cuperet, invita lege Villia annali: restiterunt ei P. Antistius et P. Sulpicius Rufus tribuni plebis, eaque res per nimiam contentionem ad ferrum et ad arma processit. Item orationis eius contra P. Sulpicium supersunt fragmenta. Occisus est anno sequenti, cum Cinna et Marius urbe recuperata multos nobiles, qui Sullae favebant, proscripsissent: quod tetigit c. 89. f. V. Oratt. Frag. p. 160. sq. et Orellii Onomast. Asconius in Scaur. p. 24. *Idem tragicus poeta bonus admodum habitus est; huius enim sunt tragoediae, quae Iulii inscribuntur.* Quamquam Attius poeta non magni aestimabat carmina eius (v. Valer. Max. III, 7, 11.); eorumque extant vestigia pauca. V. Weichert. Poett. Reliqu. p. 127. sq. Nam Iulii Adrastus a Festo p. 202. Iulii Tecmesa a Mario Victorino Art. gramm. p. 2456. eiusdemque Teuthras a Macrobio Sat. VI, 4. vocatur, si Delrius vere coniectavit: alii enim, levibus tamen causis, Livio tribuunt Andronico, velut Düntzerus de Livio Andron. p. 83. Sed multo clarior fuit laude facetiarum et leporis exquisiti: quo nomine Cicero non modo solet Caesarem libenter celebrare, sed magistrum etiam festivitatis introduxit de Orat. II, 54. sqq.

178. P. Cethegus] P. Cornelius Cethegus a Sulla una cum Mario hostis reipublicae a. 666. iudicatus in Numidiam fugit, unde anno sequenti, cum Cinna Marium atque socios revocasset, Romam rediit. Postea consiliis mutatis ad Sullam transiit a. 671. Is post mortem etiam Sullae magna potentia fuit et auctoritate, ut homo versutus atque facundus. Quod alii eum a. 669. praetorem fuisse, alii a. 680. dicunt, id nullis fit testibus. Cf. Drum. T. II. p. 557.

consularium] Eadem auctoritate, qua consulares, florebat, quamquam ipse nunquam consul fuerat. Rem intelligi licet e Paradox. V, 3.

ritatem assequebatur: sed in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. Erat in privatis causis Q. Lucretius Vespillo et acutus et iurisperitus. Nam Ofella concionibus aptior quam iudiciis. Prudens etiam T. Annius Velina et in eius generis causis orator sane tolerabilis. In eodem genere causarum multum erat T. Iuventius, nimis ille quidem lentus in dicendo et paene frigidus: sed et callidus et in capiendo adversario versutus, et praeterea nec indoctus, et magna cum iuris civilis intelligentia. 179. Cuius auditor P. Orbius, meus fere aequalis, in dicendo non nimis exercitatus, in iure autem civili non inferior quam magister fuit. Nam T. Aufidius qui vixit ad summam senectutem, volebat esse similis horum, eratque et bonus vir et innocens, sed dicebat parum. Nec sane plus frater eius M. Virgilius, qui tribu-

in privatis satis] Item ed. pr. *in* om. quaedam edd.
Vespillo] *Vispillo* edd. vett.
nam Ofella conc.] *nam A. filia contionibus* ed. pr. Correxere Victor Pisanus et Corradus.
cum iuris civilis] Fuit cum alterum aliquod membrum desiderarem, velut, *magna cum iuris civilis tum rerum nostrarum intelligentia.* Nam *cum* praepositio habet sane offensionem. Quamquam Ramshornius p. 470. hunc locum excusat.

nam Ofella] Dicit eum dissimilem fuisse Q. Vespilloni, qui in privatis causis excelluit, cum Ofella concionibus quam iudiciis esset aptior. Cf. c. 47, 175. Ceterum Q. Lucretius Ofella, qui in exercitu Sullae militaverat, consulatum omissa praetura a. 673. petebat: quae causa fuit cur Sullae dictatoris iussu per L. Bellienum trucidaretur. V. Asconius Or. in toga candida p. 92. Drum. II. 482. Zachariae Sulla p. 152.

prudens] Sive iuris peritus.

T. Annius Velina] Neglexit Orellius in Onomastico. Apparet eum mediocrem oratorem in causis privatis dici.

T. Iuventius] *Ti. Iuventius* ed. pr. Idem fortasse, qui Pomponio de orig. iur. 3, 42. vocatur C. Iuventius: nam et aetas et studia congruunt.

179. P. Orbius] Qui praetor Asiam sortitus est a. 691.

nam T. Aufidius] I. e. ne Aufidius quidem in oratorum erat numero: nam volebat esse similis horum, qui iuri magis quam eloquentiae operam dederant. Is quaestor a. 670. praetor Asiam obtinuit post Neronem, ante Varinium; nam de anno parum constat: v. pro Flacco c. 19. et Orell. Onomast. Quod Wetzelius annum 679. prodit, eundemque a Val. Max. VI, 9, 7. laudari: dicitur ibi *Tiberius Aufidius.*

M. Virgilius] Tribunus pl. a. 667. Octavio et Cinna coss. Cum Cinna constitutionem Sullanae reipublicae convellere cuperet, M. Virgilius vel Virginius, ut est apud Plutarchum, eum adiuvit, diem dicens Sullae imperatori. Plut. Sulla c. 10. *Λεύκιος Κίννας παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν εὐθὺς ἐπεχείρει τὰ καθεστῶτα κινεῖν καὶ δίκην ἐπὶ τὸν Σύλλαν παρεσκεύασε, καὶ κατηγορεῖν ἐπέστησεν Οὐ-*

nus plebis L. Sullae imperatori diem dixit. Eius collega P. Magius in dicendo paulo tamen copiosior. 180. Sed omnium oratorum sive rabularum, qui et plane indocti et inurbani aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo et acutissimum iudico nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gargonium. Fuit etiam facilis et expeditus ad dicendum, et vitae splendore multo et ingenio sane probabili T. Iunius L. F. tribunicius, quo accusante P. Sextius praetor designatus damnatus est ambitus. is processisset honoribus longius, nisi semper infirma atque aegra valetudine fuisset.

XLIX. 181. Atque ego praeclare intelligo, me in eorum commemoratione versari, qui nec habiti sint oratores neque fuerint, praeteririque a me aliquot ex veteribus commemoratione aut laude dignos: sed hoc quidem ignoratione. Quid enim est superioris aetatis, quod scri-

180. oratorum sive] *sive* om. ed. pr.

et plane indocti et] D. Gu. probante Hand. Tursell. T. II. p. 537. *et plane indocti aut inurbani* A. B. ed. pr. *aut plane indocti et inurbani* cum Heusingero Schütz. et Orell.

C. Gargonium] Sic ed. pr. probantibus Bentleio in Horat. Serm. I, 2, 27. et Orellio. *Gorgonium* ex aliis edd. praetulit Weichert. in Poett. Reliq. p. 424.

P. Sextius] *P. Sextus* ed. pr. *P. Sestius* Orell.

atque aegra] Sic ed. pr. *atque etiam aegra* vulgatum. Hoc tamen loco, cum alterum adiectivum nihil novi ad sententiam addat, *etiam* plane fit supervacuum.

C. 49. 181. sint — fuerint] Sic ed. pr. *sunt — fuerunt* Gu. 1. Sed obliquae orationi conveniunt subiunctivi.

quid enim est] *quid est enim* critici recentt. [Nempe valuit ad multos auctoritas Schaeferi (in Plin. p. XI. sqq.), qui cavere ius-

εργίνιον ἕνα τῶν δημάρχων, ὃν ἐκεῖνος ἅμα τῷ δικαστηρίῳ χαίρειν ἐάσας ἐπὶ Μιθριδάτην ἀπῆρε.

P. Magius] P. Magius Chilo tribunus pl. a. 667.

180. Q. Sertorium] Q. Sertorius adolescens foro iudiciisque operam dedit. Plut. Sert. 2. *ἤσκητο μὲν οὖν περὶ τὰς δίκας ἱκανῶς καί τινα δύναμιν ἐν τῇ πόλει μειράκιον ὢν ἀπὸ τοῦ λέγειν ἔσχεν.* Mox his studiis relictis virtutes explicuit bellicas et Cimbrico bello et Marsico. In tribunatu petendo a. 666. cum Sulla consul effecisset, ut ferret repulsam, id aegre ferens cum Cinna se coniunxit a. 667. Sed postea videns res afflictas cum a Sulla, qui urbem receperat, proscriberetur, in Hispaniam aufugit, ubi ab a. 676. usque ad a. 682. exercitus Romanorum repressit, donec per proditionem cecidit.

P. Sextius] Ellendtus: Fortasse eius pater, quem a Cicerone defensum scimus. Sed eundem a. 654. accusatum esse neque Pighio (ad a. 653.) neque Wetzelio credimus.

C. 49. 181. aliquot ex veteribus] Ut M. Catonem, Censorii nepotem: v. Oratt. Fragm. p. 115.

bi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum nec ipsorum? De iis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere praetermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus. 182. Volo enim sciri, in tanta et tam vetere re publica maximis praemiis eloquentiae propositis omnes cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intelligi possit, quem existimem clamatorem, quem oratorem fuisse. Iisdem fere temporibus, aetate inferiores paulo quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. 183. Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt. Hic Atticus, Quomodo istuc dicis, inquit, cum tuo iudicio tum omnium? Semperne in oratore probando aut improbando vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit? an alii probantur a multitudine, alii autem ab

serat, ne particulae *enim* succederet interdum *est*. Sed diligentiori verborum collocationi, *quid est enim*, *incredibile est enim* similibusque nullus potuit esse locus praeterquam in sententiis communibus. Verum ubi praedicati quam observationis potior fuit ratio, nihil discessum videmus ab usu vulgari. Velut de N. D. I, 2, 5. *Res enim nulla est.* Accedit quod orationis leviter distractae hic est instituendus ordo: *quid enim est quod scribi possit de iis superioris aetatis.*]

de iis] *de his* ed. pr.

dicentes vidimus] *dicentes audivimus* Schützius, ne repeteretur *vidimus*. Sed nescio an hoc totum *eorum quos aliquando dicentes vidimus* natum sit ex illorum interpretatione, *de iis quos ipsi vidimus:* utrumque enim unum idemque, nec ovum ovo similius. [Similitudo quidem ista non adeo notabilis, nullum ut discrimen aut loquentis consilium possit indagari. Prius enim membrum superioribus refertur, quos Cicero aut non ipse vidisset aut nesciret eloquentiam coluisse, quippe quorum nihil extaret litterarum. Contra quos et aequales habuerit et in causis aliquando versatos viderit, eorum neminem se praetermissurum ostendit.]

182. sciri] *scire* ed. pr.

omnes] *omnis* ed. pr.

clamatorem] *declamatorem* Gothofred. probante Schütz. De Orat. III, 21. *odiosi et molesti clamatores;* et ib. 34. *Periclem non clamator aliquis latrare docuerat.* Id bene sententiae congruit, quo viles oratores notentur.

183. vulgi] *volgi* (item deinceps) ed. pr.

182. Iulius — Antistius] Horum *Iulius* supra laudatus in c. 48. *Cotta* et *Sulpicius* c. 55. sq. describuntur, *Varius*, *Fufius*, *Drusus* c. 62. *Pomponius* c. 57. *Curio* c. 58. tandem *Antistius* c. 63.

iis qui intelligunt? Recte requiris, inquam, Attice: sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent. 184. An tu, inquit, id laboras, si huic modo Bruto probaturus es? Plane, inquam, Attice, disputationem hanc de oratore probando aut improbando multo malim tibi et Bruto placere; eloquentiam autem meam populo probari velim. Etenim necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. nam, quid in dicendo rectum sit aut pravum, ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare: qualis vero sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. 185. Tria sunt enim, ut quidem ego sentio, quae sint efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non assequatur haec, aut etiam in his labatur et cadat, artifex aliquis iudicabit. efficiatur autem ab oratore necne, ut ii qui audiunt ita afficiantur, ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio fuit. L. 186. An censes, dum illi viguerunt, quos ante dixi, non eosdem gradus oratorum vulgi iudicio et doctorum fuisse? De populo si quem ita rogavisses: Quis est in hac civitate eloquentissimus? in Antonio et Crasso aut dubitaret, aut hunc alius, illum

184. id laboras, si] Sic Manutius. *id laborasse huic* Gu. et ed. pr. Fallitur autem Ellendtus, *si* dicens significare *num* vel *ut.* Immo Atticus dicit: an tu id curas, alios te probaturos esse (sive, num solicitus es de aliorum assensu), si modo Bruto satisfacturus es? Cf. Madvig. Emendatt. I. p. 54.

185. quae sint] Item ed. pr. *quae sunt* Gu. D.

quidque] *quicquam* ed. pr.

ii qui audiunt] Id nihil aliud nisi *auditores* est. *hi qui audiunt* ed. pr. *qui audiant* Ernestius, improbante Zumpt. Gr. p. 471.

C. 50. 186. hunc alius] Firmat ed. pr. *hunc aliquis* Gu. D.

184. de oratore probando aut improb.] Id intellige, *vom Werth oder Unwerth eines Redners.*

185. Tria sunt] De Orat. II, 77. *Et quoniam (quod saepe iam dixi) tribus rebus omnes ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo.* Quintil. III, 5, 2. *Tria sunt, quae praestare debet orator, ut doceat, moveat, delectet.* Vide annot. in c. 21, 82. Eodem respexit c. 53.

C. 50. 186. dixi] C. 47. et 49.

eosdem gradus] Oratores tam a populo quam a doctis paribus iudiciis inter se distinguebantur: ut utrisque idem summus, idem infimus, idem medius haberetur.

alius diceret. Nemone Philippum, tam suavem oratorem, tam gravem, tam facetum, his anteferret, quem nosmet ipsi, qui haec arte aliqua volumus expendere, proximum illis fuisse diximus? Nemo profecto. id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri. 187. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum, *Mihi cane et Musis;* ego huic Bruto dicenti, ut solet, apud multitudinem, *Mihi cane et populo, mi Brute,* dixerim: ut qui audient quid efficiatur, ego etiam cur id efficiatur intelligam. credit iis quae dicuntur, qui audit oratorem: vera putat, assentitur, probat, fidem facit oratio. 188. Tu artifex quid quaeris amplius? delectatur audiens multitudo, et ducitur oratione, et quasi voluptate quadam perfunditur. quid habes quod disputes? Gaudet, dolet, ridet, plorat, favet, odit, contemnit, invidet, ad misericordiam

Nemone Philippum] Sic ed. pr. *nemo ut Philippum* Palat. Unde coniecit Ernestius *Nemone ut Philippum*, usus loco Horat. S. I, 1, 108. Adde Tuscul. II, 18, 42. *Egone ut te interpellem? ne hoc quidem vellem.* p. Sestio c. 7, 17. *hoccine ut ego appellem nomine?* [Id miror cuiquam probari potuisse. *Nemone ut* stupentis vel indignantis est, qui rem perversam detrectet vel reprehendat. Vide vel exempla Drak. in Liv. IV, 2, 12. Atqui Cicero tantum afuit ut indignitatem iudicii popularis gravaretur, ut potius Philippum merito posthabitum Antonio vel Crasso concedat. Iam *nemone — anteferret* est, adeo nullus potuit inveniri, qui oratorem secundi loci praeferret?]

187. audient] Sic ed. pr., recteque se habet futurum. *audiant* Ernestius.

187. Antigenidas] Valer. Max. III, 7. Ext. 2. *Antigenidas tibicen discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se approbanti, cunctis audientibus dixit: Mihi cane et Musis.* [Nobilissimae voci satis similem edit Athenaeus XIV. p. 631. F. quae animum spirat populi contemptorem. Ceterum duo extiterunt Antigenidae (penultima producta) clari tibicines: quorum vetustiorem eundemque ut videtur maioris famae, filium Dionysii, Pericles arcessivit, ut Alcibiadem doceret; alterum, Satyri filium, Thebanum, Philoxeni socium, sub aetatem Epaminondae accepimus vixisse. Uter horum sectam Antigenideorum reliquerit ignoramus. De quibus vide quae collegerunt Iacobs. in Anthol. T. VII. p. 57. et Wyttenb. in Plut. T. VI. p. 1113.]

frigenti ad populum] Frigere est, nullum excitare plausum et approbationem, non placere audientibus. Terent. Eun. II, 2, 37. *nimirum homines frigent:* ubi Ruhnkenius nostri loci non immemor fuit. Adde intpp. Plinii Epp. VI, 15.

188. quid quaeris] Nihil supra desiderare potes.

audiens multitudo] Populus dum audit, vel inter audiendum.

inducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur, miratur, sperat, timet: haec perinde accidunt, ut eorum qui adsunt mentes verbis et sententiis et actione tractantur. quid est quod expectetur docti alicuius sententia? quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc specimen est popularis iudicii, in quo nunquam fuit populo cum doctis intelligentibusque dissensio. 189. cum multi essent oratores in vario genere dicendi, quis unquam ex his excellere iudicatus est vulgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur? Quando autem dubium fuisset apud patres nostros, eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret aut Crassum? Aderant multi alii: tamen utrum de his potius, dubitasset aliquis, quin alterum, nemo. Quid? adolescentibus nobis cum essent Cotta et Hortensius, num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat? LI. 190. Tum Brutus, Quid tu, inquit, quae-

188. irascitur, miratur] Schützius speciose: *irascitur, mitigatur,* ut in Oratore c. 38. *est faciendum, ut irascatur iudex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur.* Idem tamen longius progressus totum locum sic diffingebat: *gaudet, dolet; ridet, plorat; favet, invidet; diligit, odit; admiratur, contemnit.* [Haec ipsa quidvis mutandi temeritas arguere debuit, non tam diligentiam membrorum inter se relatorum quam varietatem affectuum et perturbationem coronae quaslibet in partes distrahendae spectari. Inprimis autem *miratur* animus, qui consilii vel rationis incertus in medio relinquatur, nec decernere sustineat, sitne res probabilis an improbanda.]

perinde ut] Coniiciat aliquis cum Lambino *proinde.* At differunt sane haec adverbia, contra quam Ruhnkenius in Rutil. p. 31. sensit; ita tamen, ut multis in locis nihil intersit, utrum ponatur. *Proinde*, h. e. secundum hoc, ad effectum refertur: *diesem gemäss, gleicher Massen. Perinde* valet ad res similibus ex causis iunctas: *aus dem gleichen Grunde, gerade darum;* velut hoc loco interpretemur, *in gleichem Masse als.* Nativa igitur praepositionis vis etiam in adverbiis perdurat.

189. ex his] Legendum *ex iis*, ut Orellius coniecit; quamquam libri vulgatam tuentur.

Aderant] *At erant* Ernest. Schütz. praeter rei necessitatem.

quin alterum] I. e. quin alterutrum (Crassum aut Antonium) eligeret, nemo dubitasset. Ernestius *an alterum.*

cum esset] *quum essent* ed. pr. Probavi, quod Ernestius coniecerat.

tractantur] Impelluntur et moventur. C. 54, 199. *sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his efficiat orator:* ubi vide. Itaque Cicero Quintiliano XI, 1, 85. *summus tractandorum animorum artifex* dictus.

specimen] Exemplum et species.

ris alios? de te ipso nonne, quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret, videbamus? qui cum partiretur tecum causas (saepe enim interfui), perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam: et mihi benevolentia, credo, ductus tribuebat omnia. Sed ego, quae de me populi sit opinio, nescio: de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos. 191. Nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum clarum poetam ferunt: qui cum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod novistis, volumen suum, et eum legentem omnes praeter Platonem reliquissent, *Legam*, inquit, *nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est omnium*. Merito ille et recte. poema enim reconditum

C. 51. 190. Faciebat] *favebat* ed. pr.
habiti sint] *h. sunt* ed. pr. Coniunctivus quadrat in orationem obliquam.
191. clarum poetam] Sic cum omnibus codd. ed. pr. *Clarium poetam* cum Asc. edd. vulgg. arcessitum ex Ovid. Trist. I, 6, 1. [Id Wetzelius defendit satis vulgari ratiocinatione et verbis male inversis: quod qui Clari natus fuerit, eundem Colophon sibi vindicare potuerit. Sed quod poetae licuit, id recusasset, opinor, Cicero, qui Colophonem urbem Antimachi natalem, non Clarum lucum Apollinis sacris religiosum editurus erat.]
legeret eis] *eis* delebat Wetzel. probantibus haud paucis.
omnium. Merito ille et recte] Sic optime ed. pr. *instar est omnium millium. Et recte*, ex coni. Aldi Nepotis edd. vulgg. *instar est multorum millium. Et recte* Camerarius. *omnium illûm* pro *illorum* (quod ipsum Turnebo placuerat) Lipsius Antiqu. Lectt. II, 22. Peius etiam Lennepius in Phalaridis Epist. p. 292. *hominum millium* vel, quod mavult, *hominum mille*. Orellius:

C. 51. 190. [perorandi locum] Cf. c. 94. Orat. 37, 130. *Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo ut viderer excellere, non ingenio sed dolore assequebar.* Pro Balbo c. 7. *Sed quoniam, me recusante, placuit ambobus adhiberi hunc a me quasi perpoliendi quendam operis extremum laborem: peto a vobis ut me officii potius quam dicendi studio hanc suscepisse operam ac munus putetis.* Ac fuisse qui miserabiles istos epilogos riderent, ostendit ipsius defensio, pro Planc. 34.]

191. magnum illud] Thebaidem opineris intelligi; atque haud scio an Cicero intellexerit. Sed diserte Plutarchus Lys. 18. tradit Antimachum, cum in recitatione carminis de Lysandri laudibus compositi parum probaretur, a Platone auditum sustentatumque fuisse. Notabatur autem prolixitas et ambages poesis Antimacheae: v. Schellenb. de Antim. p. 45. sq.

paucorum approbationem, oratio popularis assensum vulgi debet mereri. At si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, cum esset relictus a ceteris, verbum facere non posset. 192. Quid tu, Brute, possesne, si te ut Curionem quondam concio reliquisset? Ego vero, inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiam causis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus est, non cum populo, tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere. Ita se, inquam, res habet: ut, si tibiae inflatae non referant sonum, abiiciendas eas sibi tibicen putet, sic oratori populi aures tanquam tibiae sunt; eae si inflatum non recipiunt, aut si auditor omnino tanquam equus non facit, agitandi finis faciendus est. LII. 193. Hoc tamen interest, quod vulgus interdum non probandum oratorem probat, sed probat sine comparatione: cum a mediocri aut etiam a malo delectatur, eo est contentus, esse melius non sentit; illud, quod est, qualecunque est, probat.

instar est centum millium. Sed egregie, *instar est omnium.* *Nimirum recte*, Ochsnerus, antequam editionis principis lectionem cognoverat: huic enim omnes coniecturas censuit esse postponendas. In vulgato autem et *millium* erat mendosum, et subsequens copula *et* sensu carebat.

mereri] Sic ed. pr. probante Rivio. *moveri* edd. quaedam vett. et D. Gu. 1. 2. *movere* vulg. ex Corradi coniectura.

192. possesne, si] Hoc Guilielmus effecit e scriptura *posses nisi* cod. Palat. Gu. 1. 2. *posses si te* ed. pr. *posses te* D. In tali autem collocatione particulae *ne* inesse negationem docet Zumpt. in Verr. II, 46.

omnino .. non facit] *cum illo tamquam equus non facit* Lamb. *tamquam equus novus facit* Moserus. Sed probabiliter Turnebus in Advers. XIV, 22. „Puto *facere* esse verbum circense, quod ex eo apparet, quia factiones, quae a faciendo nomen adeptae sunt, in circo quattuor erant. Equum igitur puto non facere, qui aurigae non paret, nec sentit stimulos.“ Similiter Gebhardt. p. 7. ita tamen, ut post *facit* intelligatur *quae vult vel iubet eques.* Idem cum attulisset de Off. I, 26, 90. *equos propter crebras contentiones proeliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere solent, ut his facilioribus possint uti*, Quid? (inquit) nonne *faciles* sunt ii qui faciunt, quod eques iubet? Nec verborum lusus in *facit* et *faciendus* mihi videtur negligendus esse. Ceterum ed. pr. *non favet agendi finis.*

C. 52. 193. probandum oratorem probat] *oratorem* om. ed. pr., sed aures desiderant.

etiam a] *a* om. ed. pr.

192. Curionem] C. 89.

in eis causis] In causis privatis, in quibus corona populi plus ornamenti quam auctoritatis afferret.

agitandi] V. annot. in c. 28. extr.

tenet enim aures vel mediocris orator, sit modo aliquid in eo: nec res ulla plus apud animos hominum, quam ordo et ornatus orationis valet. 194. Quare quis ex populo, cum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa, de qua ante dixi, quicquam politius aut elegantius aut omnino melius aut expectaret, aut fieri posse putaret? 195. cum is hoc probare vellet, M' Curium, cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse: quid ille non dixit de testamentorum iure, de antiquis formulis? quid? quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur? 196. quam captiosum esse populo, quod scriptum esset, negligi, et opinione quaeri voluntates, et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? 197. quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando iure civili? quae quidem omnia cum perite et scienter, tum ita breviter et presse et satis ornate et

194. fieri posse] Sic ed. pr. et D. nec aliter §. 197. ubi haec iterantur. *posse fieri* vulg.

195. quid? quemadmodum] Tuetur ed. pr. *quid* om. D. et codd. nonnulli.

196. captiosum esse] Item ed. pr. Infinitivus refertur ad *dixit* sive tenorem orationis obliquum, de quo Krügerus exposuit Fasc. I. Disputatt. de Gramm. Lat. Id hoc fere valet: admodum esse captiosum. *esset* Ernestius, quem sequuntur edd. recentt.

scriptum esset] *scriptum est* ed. pr.

197. omnia] *omnino* ed. pr.

ita breviter] Agnoscit ed. pr. *ita* adverbio iunctum est, *ita ut nosti*, ea qua solebat brevitate: v. Hand. Turs. T. III. p. 490. *et breviter* Ald. prob. Schützio.

C. 52. 194. pro M. Coponio] V. c. 39.

195. in suam tutelam venisset] I. e. sui iuris esset factus. Scaevola probare studuit, Manium Curium heredem esse non posse, quod filius natus non fuisset: ita enim heredem esse institutum, si filius, qui tum nondum erat natus, intra pubertatem decessisset.

196. captiosum — voluntates] Fallax et periculosum esse dixit, si non ipsa verba testamenti pro solo interprete voluntatis eius, qui testamentum fecisset, haberentur, sed voluntas testatoris ad arbitrium alius explicaretur.

disertorum] Oratorum, non iureconsultorum; inprimis autem Crassum pungit. Haud male Wetzelius: „Quasi Scaevola dixisset, Simplicior, mi Crasse, testator fuit, quam ut eius voluntatem ex docta tua hominis diserti opinione possimus interpretari. Quod scriptum est, id urgeo.“

197. patris sui] P. Mucii Scaevolae cos. a. 621. de quo v. c. 26, 98.

pereleganter diceret, quis esset in populo, qui aut expectaret, aut fieri posse quicquam melius putaret? LIII. At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum repperisset, ob eamque rem aedificare navem concupivisset, exorsus est, similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis centumvirale iudicium hereditatis effecisse, hoc ille initio consecutus, multis eiusdem generis sententiis delectavit, animosque omnium qui aderant in hilaritatem a severitate traduxit: quod est unum ex tribus, quae dixi ab oratore effici debere. deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus, sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque, et id valere et valuisse semper. Haec et multa eiusmodi dicens fidem faciebat: quod est ex tribus oratoris officiis alterum. 198. Deinde aequum bonum, testamentorum sententias voluntatesque tutatus est; quanta esset in verbis captio cum in ceteris rebus tum in testamentis, si negligerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. haec cum graviter tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule et facete explicans, eam admirationem assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur. hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo iudex, qui separatim alterum admiratus esset, idem audito altero iudicium

C. 53. hoc ille initio] Ed. pr. ut coniecerat Ellendt. Id est: Hoc faceto initio iudices in hilaritatem a severitate traduxit. *hoc in illo initio* vulg. Delebat *in* Ernestius cum Orellio.

veniret] Item ed. pr. *venisset* Veneta, probante Ernestio, coll. §. 195.

198. facete] *facile* ed. pr.

C. 53. ex uno scalmo captionis] Crassus ut cavillaretur, Scaevolam nulla alia re nisi captione fretum de hereditate litem apud centumviros intendisse, ab exemplo ridiculo erat orationem exorsus. Etenim cum severos commotosque oratione Scaevolae videret iudices, facetiis usus hilares eos reddidit, quo suae orationi faciliores praeberent aures.

dixi] V. c. 49, 185.

alterum] Id erat docere et persuadere.

198. quantam . . . assumeret] Huc inprimis spectabat dictum in Or. II, 6, 24.

ille de populo index] Populus iudex vel popularis: cf. c. 52, 193. Dictum illud cum aliquo contemptu, ut pro Arch. 10. *poeta de populo*.

suum contemneret: at vero intelligens et doctus audiens Scaevolam sentiret esse quoddam uberius dicendi genus et ornatius. ab utroque autem, causa perorata, si quaereretur, uter praestaret orator, nunquam profecto sapientis iudicium a iudicio vulgi discreparet. LIV. 199. Qui praestat igitur intelligens imperito? Magna re et difficili: siquidem magnum est scire, quibus rebus efficiatur amittaturve dicendo illud quicquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, cum oratores duo aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit. nam illud quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari potest. Ut enim ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet: sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. 200. Itaque intelligens dicendi existimator non assidens et attente audiens, sed uno aspectu et praeteriens de oratore saepe iudicat. videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas, quaesitorem, ut dimittat, rogantem: intelligit oratorem in ea causa non

contemneret] *contemnetur* ed. pr.

C. 54. 199. dicendo oportet] Hic nescio an *dicendo* ex praecedenti versu sit iteratum.

200. circulantem] *calculantem* ed. pr. *Circulari* est cum pluribus sermonem conserere, cum multis convenire, *Kreise bilden zur Unterhaltung.* Similiter Caesar B. Civ. I, 64. *totis castris milites circulari et dolere, hostem ex manibus dimitti.*

contemneret] Repudiaret atque mutaret.

C. 54. 199. illud quicquid est] Quod propositum est in singulis causis, quarum in aliis aliud quaeritur. Nos: *was man jedesmal erreichen oder nicht verfehlen soll.*

tractandis] Supra c. 50, 188. *haec perinde accidunt, ut eorum qui adsunt mentes verbis et sententiis et actione tractantur,* i. e. afficiuntur. Et c. 55, 202. *tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti quod a Sulpicio concitati.*

200. ad horas] Schützius: Ad horologium, ad quod inspiciendum iudices taedio et impatientia mali oratoris servulum mittebant, ut scirent quota diei hora esset. [Cf. Burm. in Petron. 26. et Ernestii disputationem de solariis in Opusc. philol. p. 21. sqq. Quorum tamen hic adeo miratus est orationis insolentiam, ut scribi mallet *ad forum:* quasi res extra forum ageretur. Equidem *horas* ad illud dicendi compendium, quo res venales vel assiduae de statis earum locis et receptaculis solent intelligi (v. nostra de Synt. L. Gr. p. 57.), opinor exigendum esse.]

quaesitorem] Eum qui iudicio praeest, quique debebat abeundi copiam et potestatem facere.

adesse, qui possit animis iudicum admovere orationem tanquam fidibus manum. Idem si praeteriens aspexerit erectos, intuentes iudices, ut aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur, aut, ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione quasi suspensos teneri, aut, id quod maxime opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos esse vehementius: ea si praeteriens (ut dixi) aspexerit, si nihil audierit, tamen oratorem versari in illo iudicio, et opus oratorium fieri aut perfectum iam esse, profecto intelliget.

LV. 201. Cum haec disseruissem, uterque assensus est, et ego tanquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, a Cotta et Sulpicio haec omnis fluxit oratio, cum hos maxime iudicio illorum hominum et illius aetatis dixissem probatos, revertar ad eos ipsos; tum reliquos, ut institui, deinceps persequar. Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quaerimus) duo genera sunt, unum

intuentes] Id significat, qui oculos in oratorem figant, ut neque cum alteris colloqui velint neque circulari. Ernestius *intentos*. Eiici maluit Ellendt. Sed abundantia quaedam huic descriptioni congruit.

si nihil audierit] Habet ed. pr. *audiverit* D. Lamb. *etsi nihil audierit* Orellius. Adiuvat tamen *si* geminatum orationis vigorem; id quod dempto licet persentiscere: *ea si praeteriens aspexerit, nihil audierit.*

C. 55. 201. quando] Item ed. pr. *quoniam* Orellius: qui probandus foret, si *quando*, ut Wunderus in Varr. Lectt., p. CII. praecepit, solam temporis notionem haberet. Sed dudum Charisium, grammaticum haud contemnendum, eidem vim coniunctionis *quoniam* tribuisse docuit F. A. Wolfius in Tuscul. IV, 15, 34. *Quando ut aliis locis de virtute et diximus et saepe dicendum erit.*

persequar] *prosequar* ed. pr.

doceri] Persuaderi fide facienda: cf. §. 197.

opus oratorium] Ernestius: fieri id, quod oratorem facere convenit, et ab eo expectatur. [Huic favere videtur Quintil. XII, 10. Verum ad similitudinem *operis censorii*, quod notionem habet obiectivam (v. Gell. IV, 12. XIV, 7.), ita dictum interpretor opus oratorium, ut auditores omnibus teneantur affectionibus et illecebris, quae cadant in artem, et quasi vim perpetiantur, non ut orator officium praestet et stimulos animis admoveat. Velut nos usurpamus, *da ist Beredsamkeit im Spiele.*]

C. 55. 201. illorum hominum et illius aetatis] I. e. si simplici, non ornata utimur oratione, *hominum illius aetatis.* Cf. annot. in c. 7, 26. *monumentis et litteris.*

dixissem] C. 49, 183. *Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt. Hic Atticus, Quomodo istuc dicis, inquit, cum tuo iudicio, tum omnium?*

attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium: etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in bonis omnia quae summa sunt iure laudantur. 202. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et ieiunitas, amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac solute: et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum: illudque maximum, quod, cum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. 203. Fuit enim Sulpicius vel ma-

[attenuate] Id est, accurate et quasi religiosissime (cf. c. 82.), nihil ut ornatus et ubertatis concedatur, sed ut omnia referantur ad acumen et subtilitatem: item ut *attenuare vocem* dictum in Or. c. Clod. et Cur. 5. de mollitie vocis acutae et eliquatae. Neque hoc solum ad orationem spectare, sed etiam ad sensus et argumenta tenui filo deducta, velut elegiaca, monstrat Propertius III, 1, 5. *dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro? Presse dicere* supra explicatum est in c. 7. extr. et 25. p. 81.]

202. Cotta] C. Aurelius Cotta natus a. 630. (c. 88, 301.) tribunatum ambiit a. 663. (91.) Mox autem lege Varia (cuius invidia saeviit in optimates, qui legibus Drusi resistentes bellum sociale concitassent) a. 664. postulatus et a tribunatu depulsus in exilium voluntarium abiit. Rediit Romam cum Sulla a. 672. Tum omissa praetura consul factus est a. 679. cumque Sulla legem tulisset, ut tribuni pl. reliquis honoribus arcerentur, antiquam legem Cotta reduxit, ut tribunis alios postea magistratus petere liceret. Idem ex consulatu in Galliam profectus est, triumphi honorem captans; morte tamen praeventus. Eum nullas orationes reliquisse Cicero dicit Orat. 38. Eloquentiae eius disertissimus testis est Iulius Caesar, qui in accusatione Dolabellae a. 677. extorqueri sibi causam optimam C. Cottae patrocinio dixerit. V. Westerm. p. 103. Oratt. Fragm. p. 163. sq. De huius ingenio et prudentia quam honorifice senserit, non solum testimonio in Pison. 26. edito declarat Cicero, sed etiam partibus, quas Cottae concessit in libris de Natura Deorum et de Oratore.

sincerum] Simplex et integrum. Item *siccum* sive sanum (de opt. gen. oratt. 3.), cui refertur inflatum genus et luxurians, in proprietate dictionis subtilis et Atticae locum habet.

contentione orationis] Concitato et actuoso dicendi genere.

tractando] Vide annot. in c. 54, 199. *sic ex animorum motu cernitur, quid his tractandis perficiat orator*. Cotta lenissimo genere docendi, persuadendi, argumentandi, insinuandi tantum efficiebat, quantum Sulpicius maxima contentione et impetu.

203. Sulpicius] P. Sulpicius Rufus natus eodem anno quo Cotta, i. e. a. 630. Adolescens C. Norbanum, qui Q. Servilium Caepionem a. 659. reum fecerat, re-

xime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et, ut ita dicam, tragicus orator. vox cum magna tum suavis et splendida; gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur; incitata et volubilis, nec ea redundans tamen nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari; Cotta malebat Antonium: sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos. 204. O magnam, inquit, artem, Brutus: siquidem istis, cum summi essent oratores, duae res maximae, altera alteri defuit. LVI. Atque in his oratoribus illud animadvertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. nihil enim tam dissimile quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum praestitit. Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque, et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et

203. Crassum hic volebat im.] *Crassum hic, ut mihi videtur, volebat imitari* ed. pr. speciose.
204. artem, Brutus] *Brutus artem* ed. pr.
C. 56. et uterque] Tuetur ed. pr. *at uterque* Lamb. Sed v. nos in c. 29. *quorum neuter summi oratoris habuit laudem, et uterque in multis causis versatus erat.*

gationemque vi et armis pertulerat, maiestatis lege Appuleia postulavit a. 660. Haec accusatio nomen eius illustravit: v. Cic. de Off. II, 14. Quintil. XII, 7, 4. (hunc enim Sulpicium, non Servium Sulpicium a Quintiliano significari, nuper demonstravi in ephemeride Zimmerm. 1836. N. 39.) Quaesturam gessit anno post; ac bello sociali interfuit legatus a. 664. et 665. In tribunatu a. 666. (88.) Marii partes secutus est: nam cum Sullae consuli Mithridaticum bellum esset decretum, Sulpicius rogationem tulit, ut Sullae imperium abrogaretur, Marius autem dux adversus Mithridatem mitteretur. Tum Sulla contracto exercitu Romam petiit armisque occupavit; deinde duodecim auctores novarum rerum, nominatim Sulpicium et Marium, hostes reipublicae iudicavit et ex urbe expulit. Tum Sulpicius in villa interfectus est. Cf. Henrichsen. in III. Orat. 2, 8. Westerm. p. 98. Drum. T. II. p. 435. Ahrens *Die 3 Volkstribunen Tib. Gracchus, M. Drusus und P. Sulpicius*, L. 1836. Orationes reliquit nullas; qui cum in cursu laudis vitaeque civilis interceptus fuerit, ut merito florescentem ad summam gloriam eloquentiae de Orat. III, 3, 11. dixerit Cicero, maiore tamen naturae praestantia virtutumque earum, quae in specie essent positae quasque idem ib. I, 29. admiratur, quam diligentia studiorum videtur polluisse.

204. defuit] Non *defuere*: De Offic. I, 41, 147. *Ut enim pictores et ii qui signa fabricantur et vero etiam poetae suum quisque opus a populo considerari vult.* Sueton. Caes. 89. *Damnati omnes, alius alio casu periit*, ubi Ernestius *periere*: quem Wolfius erudite castigat.

C. 56. Isocratem] Hunc enim constat personam magistri pruden-

lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. 205. Sulpicii orationes quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur, aequalis meus, homo extra nostrum ordinem meo iudicio disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est: saepeque ex eo audivi, cum se scribere neque consuesse neque posse diceret. Cottae pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et Graecis litteris et Latinis; antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus: quam scientiam

lenissimo] *lentissimo* Ellendt. Sed reprehensionem monet Orellius huic nimiam hominis inesse, quem similiter Cicero cunctantem et quasi verecundantem appellet de Orat. III, 9, 36. Nam quod ille supinum et exsangue dicendi genus expressit, id potius ad virium mediocritatem et propositum historiarum quam ad tarditatem ingenii par est revocari. Quae recte distinxit Suidas: *ὁ μὲν γὰρ Ἔφορος ἦν τὸ ἦθος ἁπλοῦς, τὴν δὲ ἑρμηνείαν τῆς ἱστορίας ὕπτιος καὶ νωθρὸς καὶ μηδεμίαν ἔχων ἐπίτασιν.*

calcaria] Habet ed. pr. cum III. Orat. 9. *calcar* D. quod respondet Graeco *κέντρον.*

205. P. Canutius] *Cannutius* codex Mediceus Epp. ad Fam. XII, 8.

consuesse] *consuevisse* ed. pr.

tis ita tuitum fuisse, ut et discipulos praemiis propositis ad aemulationem concitaret, et optimos quosque ad illud litterarum genus deduceret, cui mores eorum et ingenium solerter pervestigatum sufficere vidisset: velut Theopompum et Ephorum iussit in historia versari (de Orat. II, 13.), Ephorum etiam iniecta manu, nisi fallit Seneca, a foro subduxit. V. Marx. de Ephoro p. 13. sqq.

205. P. Canutius] Is erat accusator Oppianici, Scamandri et Fabricii in causa Cluentiana, laudatus a Cic. p. Cluent. 10. 18. 21. Orationum eius superest fragmentum apud Priscianum T. I. p. 369. *Canutius: Turpe est propter venustatem vestimentorum admirari et propter turpissime vitam actam non contemni.*

nostrum ordinem] Ordinem dicit senatorium, ut c. 48.

Cottae] V. c. 55, 202.

pro se lege Varia] Ablativorum rationem (quam explicare licet ex annot. in c. 34, 128.) Ernestius perspexit: quae inscribitur pro se dicta, cum lege Varia reus esset. De Vario legis auctore tradenus in c. 62.

L. Aelius] De quo dictum in c. 46.

in inventis rebus] Et instituta reipublicae et res gestas Romanorum bene tenebat.

scriptorum veterum] Litterarum Romanarum: velut scripsit ille de fabulis Plautinis. Quarum rationes cum ab ipsis fontibus et monumentis litterarum repeteret, dici potuit *litterate peritus: nos, ein Kenner aus den Quellen.*

Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et illustrio-

Varro] M. Terentius Varro a. 638. natus est, auctore Hieronymo in Chron. Olymp. 166, 1. Is cum classem Pompeii bello piratico regeret, a Pompeio navali corona donatus est a. 687. In bello civili castra Pompeii secutus, exercitui legatus in Hispania praefuit a. 705. de quo satis est ad Caesaris narrationem ablegasse. Occiso Pompeio a. 706. a republica recessit atque in studia litterarum se abdidit; nec repugnavit, cum Caesar ei curam bibliothecarum mandasset. Proscriptus ab Antonio a. 711. mortem effugit. Diem obiit prope nonagenarius a. 726. (28.) Vir in omni prope litterarum genere excellens omnium fere Romanorum plurimos edidit libros: id quod ipse in prooemio librorum qui inscribuntur Hebdomades vel de Imaginibus (Gell. III, 10.) significavit. Scripsit enim, cum ingressus esset annum aetatis LXXVIII. (Clinton. in a. 717.): *se iam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse, ex quibus aliquammultos, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse.* Huius igitur tot libri in multis et variis cum ingenii tum doctrinae generibus versabantur. Adolescens enim satiras Menippeas vario numero scripsit, earumque extant cum in Catalectis Scaligeri tum in Anthologia Latina T. I. p. 9. versus pulcherrimi, acumine et venustate excellentes. His accessere libri logistorici, sermonum et dictorum insignium narrationem continentes. Deinde antiquitati Romanae patriisque institutis et moribus illustrandis operam dedit, de quibus rebus multa tradidit volumina: nam antiquitatum rerum humanarum et divinarum libri XLI., de vita populi Romani, de gente populi Romani, de familiis Romanis, de initiis urbis Romae, de cultu deorum, de auguribus, de gradibus, de tribubus commentarii extabant. Tum de lingua Latina ita tradidit, ut totum grammaticae et rhetoricae ambitum complecteretur: nam de origine verborum, de orthographia, de litteris, de grammatica, de variis orationis generibus late et copiose disseruit. Porro de disciplinis amplum opus condidit, in quo ars et praecepta rhetoricae, musicae, geometriae, arithmeticorum, rei metricae, architecturae, astrologiae tradebantur. Adde libros de poetis Graecis et Latinis, de comoediis Plautinis, de ludis theatralibus, de scenicis originibus, de actione scenica, de poematis, de bibliothecis, plurima porro epistolarum volumina; item nonnullos de philosophia scriptos reliquisse videtur. Postremo de re rustica scripsit eleganter et nitidiore orationis genere, quam in libris de lingua Latina usus est. Haec Varronis scripta non solum ab aequalibus magni aestimabantur (Cic. Acad. I, 2. Plin. Hist. VII, 30.), sed a doctissimis etiam labentis aevi scriptoribus, ut Gellius XIX, 14. et Servius in Virg. A. X, 175. docent; eumque patres Latini prae ceteris legebant, quorum maxime Augustinus et Hieronymus reliquiis Varronianis abundant. Hac quasi imagine laborum eruditissimorum adumbrata non attinet singulos libros enumerare, cum memoriam Varronis propemodum oblitteratam, postquam Schneiderus de illius vita breviter edisseruerat in commentariis de re rustica, nunc ipsum videamus ab viris litterarum Romanarum studiosissimis recoli: potissimum a Krahnero, cuius prodiit specimen *Commenta-*

ribus litteris explicavit. 206. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit. scribebat tamen orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello F., ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. 207. his enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adolescens, eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas. LVII. His duobus eiusdem aetatis annumerabatur nemo tertius: sed mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime displi-

206. orator autem] *oratori autem* ed. pr. Asciscendum *esse*: *orator autem esse nec stud.*

Q. Metello F.] *Q. Metello Balearici F.* Lamb. probante Ellendt. Sed alterum exemplum, non addito nomine patris, opposuit Orellius c. 62, 222. *Q. Catulum filium.*

ut Q. Caepioni ... Rufo] *et Q. Caepioni et Q. Pompeio Ruffo* ed. pr.

207. scriptis] Sic codd. et edd. praeter ed. pr., quae hanc vocem omisit: *scribendis* Lamb. probante Orellio, satis speciose. [Verum id magis in Senatusconsultum quam in Aelii professionem et laborem otiosum cadere videtur, cuius ratio vehementer a specie publici negotii et ad omnium oculos expositi recederet. Immo Tullius narrat ad notitiam et lectionem earum orationum, a quibus recens fuisset Aelius, sese admissum esse.]

leves] *levis* ed. pr.

tionis de M. Ter. Varronis Antiquitatum rerum humanarum et divinarum libris, Halis 1834.

206. Aelius Stoicus] Eum artis dialecticae praecepta litteris mandasse supra diximus in c. 46.

Q. Metello F.] Q. Caecilius Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici nepos, consul a. 656. Eundem a Curione accusatum fuisse tradit Asconius in Cornelianam p. 63. Cf. Drum. T. II. p. 23.

Q. Caepioni] Vide c. 46, 169.

Q. Pompeio Rufo] Q. Pompeius Rufus, cum praetor urbanus fuisset, anno sequenti 664. lege Varia reus factus est: v. c. 89. Consul a. 666. ita partes Sullanas tenuit, ut P. Sulpicio Rufo tribuno, quocum antea familiarissime vixerat, cum novas res moliebatur, vehementer resisteret. Sed eodem anno per seditionem militarem interfectus est: Liv. Epit. LXXVII. Orationes pro se dixit et cum lege Varia postulatus esset et in consulatu. Harum nescio an apud Priscianum T. I. p. 371. aliquod reperiatur vestigium: *Q. Pompeius: Me miserum, quem illae feminae despicari ausae sunt!*

207. ipse interfui] Si tempora ad a. 664. referuntur, Cicero tum XVII. annos erat natus.

Cottam] C. 55.

C. 57. His duobus] Cottae et Sulpicio.

Pomponius] C. 62. sic describitur: *fortis actor et vehemens et verbis nec inops nec abiectus, et*

cebat. Locus erat omnino in maximis causis praeter eos, de quibus supra dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in causis recipiendis erat; fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat; horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere, aut ad Caesarem; Cotta et Sulpicius expetebantur. Ita ab his sex patronis causae illustres agebantur; neque tam multa quam nostra aetate iudicia fiebant, neque hoc, quod nunc fit, ut causae singulae defenderentur a pluribus, quo nihil est vitiosius. 208. Respondemus iis, quos non audivimus: in quo primum saepe aliter est dictum, aliter ad nos relatum; deinde magni interest coram videre me, quemadmodum adversarius de quaque re asseveret, maximi autem, quemadmodum quaeque res audiatur. sed

C. 57. expetebatur] *expectabatur* ed. pr.

Cotta et Sulpicius] *et* om. ed. pr. Ante haec verba Lambinus interposuit *secundum Philippum et Caesarem*, quae ab Ernestio recepta probarunt edd. recentt. Sed minime opus isto supplemento: siquidem aliud est confugere ad patronum, si meliores deessent, aliud expetere. Cotta enim et Sulpicius adeo non postponebantur Philippo et Caesari, ut potius maioris aestimarentur: quorum illi expetebantur, ad hos autem confugiebat, si qui praestantiores non habebat.

ab his] Sic ed. pr. *ab iis* edd. pleraeque.

208. maximi] Sic Buttmannus in Act. Soc. Ienensis T. I. p. 45, correxit mendum librorum *maxime*.

quem plane oratorem dicere auderes, lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminosus. Sed multum his laudibus detrahitur de Orat. III, 13, 50. Erat tribunus pl. a. 664. cum in rostris habitabat: c. 89, 305. Bello Sullano periit a. 673. cf. c. 90, 311.

[propterea quod — expetebantur] Non alienum est ad specimen gratae negligentiae digitum intendere; quamquam abundat Brutus exemplis orationis, quae inter ambitus verborum perpetuos et membra contractiora nutet, et ipsa mediocritate speciem artis videatur recusare. Hoc autem loco hiat et iusto solutius incedit narratio; cuius ad lucem et partitionem cum sententiae requirerentur vinctae et inter se relatae, maluit Cicero rationem minus operosam sermonis familiaris tenere, qui gravissima quaeque solet singulatim annumerare. Itaque noluit ne facillimam quidem iuncturam, *cum fastidiosior esset Crassus, quamquam is recipiebat*, aut, *cum Cotta et Sulpicius expeterentur:* quibus positis nihil causae habuisset Lambinus, cur suum istud supplementum desideraret. Atque ipsum *propterea quod*, parum illud logice dictum, in grandiorem potius comprehensionem quam in sensiculos minutos cadebat.]

iudicia] I. e. causae. Deinde in *neque hoc* arcessendum *fiebat*.

208. audiatur] Maximi refert videre, quam in partem ab iudicibus aut populo excipiatur.

nihil vitiosius, quam, cum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, cum sit ab altero perorata. 209. Omnium enim causarum unum est naturale principium, una peroratio: reliquae partes quasi membra suo quaeque loco locata, suam et vim et dignitatem tenent. Cum autem difficile sit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat: quanto difficilius cavere, ne quid dicas, quod non conveniat eius orationi, qui ante te dixerit? Sed quia et labor multo maior est totam causam quam partem dicere, et quia plures ineuntur gratiae, si uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc consuetudinem lubenter ascivimus.

LVIII. 210. Erant tamen, quibus videretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis

209. suam et vim] Item ed. pr. *suam vim* Lamb.
sibi ipse] *tibi ipsi* Ernestius; *sibi ipsi* Beierus in Cic. Off. T. I. p. 256. Porro in continuis tentantur *dicas et te*. Sed editum recte libri tuentur. Nam quod vulgo diceretur, difficile est cavere, ne in oratione ipse tibi contradicas, quanto difficilius, ne alius alii repugnet: id leniter ad communem sententiam ita est deflexum, ut infinitivus *dicere* notionem afferat qualiscunque dicentis, quo *ipse* refertur. [V. nostra de Synt. Gr. p. 419.]
lubenter] *libenter* ed. pr. Item §. 211. et alibi.

unum corpus] De Offic. I, 25. *alterum praeceptum Platonis, ut totum corpus reipublicae curent, nec, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.* [*Corpus* in omnibus orationis generibus de complexu et universitate tam imperii rerumque publicarum quam librorum extare nemo copiosius demonstravit N. Heinsio in Virg. A. XII, 835.]

209. [partes quasi membra] Cicero nunc *partes atque membra* (de N. D. I, 4. II, 34. cf. Sueton. Aug. 48.) copulat, nunc formam dicendi quasi figuratam excusat et distinguit. Partitt. orat. 10. *verisimilia reperiuntur ex partibus et quasi membris narrationis.* Accedat Topic. 5. *unusquisque eorum locorum . . . sua quaedam membra habet.* Nimirum *partes* ad externam iuncturam et fortuitam, *membra* ad interiorem solidamque compagem, hoc est organicam, referuntur. Eadem ratione Graeci sociarunt, Platone praeeunte, μέρη καὶ μέλη: vide quos indicant Boissonadus in Anecd. T. V. p. 233. et Lobeck. Paralip. Gramm. Gr. p. 58.]

C. 58. 210. Curio] C. Scribonius Curio, illius filius, de quo c. 32. diximus. Is adolescens accusavit Q. Metellum, Balearici F. cf. Ascon. in Cornel. p. 63. et Appul. Apolog. p. 538. Tribunatum gessit a. 664. et quidem tacitum, postquam semel a tota concione erat relictus. Deinde a. 667. cum Sulla in bellum Mithridaticum profectus: quo finito cum Romam esset reversus, praeturam gessit a. 673. Consulatum adeptus est a. 678. Ex consulatu Macedoniam per triennium administravit, belloque cum Dardanis bene gesto triumphavit a. 683. Postea in republica tam Pompeio quam Caesari restitit, et adversus utrumque

utebatur, et quia Latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico; nam litterarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. 211. Legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris. Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo: ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, et filias eius Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus, et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. Ego vero,

C. 58. 211. Laeliae C. f.] *Lelie filie* ed. pr.

orationes dixit. Decessit senex a. 701. Orationum tenuis extat memoria; praetereaque dialogum scripsit, in quo Caesarem perstringeret: vid. c. 61. sq. Cf. Westerm. p. 106. sq. et Oratt. Fragm. p. 165. sq.

Latine non pess.] Puro sermone utebatur et satis eleganti: cf. de Orat. II, 23.

domestico] I. e. vernaculo et patrio: nam et pater bene loquebatur, nec filius in ea re dissimilis, etsi litterarum prorsus ignarus. C. 59. *Similiter igitur suspicor, Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum.* Adde Catulorum exemplum c. 35. allatum.

admodum nihil] De re vide §. 214. Similis autem usus formulae, quae fere significat *omnino nihil* (cf. Hand. in Tursell. T. I. p. 173. nos, *so gut als nichts*), c. 9, 35. *Nam plane quidem perfectum, et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris.* Itaque nihil interesse videtur inter *admodum nihil* et *nihil admodum*: contra quam Gernhardus in Lael. 4. post Goerenzium in IV. Fin. 5, 12. praecepit.

magni interest] Hic quoque locus docet illis temporibus domestica potissimum institutione pueros educatos: cui cum parentes studiosius se dederint et religiosius quam Graeci, tum matres multo plus et auctoritatis et litterarum afferebant. V. Bernh. *Röm. Litt.* p. 20.

211. epistolas Corneliae] Vide c. 27.

in gremio educatas] Formula in hac re propria, quae assiduitatem et diligentiam matris egregie depingit: v. Dial. de Oratt. 28. Tacit. Agric. 4. Plin. Epp. III, 3.

Laeliae] Quae Laelii Sapientis filia fuit: De Orat. III, 12. Quint. I, 1, 6. Laelia Mucio Scaevolae auguri nupsit, duasque filias peperit, quarum alteram Licinius Crassus orator duxit. Haec ipsa duas filias habebat, quarum unam in matrimonium Scipio Nasica, Serapionis nepos, duxit, ex eaque duos filios suscepit, Crassum et Scipionem.

hanc Scipionis] Docet res intelligendum esse, *hanc uxorem Scipionis.* Continuo c. 61, 217. *cum ego pro Titinia Cottae peroravissem.* [Clarissima Virgilii figura, *Hectoris Andromache*, quam scriptores aetatis argenteae haud raro expresserunt, ut Plinius maior *Poppaea principis Neronis*, Secundus in Epp. II, 20. (ubi v. Schaef.) *Verania Pisonis*, Tacitus *per Apicatam Seiani.*]

ae lubenter quidem, inquit Brutus; et eo lubentius, quod L. Crassi erat filia. 212. Quid Crassum, inquam, illum censes, istius Liciniae filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus? Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit, et vero hic Scipio, collega meus, mihi sane bene et loqui videtur et dicere. Recte, inquam, iudicas, Brute: etenim istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. Nam et de duobus avis iam diximus, Scipione et Crasso; et de tribus proavis, Q. Metello, cuius quattuor filii, P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi privatus in libertatem rem publicam vindicavit, Q. Scaevola augure, qui peritissimus iuris idemque percomis est habitus. 213. Iam duorum abavorum quam est illustre nomen, P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est Corculum dictus, alterius omnium sapientissimi C. Laelii! O generosam, inquit, stirpem et tanquam in unam arborem plura gene-

212. bene et loqui] *et bene loqui* ed. pr.

cuius quattuor filii] *cuius quattuor filii consulares* Orellius, ut supra c. 21, 81. *Q. Metellus is, cuius quattuor filii consulares fuerunt.* Equidem nihil desidero: hic enim Metellus tam a Cicerone quam ab aliis scriptoribus eo solet a ceteris Metellis distingui, quod additur eum habuisse quattuor filios; quem cum in exemplum felicitatis humanae proponunt, Metellum tradunt a quattuor filiis consularibus in funere elatum esse. Sic Tuscul. I, 35, 85. *Metellus ille honoratus quattuor filiis.*

percomis] *patronus* ed. pr. probante Rivio. Sed Mucius ut in oratorum numero non fuit (v. c. 26.), ita comitas eius saepe laudatur, De Orat. I, 45. 55. ad Att. IV, 16. et quem locum Wetzelius ascripsit Philipp. VIII, 18.

213. plura genera] Ut plura genera pomorum in unam stirpem inseri possunt, quae cuncta crescunt et fructus ferunt, modo stirps sit generosa: sic multi in unam domum Laelii inserti sunt, qui cuncti sapientiam Laelii per multa genera propagarunt. Optabat Orellius *plura germina:* sed *plura genera* respondet illi *multorum.* [Comparandus potissimum Plinius XVII, 26. Haud obscurum arboris ex insitivis generibus variae nomen *catachanna.*]

L. Crassi] Oratoris celeberrimi.

212. Scipio, collega meus] Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, Pompeii socer, collega M. Bruti in pontificatu. V. Drum. T. II. p. 44.

loqui et dicere] Scipio bene vel emendate loquitur Latine idemque bene dicit, i. e. oratorie.

ex ipsius sapientiae stirpe] Argute dictum, quia Scipio ex C. Laelio Sapiente genus duxit.

Scipione et Crasso] De Scipione Nasica Serapionis filio c. 34. de Crasso autem oratore c. 36. Item de *Metello* Macedonico, cuius quattuor filii fuerunt, c. 21. de *Scipione*, qui dictus est Serapio, c. 28. denique de *Q. Scaevola* augure c. 26.

213. P. Scipionis] P. Corn. Scipio Corculum allatus c. 20.

re, sic in istam domum multorum insitam atque illigatam sapientiam! LIX. Similiter igitur suspicor, ut conferamus parva magnis, Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum: et eo magis hoc iudico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. 214. Nullum ille poetam viderat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum ius, non privatum et civile cognoverat: quamquam id quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. sed ii tamen unum illud habebant dicendi opus elaboratum: idque cum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat. in quacunque enim una plane clauderet, orator esse

illigatam] Sic praeeunte Ernestio et Schützio (in edit. minore) Furlanettus in nova edit. Forcellinii s. v. *illiminatus:* nam illigare, alligare, colligare insitionem significant. Retinent quamvis corruptum *illuminatam* codd. et ed. pr. cum vulgatis: quod ipsum Camerarius in Commentariis utriusque linguae p. 73. eodem habebat sensu, quo dicitur *inoculatum.* Paulo probabilius id defendit Billerbeckius, ut *illuminatam* absolute positum esset et seiunctum a praegressis: in istam domum insitam fuisse sapientiam, cuius lumen latissime splenduerit. [Equidem vereor ne vocabulum *illigatus*, quod locum suum in disciplina et explicatione rerum ad insitionem spectantium obtineat, in hac lenissima figura sordidum videri debeat et indignum iudicio Ciceronis. Cf. de Republ. II, 19. Immo si perstitit in imagine, longe venustius ille dicebat *instillatam sapientiam.* Itaque medelam reconditiorem volumus parari.]

C. 59. sermone] Wunderus, ne in eadem sententia duo ablativi iungerentur, *sermoni* cum Lambino commendavit in Museo Rhen. III. p. 290. Sed emendatione eo minus est opus, quod Cicero *assuefacere* solet iungere cum ablativis.

214. viderat] Sic D. Gu. 1. *noverat* vulg. inde ab ed. pr.

sed ei] *sed ii* ed. pr.

clauderet] Firmant D. Gu. 1. 2. aliique codices: *claudicaret* ed. pr. ut c. 63, 227. *claudicabat.*

C. 59. 214. ut Sulpicium, ut Antonium] Cum praecesserit, *fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus*, legitima fuit constructio, *ut in Sulpicio, ut in Antonio.* Sed fecit sententiae interpositae propinquitas, ut novissima Cicero mallet ad illa *quos — vidimus* accommodare. Similia contendit inter se Matthiae de Anacol. p. 11. sq.

dicendi opus] I. e. artem dicendi tenebant perfectam, etsi ceteras artes litterasque ignorabant, eaque instructi summa quaeque attigerunt: inventione enim, dispositione, elocutione, memoria, actione excellebant.

quinque] V. annot. in c. 6, 25.

non posset. 215. Sed tamen alius in alia excellebat magis. Reperiebat, quid dici opus esset, et quomodo praeparari et quo loco locari, memoriaque ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actione; erantque ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora. At Crassi magis enitebat oratio. Nec vero Sulpicio neque Cottae dicere possumus, neque cuiquam bono oratori, rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse. 216. Itaque in Curione hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari quam verborum splendore et copia. nam cum tardus in cogitando tum in instruendo dissipatus fuit. LX. Reliqua duo sunt, agere et meminisse. in utroque cachinnos irridentium commovebat. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, cum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quaesivit, *quis loqueretur e lintre*; et

215. Reperiebat] *reperiebatque* ed. pr. Praeterea *magis* solebat olim ad *reperiebat* pertrahi.

praeparari] Sic post alios Ernestius: *praeparare* vett. quaedam edd.

erantque] Item ed. pr. *erant* D.

quaedam ex his] *ex his quaedam* ed. pr.

enitebat] *nitebat* ed. pr. cum MS. Quod extra comparationem foret dictum. Sed Crassus elocutione superior fuit Antonio.

oratori rem ullam] Delet *rem* vocem molestam Lamb. probante Wetzelio aliisque.

216. tardus in cog.] *in cog. tardus* D. repugnante ed. pr.

in instruendo] *in struendo* ed. pr.

C. 60. loqueretur] *loquetur* ed. pr.

215. reperiebat] Intelligendus *Antonius*, qui pollebat inventione, dispositione, memoria, excellebat autem actione.

216. in cogitando] In inveniendo res ad causam necessarias. Cf. §. 174. et de Orat. I, 42.

in instruendo] In rebus collocandis et dispensandis.

C. 60. agere et meminisse] Actio et memoria.

C. Iulius] C. 48.

e lintre] Motus sive actio Curionis speciem praebebat remigantis et corpore nutantis ultro citroque, sive quam Fabius notat *indecoram in dextrum ac laevum latus vacillationem*. Haec summatim tradit Quintilianus XI, 3, 129. *Reprehendenda et illa frequens et concitata in utramque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit et Iulius, quaerens, quis in lintre loqueretur? et Sicinius: nam cum assidente collega, qui erat propter valetudinem et deligatus et plurimis medicamentis delibutus, multum se Curio ex more iactasset, Nunquam, inquit, Octavi, collegae tuo gratiam referes, qui nisi fuisset, hodie te istic muscae comedissent.* Qui cum aculeum hominis dicacis efficaci collocatione verborum expresserit, huius vim etiam Ciceroni reddebat Schneide-

Cn. Sicinius, homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quicquam: 217. is enim cum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegae tuo gratiam referes: qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic muscae comedissent.* Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum proposuisset, aut quartum adderet aut tertium quaereret: qui in iudicio privato vel maximo, cum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser. Naevio diceret, subito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat. 218. Magna haec immemoris ingenii signa: sed nihil turpius, quam quod etiam in scriptis obliviscebatur, quid paulo ante posuisset; ut in eo libro, ubi se exeuntem e senatu et cum Pansa nostro

oratoris] *oratori* ed. pr.

217. is enim] *enim* debetur uni ed. pr.

artuum] *aurium* ed. pr.

Ser. Naevio] *Servio Naevio* ed. pr. *Sex. Naevio* Lamb. ex orat. p. Quintio c. 1.

218. obliviscebatur] Item ed. pr. *oblivisceretur* Manutius.

rus, quem Schützius sequebatur, nonnullis transpositis et in brevitatem contractis: —*produxisset, Curioque multum se suo more iactavisset, assidente — referes: qui nisi fuisset, hodie ... comedissent.* Sed relinquamus Ciceroni disertam membrorum explanationem; quamquam praestat acumen et vehementia narrationis Quintilianeae.

Cn. Sicinius] Erat tribunus pl. Cn. Octavio et Curione coss. c. 678. De cuius dicacitate locus insignis est Plutarchi Crasso c. 7. Idem apud Sallustium in oratione Licinii Macri §. 4. *Lucius Sicinius* nominatur: ubi v. Orellius p. 47. in edit. 1831. Omnino Sicinii plures fuerunt tribunatu celebres: v. Niebuhr. H. R. T. II. p. 427.

ridiculus] Qui nulla re nisi facetiis ac lepore similis erat oratori.

217. produxisset] Id quem in usum instituerit obscurum est. Licuit enim tribunis plebis magistratus etiam invitos ad populum producere, ut de re quae agebatur dicerent. Cf. Ernestius in Dialogum de Oratt. c. 36. Neque improba Wetzelii explicatio: produxisset in concionem, ibique dicendi potestatem dedisset. V. ad Att. I, 14.

Titinia Cottae] Titinia Cottae uxore: v. annot. in c. 58, 212. Eiusdem rei Cicero meminit in Orat. 37. *Nobis privata in causa magna et gravi cum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret.*

218. in eo libro] Dialogum a Curione confectum esse, quo Caesarem perstringeret, supra diximus in c. 58. Tempus dialogi annus 695. quo anno Caesar consul fuit.

Pansa] C. Vibius Pansa, Ciceronis familiaris, qui consul a. 711. una cum Hirtio collega ad Mutinam periit.

et cum Curione filio colloquentem facit, cum senatum Caesar consul habuisset; omnisque ille sermo ductus e percontatione filii, quid in senatu esset actum: in quo multis verbis cum inveheretur in Caesarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, cum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Caesar consul habuisset, reprehendit eas res, quas idem Caesar anno post et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia. LXI. 219. Tum Brutus admirans, Tantamne fuisse oblivionem, inquit, in scripto praesertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantum flagitii commisisset? Quid autem, inquam, Brute, stultius, quam, si ea vituperare volebat quae vituperavit, non eo tempore instituere sermonem, cum illarum rerum iam tempora

ille sermo] *sermo ille* ed. pr.

ductus] *ductus est*, nisi copulam supplemus cogitando, legendum cum Orellio, continuandumque cum illis *ut in eo libro, ubi — facit*. Non recte Lambinus *ductus esset*. Sed facile periit *est* (ē) subsequente *e*.

cum sermo — consul habuisset] Haec sunt, et novissima quidem Ernestio auctore, uncis includenda. Alii aliter mederi certabant; Beierus solus taedium et languorem loci defendere sustinuit in orat. p. Tullio p. 53. Iacobsius sic emendabat, ut tolerabilem redderet sententiam: *ut in eo libro, ubi se exeuntem e senatu et cum Pansa nostro et cum Curione filio colloquentem facit; cum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Caesar cos. habuisset, omnisque ille sermo ductus e percontatione filii, quid in senatu esset actum. in quo multis verbis cum inveheretur in Caesarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, reprehendit eas res, quas idem Caesar anno post et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia.* Schützius tamen et Orellius superiora illa delebant: *cum senatum Caesar consul habuisset.* [Horum iudicium omnino probandum censeo. Nam primordium narrationis, quam Cicero per anfractus sermonis familiaris iusto longius diduxit, *ubi se exeuntem — esset actum*, id totum scenam quandam et opportunitatem colloquii repraesentat, cuius ad rationem aut nihil interfuit causam afferri senatus, aut, si tamen eam promi visum est, continuo sub *e senatu* oportuit illa proponi, *cum senatum Caesar consul habuisset.* At inferiore loco, cum in progressu disputationis quantum Curio per ignaviam lapsus esset quantumque sibi ipse repugnasset monstrari debuerit: vix aut serius apparebit, quos anachronismos iste dialogus conflarit, nisi mentio fiat de Caesare consule planissima.]

inveheretur in Caesarem] Huic quam infensus fuerit Curio, declarat Suetonius Caes. 52. *Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum et omnium virorum mulierem appellat.*

C. 61. 219. flagitii] Sive, quam turpiter errasset, quantumque dedecus admisisset.

praeterissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat, in senatum se Caesare consule non accedere, sed id dicat ipso consule exiens e senatu. Iam qui hac parte animi, quae custos est ceterarum ingenii partium, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset, quid paulo ante posuisset, huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem. 220. Itaque cum ei nec officium deesset, et flagraret studio dicendi, perpaucae ad eum causae deferebantur. Orator autem vivis eius aequalibus proximus optimis numerabatur propter verborum bonitatem, ut ante dixi, et expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Itaque eius orationes aspiciendas tamen censeo. sunt illae quidem languidiores, verumtamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus: quod habet tantam vim, ut solum sine aliis in Curione speciem oratoris alicuius effecerit. Sed ad instituta redeamus.

LXII. 221. In eodem igitur numero eiusdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis

C. 61. 219. praeterissent] Sic ed. pr. *praeteriissent* Ern. et edd. recentt.

in senatum] Sic, ut critici maluerunt, ed. pr. *in senatu* D. Gu. 1. 2. cum edd. vett. Cf. Hand. Turs. T. III. p. 298.

sed id dicat — e senatu] Ed. pr. mendose, *sed et id dicat: ipse cos. exitus e senatu.* Videtur tamen firmare coniecturam Lamb. *et id dicat*, probatam Ernestio.

220. bonitatem] *varietatem* ed. pr. Vide c. 58.

Itaque — censeo] Exciderunt in ed. pr.

mediocriter] *mediocre* Schneiderus in ep. ad Langer. p. 30. [Id quidem huic Curionis quantulocunque bono nonnihil etiam detraheret. Immo fuit eius oratio sane proba et urbanitatis sapore commendabilis, ut medium quendam locum sive mediocritatis teneret existimationem.]

220. id bonum] Curionis igitur orationes aliquid valere dicit ad augendam et alendam elocutionem, in qua huius unica cernebatur virtus.

C. 62. 221. C. Carbo] C. Papirius Carbo tribunus pl. a. 665. (vel potius, quod infra c. 89. trademus, anno superiore) legem de civitate tulit cum M. Plautio Silvano collega. Vide p. Arch. 4. deque illa lege Baiteri Indicem Legum p. 248. Praeturam gessit a. 660. In bello civili Damasippus praetor eum auctore Mario una cum multis nobilibus, qui Sullae favebant, occidit a. 672. Cic. ad Famil. IX, 21. *Praeter hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, civis e republica Carbonum nemo fuit.* Eius sententiam servavit in Orat. 63. Cf. etiam Henrichsen. in III. Orat. 3, 10. [Incertum ad hunc an ad Cn. Carbonem spectet Claudius Sacerdos in Anal. Gramm. Vindob. p. 38. *quomodo dictum est de Carbone, qui mortuo Crasso, homine felice,*

acutus orator, sed tamen orator numeratus est. Erat in verbis gravitas, et facile dicebat, et auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus; fortis vero actor et vehemens, et verbis nec inops nec abiectus, et quem plane oratorem dicere auderes, Cn. Pomponius, lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminosus. 222. Multum ab his aberat L. Fufius, tamen ex accusatione M' Aquilii diligentiae fructum ceperat. Nam M. Drusum

C. 62. 221. gravitas] Item ed. pr. Cf. c. 9, 35. *granditas* Lamb. praeter necessitatem.

fortis vero actor] Docuit Madvigius in Emendatt. I. p. 172. haec et seqq. verba non ad Varium (cum editores solerent plenissime post *auderes* distinguere), sed ad Cn. Pomponium esse referenda.

222. ab his] Cum Gu. A. ed. pr. *ab iis* Ern. cum vulg.

inimico suo, ante obscurus, florere coepit: postquam Crassus carbo factus est, Carbo crassus factus est. Ubi videtur clarissimus orator L. Crassus significari, qui Carbonem patrem accusarat, quique filium illius inimicissimum suum habuit, teste Orat. III, 3.]

illius eloquentissimi viri] C. Papirii Carbonis: vide c. 27.

Q. Varius] Q. Varius Sucronensis Hybrida, homo popularis ac disertus (cf. c. 89.) in tribunatu a. 664. legem seditiosam tulit. Cum enim Italicum bellum a. 663. propter sociis negatam civitatem exortum ob eamque rem nobilitas in invidia esset, is rogationem promulgavit, ut quaereretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Ro. arma sumpsissent: Asconius in Scaur. p. 22. Tunc multi senatores, qui non minus sociis quam legibus Drusi restiterant, in ius vocati (velut M. Scaurus, v. annot. in c. 29.) partim damnabantur, partim exilium voluntarium praeferebant. Sed postquam illa lex in multos saeviisset, Varius ipse sua lege damnatus est a. 665. periitque summo cruciatu suppliciоque, si Ciceroni de N. D. III, 33. credimus, qui hominem popularem tanquam vastum et foedum notavit de Orat. I, 25. f. Cf. Zachariae Sulla p. 90. Weichert. de L. Vario poeta p. 10.

Cn. Pomponius] Vide c. 57.

222. L. Fufius] Huius item ut Cn. Pomponii orationem Cicero de Orat. III, 13, 50. confusam et perturbatam fuisse contendit. Accusavit adolescens Manium Aquilium a. 656. repetundarum, quem Antonius vehementer ac prospere defendebat: ex qua accusatione fructum diligentiae sive gratiam popularem cepit: cf. de Offic. II, 14, 50. quaeque de hac causa posuimus in Oratt. Fragm. p. 141. sq. Deinde quaestor erat a. 658. eodem anno quo Varius et Carbo. In tribunatu collega erat Drusi a. 663. Praetor a. 669.

M. Drusum] M. Livius Drusus tribunus pl. a. 663. cum et magnam inter plebem et optimates sive senatum (cuius propugnatorem agebat, p. Mil. 7.) intelligeret esse dissensionem, et socios Latinos propter negatam civitatem parare seditionem, utramque partem ita conciliare studuit, ut altera alteri paulum concederet. Sed neutris placuit consilium, nec pacis sed belli socialis auctor habitus est. Liv. Ep. LXXI. *M. Livius Drusus tribunus pl. — socios et Italicos populos spe civitatis Romanae solicitavit, iisque adiuvanti-*

tuum magnum avunculum, gravem oratorem, ita dumtaxat cum de re publica diceret; L. autem Lucullum, etiam acutum, patremque tuum, Brute, iuris quoque et publici et privati sane peritum, M. Lucullum, M. Octavium,

bus per vim legibus agrariis frumentariisque latis iudiciariam quoque pertulit, ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Cum deinde promissa sociis civitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. — Livius Drusus invisus etiam senatui factus velut socialis belli auctor — domi occisus est. Cf. Onomast. Orellii.

tuum magnum avunculum] Nos *Grossoheim*. M. enim Livii Drusi soror Livia bis nupserat, primum M. Catoni, unde M. Catonem Uticensem; deinde Caepioni, unde Serviliam genuit, quae mater fuit Bruti.

L. Lucullum] Huius res praeclare gestae et exempla morum luxuriosissimorum cum omnium libros pervaserint ac luculentum praeconem invenerint Plutarchum, satis fuerit eius cursum vitae civilis descripsisse. Innotuit adolescens accusatione, quam cum Marco fratre contra Servilium augurem egit: de Offic. II, 14. Academ. II, 1. Quint. XII, 7, 3. Plut. Lucull. 1. Quaestor fuit a. 668. Marcio Philippo et Perperna censoribus: p. Archia 5, 11. Aedilitatem a. 675. una cum Marco fratre gessit magnificam: de Off. II, 16. Praetor a. 678. Consul a. 680. Ex consulatu bellum gessit Mithridaticum ab a. 681. usque ad a. 688. (73—66.) quo anno Cn. Pompeius dux belli creatur invidiose. Romam autem revertenti obstitit, ne triumphum impetraret, C. Memmius, cuius orationes ea de re extabant; nec ante a. 691. eam rem perfecit. Mortuus est paulo post a. 697. Erat litteris a puero vehementer deditus; insignem collegit bibliothecam; senex studio philosophiae incubuit. Reliquit orationes (v. Dial. de Oratt. 37.), et historiam belli Marsici Graece scriptam (ad Att. I, 19. Plut. Lucull. 1.), eidemque Sulla commentarios rerum suarum ordinandos et digerendos misit, v. Plut. l. l.

patrem tuum] M. Iunius Brutus partes Marii secutus, a. 666. a Sulla post urbem captam cum Mario aliisque hostis iudicatus est, et ex urbe effugit. Tribunus pl. fuit a. 671. Cum deinde bello civili contra Sullam pugnasset, et Galliam Cisalpinam occupasset, a Cn. Pompeio, cui bellum adversus Marianos a senatu mandatum erat, a. 677. occisus est. Vid. Orellii Onomasticon, a quo Pighius discedit. Quod huic Bruto libros ad Edictum a Servio Sulpicio inscriptos Zimmernius I. p. 277. arbitrabatur, illud obstat, quod Sulpicius, quo anno Brutus interfectus est, nihil adhuc de iure ediderat, quem aetate demum virili ad ius accessisse constat. Immo Servius libros illos Bruto filio dedicavit: v. annot. in c. 42, 156.

M. Lucullum] M. Licinius Lucullus sive M. Terentius Varro Lucullus non aequavit L. fratris gloriam. Fuit tamen aedilis a. 675. praetor a. 677. consul a. 681. triumphavitque ex Macedonia de Dardanis a. 683. Pontifex a. 697.

M. Octavium Cn. F.] De Offic. II, 21. *C. Gracchi frumentaria lex magna largitio; exhauriebat igitur aerarium: modica M. Octavii et reipubl. tolerabilis et plebi necessaria, ergo et civibus et reip. salutaris.* Eam legem a M. Octavio tribuno pl. a. 634. Pighius et Bachius Hist. Iur. p. 160. volunt latam: repugnat temporum ordo, cum oratores, qui hic recensentur, longe minores natu

Cn. F., qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit, Cn. Octavium, M. F., M. Catonem patrem, Q. etiam Catulum filium abducamus ex acie, id est, a iudiciis, et in praesidiis rei publicae, cui facile satisfacere possint, collocemus. 223. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus a senatu dissedisset. Cn. Carbonem, M. Marium, et ex eodem ge-

id est, a iudiciis] Post Manutium et Lamb. aliosque Ruhnkenius in Vell. II, 23. pro glossemate damnavit. Sed omissis nescio quid ambiguitatis superest: nam cum *acies* varias in metaphoras (cf. annot. in c. 9, 37.) deflectatur, velut tritum est, id tanquam vitae significationem opponi ludo vel scholae: huius loci ratio, cum lux forensis eloquentiae ingeniosius quam apertius describatur, sane quadam admonitione egebat. Nobiscum facit Orellius quoque. [Adde nostram annot. in extr. c. 46. *domum redeamus*, *id est*, *ad nostros revertamur*. Scr. *ab iud.*]

possint] Inest hoc subiunctivo: quam meo iudicio laudabiliter sustinuerunt. *possunt* ed. pr. Quod ipsum potest tolerari. Nec male *possent* Orellius. Nam imperfectum convenit, si tempus oratorum notetur; praesens, cum spectatur Ciceronis iudicium. [Id commentum nollem excidisset Orellio: cui debet inesse, quod Ciceroni repugnat satis manifeste, viros fortissimos ac praeclare gestis spectatissimos reipublicae parum satisfecisse, vel a partibus senatoriis descivisse.]

223. Q. Caepionem] *Q.* om. ed. pr.

dissedisset] *dissidisset* Orellius; qui eandem formam in Sest. 19, 44. recepit.

sint. Sensit Beierus in II. de Off. 21. ac vere Baiterus in Indice Legum p. 223. eam M. Octavio, Cn. Octavii consulis a. 667. filio tribuit.

Cn. Octavium M. F.] Consulem a. 678. cum Curione. Vide c. 60. et de Fin. II, 28, 93.

M. Catonem patrem] Fuit tribunus, et in praeturae petitione mortem obiit. Filium habuit M. Catonem illum praetorium, qui bello civili sibi vitam Uticae conscivit. Huius meminerunt Cic. de Off. III, 16, 66. Valer. Max. VIII, 2, 1. Gellius XIII, 19, 14.

Q. Catulum filium] Consul fuit a. 676. Memoravit eum c. 35, 133.

223. Q. Caepionem] De quo dictum in c. 46. Ernestii errorem, qui de Caepione consule a Cimbris victo cogitasset, Wetzelius refutavit.

Cn. Carbonem] Cn. Papirius Carbo, homo popularis, et Cinna, cum Sulla bellum adversus Mithridatem gesturus abisset, res novas moliebantur, urbem occupabant, ac semetipsos per biennium consules crearunt a. 669. et 670. Cum vero Sulla rediret, Carbo tum a. 672. consul adversus eum copias eduxit; qui pluribus proeliis victus per Pompeium in Sicilia eodem anno occisus est. Cf. Drum. T. II. p. 463. et Zachariae Sulla p. 141.

M. Marium] M. Marius Gratidianus (qui proprie nominabatur Gratidius, sed cum a M. Mario, C. Marii fratre adoptatus esset, illis utebatur nominibus, v. Drum. T. II. p. 461. not.) easdem quas Carbo partes secutus, eundem plane tulit exitum. Is praetor edi-

nere complures minime dignos elegantis conventus auribus aptissimos cognovi turbulentis concionibus. Quo in genere (ut in his perturbem aetatum ordinem) nuper L. Quintius fuit; aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. 224. Et quoniam huius generis facta mentio est, seditiosorum omnium post Gracchos L. Appuleius Saturninus eloquentissimus visus est; magis specie tamen et motu atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia aut mediocritate prudentiae. Longe autem post natos homines improbissimus C. Servilius Glaucia, sed peracutus et callidus cum primisque ridiculus. is ex summis et fortunae et vitae sordibus in praetura consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum es-

complures] *compluris* ed. pr.
in his] Sic ed. pr. cum Manutio: *in iis* Lamb. cum vulg.
L. Quintius] Scripsi cum ed. pr. *L. Quinctius* vulg. Similiter codd. probant *Quintilianus*.
fuit] Deest ed. pr.
Palicanus] *P. Alicanus* ed. pr.
224. Appuleius] *Apuleius* ed. pr. V. Duk. in Flor. III, 12. p. 605.

otum de re nummaria dedit a. 668. eaque re populi gratiam captavit: cf. Eckhelii Doctr. Numorum T. I. p. CXIV. et Niebuhr. H. R. T. III. p. 647. Contra Sullam stetit, et a Sulla victus occubuit a. 672. Adde Drum. T. II. p. 468. coll. Henrichs. in I. Orat. 39, 178.

L. Quintius] L. Quintius tribunus pl. a. 680. cuius in Cluentiana c. 40. fit mentio: presserat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintius, ut Quintiliani utar verbis V, 13, 39.

Palicanus] M. Lollius Palicanus, quem Sallustius apud Quintilianum IV, 2, 2. sic describit: *M. Lollius Palicanus, loco humili, Picens, loquax magis quam facundus.* Sic enim Quintiliani locus erat corrigendus, ubi dederant *M. Acilius Palicanus*: v. Baiterus in Ascon. p. 193. Palicanus tribunus pl. a. 683. cf. Zumpt. in Verr. I, 15.

224. L. Appuleius] L. Appuleius Saturninus, homo popularis, tribunatum gessit a. 654. cum ab Mario consule adiutus auctoritatem senatus maxime comminuit. Sed cum Metellum Numidicum in exilium compulisset, et Memmium candidatum consulatus occidisset, Marius ipse non amplius eum ferre potuit, sed per tumultum interfecit. Cf. Liv. Ep. LXIX.

C. Servilius Glaucia] Is pariter atque Appuleius Marii fuit satelles. Idem in tribunatu a. 650. legem iudiciariam tulit, ut equites soli ex lege Sempronia iudicarent: itaque lex Servilii a. 648. lata abrogata est. Deinde praetor factus a. 654. vi et armis Appuleium tribunum adiuvit, cum eoque per seditionem coortam occisus est. Plebi tam gratus, ut ei concessum fuisset consulatum in praetura petere, nisi lex annalis obstitisset.

licere] Nemini licebat magistratum in ipso magistratu petere. Praecipue lex Villia annalis a. 574. lata constituit, quot annos nati quemque magistratum peterent ca-

set. nam et plebem tenebat et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis Mario et Flacco consulibus, publice est interfectus: homo simillimus Atheniensis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt. 225. Quos Sex. Titius consecutus, homo loquax sane et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu,

225. tam] *tamen* ed. pr.

perentque: sic annus legitimus quaesturae 31. tribunatus 35. aedilitatis 37. praeturae 40. consulatus 43. Cf. Dukerus in Liv. XL, 44. et Ernestius in Indice legum v. *Annales*.

beneficio legis] Wetzelius Glauciae non iudiciariam legem intellexit, sed eiusdem legem seditiosam de civitate, siquis e sociis Latinis senatorem reum fecisset eumque condemnasset, ius ei civitatis tribuentem. Sed alteram intelligendam esse per se patet.

publice] Sive ab ipsa republica, quod extat in c. 27. Senatus enim consules iusserat videre, ne quid respublica detrimenti caperet: Cic. Catil. I, 2. et p. Rabir. 7. qui similiter Phil. VIII, 5. *C. Mario L. Valerio coss. senatus rempublicam defendendam dedit.* His usus Schneid. Ep. ad Langer. p. 39. retudit Ernestii suspicionem, qui profectus ab Catil. III, 6. *quominus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret*, cum inde colligeret nullum de Glaucia factum esse Senatusconsultum, *publice* spurium censeret.

Hyperboli] De cuius rebus plenissime tradidit Meinekius Quaest. Scen. II. p. 27. sqq.

225. Sex. Titius] Sex. Titius, seditiosus civis et turbulentus, tribunus pl. a. 655. legem agrariam promulgavit. Postea condemnatus est propter usum Appuleii familiarem. V. Cic. p. Rabir. 9. et Henrichsen. in II. Orat. 11, 48. Memorabilis etiam locus Quintil. XI, 3, 128. *Longissime fugienda mollis actio, qualem in Titio Cicero dicit fuisse, unde etiam saltationis genus quoddam Titius sit appellatum.*

homo loquax] Potestne vero loquacitas cum laude coniuncta esse? Nam his *loquax sane et satis acutus* laudatur Titius, cum in continuis *sed tam solutus et mollis in gestu* insit reprehensio. Itaque fuit cum transpositione sanandus mihi videretur locus: *homo solutus sane et satis acutus, sed tam loquax et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur;* i. e. homo verbis expeditus sane et satis acutus, sed nimius in gestu et mollis. Similiter Claudianus Consul. Mallii Theod. 313. *qui nutu manibusque loquax.* Interpretes tamen in *solutus* offenderunt, cuius in vicem *molestus* aut *argutus* coniiciebat Ernestius; plerique cum altero Ernestio in Lex. Techn. v. *solutus* enervem intelligunt. Sed cf. c. 70. [*Loquax* item ut εὔρους est de medio vocabulorum genere: quod cum deteriorem in partem converti soleat, interdum notam satis illustrem in homine minus laudabili commendat. Iam quando Phaeax Eupolidi fertur λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν, cuius imitator Sallustius dixit, *loquax magis quam facundus* (v. Gell. I, 15.), aut ex rabulis indoctis supra c. 48. Sertorium et Gargonium Cicero depingit *solutissimum in dicendo et acutissimum:* omnis ibi laus pronunciatur, quae quidem viris loquentiae quam

ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. ita cavendum est, ne quid in agendo dicendove facias, cuius imitatio rideatur. LXIII. Sed ad paulo superiorem aetatem revecti sumus: nunc ad eam, de qua aliquantum sumus locuti, revertamur.

226. Coniunctus igitur Sulpicii aetati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis, qui multos cum tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iulii illam consulatus petitionem extraordinariam veram causam agens est probatus: et eo magis, quod eandem causam cum ageret eius collega, ille ipse Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque post tribunatum primo multae ad eum causae, deinde omnes maximae quaecunque erant deferebantur. 227. Rem videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis. expedita autem erat et perfacile currens oratio, et erat eius quidam tanquam habitus non

nomen esset] *nomen est* ed. pr.
C. 63. revecti] *reiecti* ed. pr.
sumus locuti] Sic ed. pr. *locuti sumus* edd,
227. quidam] Probavit post Lamb. Schneiderus. *quidem* libri cum ed. pr. Orellius opposuit c. 74, 259. cuius loci dispar est ratio.

prudentiae maioris poterat condonari. Titius igitur fuit oris expediti cum acumine quodam, sed in summam levitatem effusi.]

cuius imitatio] Quod irrideatur si quis imitetur.

C. 63. aliquantum] Iam satis, quod sufficere queat: nam concludit illum recensum hoc ipso capite. Desideret tamen quispiam *aliquamdiu*.

sumus locuti] Devenerat ad recentiorem aetatem inde a c. 49. cui paucos immiscebat de Marii temporibus.

226. Sulpicii] Cf. c. 55.

P. Antistius] P. Antistius, a quibusdam iniuria *Labeo* dictus. Is in tribunatu a. 666. C. Iulio Caesari Straboni restitit, qui omissa praetura (v. annot. in c. 48.) contra leges consulatum ambierat. Aedilis fuit a. 668. cum ei iudicio praesidebat, quo Pompeius tum de praeda patris Asculana reus est absolutus. Eodem tempore Pompeius Antistii filiam in matrimonium duxit. Sed a. 672. quo Iunius Damasippus praetor multos nobiles, qui Sullae favebant, trucidabat, cum Sulla iam ante portas Romae dimicaret, Antistius quoque Mario auctore occisus est. Cf. Drum. T. I. p. 54. qui Pighio repugnat duos P. Antistios in Bruto censenti enumerari, quorum alter extet in c. 90.

veram causam] Nam quas Antistius adhuc causas egerat, leves fuerant; haec autem earum prima, quae suo nomine dignae viderentur. [Simpliciter intelligas causam, quae non esset ficta vel simulata (v. Ruhnk. in Rutil. pp. 92. 186.), sed ipsum reipublicae legumque patrocinium suscepisset.]

227. rem videbat] Causae rationes perspiciebat.

eius quidam] Orationis quidam habitus: nam pronomen ad ipsum

inurbanus; actio paulum cum vitio vocis tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus inter profectionem reditumque L. Sullae sine iure fuit et sine ulla dignitate res publica. hoc etiam magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo. Sulpicius occiderat, Cotta aberat et Curio: vivebat e reliquis patronis eius aetatis nemo praeter Carbonem et Pomponium, quorum utrumque facile superabat. LXIV. 228. Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna, doctus vir

hoc etiam magis] Probavit codd. scripturam Ernestius: nam *hoc etiam autem magis* editum inde ab ed. pr. *hoc autem etiam magis* Handius Tursell. I. p. 39. II. p. 564. *hoc autem magis* Manut.

Antistium referri parum ceteris convenit. De Orat. III, 52. *Sed si habitum etiam orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres.*

inter profectionem] Sulla initio a. 667. in bellum adversus Mithridatem profectus, a. demum 672. post multa proelia contra Marianos commissa recuperavit Urbem. Interea tamen Cinna, Marius, Carbo continuos motus excitabant, eamque tribuni plebis adeo lacerabant, ut neque ius valeret nec dignitas reipublicae respiceretur.

Sulpicius occiderat] A. 666. vid. c. 55.

Cotta aberat] In exilium eiectus: v. c. 55.

Curio] Aberat is in bello Mithridatico: v. c. 58. *Carbonem* memoravimus in c. 62, *Pomponium* in c. 57.

C. 64. 228. L. Sisenna] L. Cornelius Sisenna, patricii generis, circiter a. 635. natus, si legitimum praeturae annum sive vitae quadragesimum sequimur: praetor autem anno suo fuit, id est, a. 676. v. Inscript. Graec. Gruter. p. 503. et apud Brissonium de Formulis p. 224. ed. Bachii, ubi dicitur στρατηγὸς κατὰ πόλιν καὶ ἐπὶ τῶν ξένων, quod cum Rothio (qui *L. Corn. Sisennae vitam* descripsit, Basil. 1834.) interpretamur, praetor et urbanus et peregrinus. Itaque recte ab hoc argumento profectus collegit Orellius natum eum a. 635. vel 636. fuisse, non a. 603. quod Weichertus Poett. Reliqu. p. 99. putabat; repugnantibus etiam Madvigio in Opusc. p. 100. et Kraus. in Fragm. Histor. p. 300. Ex praetura urbana Siciliam provinciam obtinuit a. 677. Dein a. 684. cum Hortensio defendit C. Verrem contra Ciceronem. Pompeii legatus et Graeciae praefectus a. 687. (67.) in Creta, quo fuerat cum exercitu missus, eodem anno decessit. Is historiam scripsit belli Marsici atque Sullani (Ruhnk. in Vellei. II, 9.), ita ut orsus ab a. 663. ad a. 676. usque, quo Sulla diem obiit, pergeret. Sallustius igitur opus Sisennae continuavit, exorsus ille ab a. 676. Idem Sallustius Iugurth. 95. tale iudicium tulit: *L. Sisenna optime et diligentissime omnium, qui Sullae res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur.* Cicero Sisennam optimum historicorum Romanorum esse dicebat, de Legg. I, 2. *Sisenna, Licinii Macri amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. is tamen neque orator in numero vestro unquam*

et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus reipublicae, non sine facetiis: sed neque laboris multi nec satis versatus in causis; interiectusque inter duas aetates Hortensii et Sulpicii nec maiorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest: quae cum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum. Nam Q. Hortensii admodum

C. 64. 228. gnarus] *narus* Lamb. Orat. 47, 158. *Noti* erant et *navi* et *nari*, quibus cum *in* praeponi oporteret, dulcius visum est *ignoti*, *ignavi*, *ignari* dicere, quam ut veritas postulabat.
omnes — indicat] *omnis superiores indicat tamen* ed. pr.
Nam Q. Hortensii] Item ed. pr. *namque Hortensii* D.

est habitus*, *et in historia puerile quiddam consectatur. — Quae cum Cicero scribebat, non viderat Sallustii opus: alioqui vix primum locum Sisennae concessisset. Alii vero quod ab Urbe condita Romanorum res Sisennam descripsisse contendunt, Nonii locus quidam depravatus, ut Mercerus p. 682. ostendit, iis imposuit, nec verius dicit Wetzelius eum ab Urbe per Gallos capta fuisse orsum. Sisenna tamen non historiae solum, sed aliis etiam doctrinae generibus operam dedit. Nam et commentarios reliquit fabularum Plautinarum, velut Poenuli, Rudentis, Amphitryonis, Captivorum, Aululariae (v. Rufin. De Metris Comicis p. 274. ed. Putsch. quem neglexit Suringarius in Historia Scholiastarum T. I. p. 72.); et de grammatica volumen, ut ex Varr. de L. L. p. 446. Charis. p. 83. Quintil. I, 5, 13. patet. Praeterea Milesiarum fabularum libris, quos ex Aristide verterat in sermonem Latinum, magnam famam ad elegantiores homines est assecutus: v. Charis. p. 175. 176. Ovid. Trist. II, 443. (coll. 413.) Plutarch. Crass. 32.

maiorem] Sulpicium, qui a. 630. (124.) natus est: itaque decem annis *minor* (v. c. 88.) fuit Hortensius, quippe natus a. 640. Iam Sisenna recte dicitur interiectus inter aetates Sulpicii et Hortensii, quem supra tradidimus natum a. 635.

Nam Q. Hortensii] *Nam* ad remotius illud *et minori necesse erat cedere* redit. Leviter enim iudicium de historicis Latinis, quos parum munus suum sustinuisse de Legg. I, 2. Cicero pronunciarat, ordinem turbat institutum.

Q. Hortensii] Q. Hortensius Ortalus a. 640. natus, belli Italici primo anno 664. miles, altero anno tribunus militum; bello autem civili a. 666 — 673. non interfuit, neque in eo ullae eius partes extiterant. Aedilitatem a. 679. praeturam a. 681. consulatum a. 685. gessit. Decessit e vita a. 704. (50.) annos LXIV. natus. Cf. Luzac de Q. Hortensio, Lugd. Bat. 1810. et Westerm. p. 220. sqq. Huius celeberrimi oratoris etiamnum argumenta novimus causarum viginti et duarum: cf. Oratt. Fragm. p. 168. sqq. Neque vero miramur, Hortensii, qui dicere melius quam scribere crederetur (v. Orat. 37.), nunc unicum extare de tot orationibus fragmentum apud Valerium Max. V, 9, 2. ***Q. Hortensii*, *qui suis temporibus ornamentum eloquentiae Romanae fuit*, *admi-***

adolescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul aspectum et probatum est. 229. Is L. Crasso Q. Scaevola consulibus primum in foro dixit, et apud hos ipsos quidem consules, et cum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio discessit probatus. undeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paullo C. Marcello consulibus mortuus: ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quattuor et quadraginta fuisse. Hoc de oratore paulo post plura dicemus: hoc autem loco voluimus

rabilis in filio patientia extitit. Cum enim eo usque impietatem eius suspectam et nequitiam invisam haberet, ut Messallam, suae sororis filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens, iudicibus diceret, si illum damnassent, nihil sibi praeter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum: hac scilicet sententia, quam etiam editae orationi inseruit, filium potius in tormento animi quam in voluptatibus reponens, tamen ne naturae ordinem confunderet, non nepotes, sed filium heredem reliquit. Ex hac saltem sententia perspici potest, quod Cicero docet, dulcem et floridam teneramque fuisse illius eloquentiam, quae auditorum quidem animum et aures permulceret, legentibus autem taedium afferret, cum viribus esset destituta. Hanc ob causam Cicero nullum ex Hortensii orationibus exemplum attulit. Et Quintilianus arbitratur XI, 3, 8. Hortensium actione sola, cuius praestantiam ille cum suavitate vocis et summa partiendi diligentia coniungebat, famam incredibilem meruisse, quippe cuius scripta tantum intra famam sint, qua diu princeps oratorum, aliquando Ciceronis aemulus fuerit existimatus, novissime secundus, ut appareat, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non inveniant. Eodem teste II, 1, 11. praeter orationes edidit *locos communes*, decerptos illos ex apparatu oratorio, cuius partem etiam *collectiones* faciebant infra designatae §. 302. Deinde *Annales*, quibus Cicero magnam tribuit auctoritatem ad Att. XII, 5. XIII, 32. 33. (cf. Vellei. II, 16. Bernh. Hist. Rom. Litt. p. 259.) Accesserunt *Carmina*, quorum mediocris fuit existimatio. Gell. XIX, 9. *Hortensius invenusta carmina fecit.* Cf. Ovid. Trist. II, 441. Seneca de Ira III, 37. Plin. Epp. III, 3. Ac studiosus fuit etiam poetarum Alexandrinorum, cuius in usum Catullus interpretatus sit Callimachi Comam Berenices. Ceterum mirifice Westermannus fallitur p. 224. tradens Hortensium ad philosophiae studia fuisse compulsum ab Cicerone; scilicet dictum in Acad. IV, 19. etiam post animadversionem Goerenzii parum assecutus: cuius error eo mirabilior accidit, quo certius constet Hortensium dialogum post oratoris obitum prodisse.

229. L. Crasso Q. Scaevola coss.] A. 659. cum Hortensius XIX. annos erat natus. Quam causam Hortensius egerit ignoramus. Eodem anno in senatu causam defendit Africae, de Orat. III, 61. Nam duae sunt causae habendae, quas illo anno susceperat, quasque alteram in foro, alteram in senatu dixit; non una, ut extat in Fragm. Oratt. p. 169.

L. Paullo C. Marcello coss.] A. 704.

paulo post] C. 88.

aetatem in disparem oratorum includere; quamquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paulo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Attius iisdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset: 230. sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed et mea cum aetate et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore coniungitur: siquidem et Crasso vivo dicere solebat, et magis iam etiam vigebat Antonio, et cum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente

229. aetatem in disparem oratorum] Sic ed. pr. cum Manutio: nam *aetatem eius in disparem oratorum aetatem* vulg. inde a Lambino, quamquam *eius* abest ab edd. vett. et *aetatem eius* expellebat Schützius. Orellius: „Construe: voluimus eum in disparem aetatem oratorum includere, i. e. eo loco primam eius mentionem facere, ubi de oratoribus paulo maioribus natu sermo esset, quibuscum tamen comparatus est.“ Itaque Hortensius inter oratores disparis aetatis enumeratur, quoniam cum his comparabatur.

Attius] *Actius* ed. pr. V. in c. 18.

230. vigebat Antonio] Sic ed. pr. cum codd. *vigebat cum Antonio* Lamb. invexit.

dicente in illa] Schützius distinguit, *dicente. In illa causa:* qua ratione nihil contortius esse potest. Madvigius Emendatt. I. p. 171. totum locum sic ordinavit: *siquidem et Crasso vivo dicere solebat, et magis iam etiam vigebat cum Antonio, et, Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente, in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit,* et seqq. [Hunc ego, si mea res ageretur, non dubitarem sequi. Nam cum durissimum est *vivo* continuari cum membro satis dissimili, quod sic fere debuit formari, *et magis iam vigebat etiamtum vivo Antonio:* tum incredibile videtur Hortensii quendam gradum et progressionem a Crassi temporibus ad Antonium definiri, quorum mortes quattuor annis erant diremptae. Nonnihil tamen difficultatis, fateor, relinquitur et usque recurrit: nisi forte sublatis, quae lectorum sedulitati debentur, orationem placet sic expurgari, *et magis iam etiam vigebat cum Philippo iam sene.*]

Attius] Is tradidit in Didascalicis, de quibus c. 18. diximus, et in ea quidem parte, ubi Pacuvii vitam exposuit. Hi fabulam iisdem aedilibus docuerunt a. 614. Laelio et Caepione coss. Attius autem natus erat a. 584. Pacuvius a. 535. Cf. Clinton. in a. 614.

230. mea cum aetate] Cicero annis octo minor fuit quam Hortensius, qui a. 640. natus est. Brutum autem natum filium a. 669. xxix. annis superavit Hortensius.

Crasso vivo] Vide §. 229. Crassus decessit a. 663.

vigebat Antonio] Florebat etiam magis Antonio vivo: nam e praegressis *vivo* supplendum arbitror. Antonius autem anno demum 667. vita defunctus est. Aliter Orellius: „et magis iam etiam (maxime puto post Crassi obitum) vi-

in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit, et in eorum, quos in Sulpicii aetate posui, numerum facile pervenerat; et suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe praestitit; et me adolescentem nactus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in stadio eiusdem laudis exercuit; et tecum simul, sicut ego pro multis, sic ille pro Appio Claudio dixit paulo ante mortem.

LXV. 231. Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, pervenerimus, tam multis inter nostrum tuumque initium dicendi interpositis oratoribus: ex quibus quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare, ne vos curiosius eliceretis ex me, quid de quoque iudicarem, eos qui iam sunt mortui nominabo. Tum Brutus, Non est, inquit, ista causa, quam dicis, quamobrem de iis qui vivunt nihil velis dicere. Quaenam igitur, inquam, est? Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic sermo tuus emanet, et ii tibi succenseant, quos praeterieris. Quid? vos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillime: sed tamen te arbitror malle ipsum tacere quam taciturnitatem nostram experiri.

stadio] Rivii coniecturam probavi cum plerisque recentt. edd. *studio* libri.

C. 65. 231. de iis] *de his* ed. pr.

et ii tibi] *et ut tibi* ed. pr.

malle ipsum] Sic cum ed. pr. et vett. quibusdam exemplis Ernestius. Olim legebatur *malle id ipsum*, h. e. te malle id ipsum, nimirum *tacere*, posita ante *tacere* distinctione.

gebat, florebat quam Antonius, et cum Philippo sene in causa Cn. Pompeii ipse adolescens princeps fuit." Sed Hortensius nunquam, opinor, superavit Antonium, ac nego Ciceronem id dicere voluisse.

in illa causa] Cn. Pompeius cum post mortem patris esset reus factus ob praedam Asculanam, ex qua nihil in aerarium rettulerat pater, absolutus est Philippi (vide c. 47.) et Hortensii patrocinio a. 668. V. Plut. Pomp. 2. coll. 4.

adolescens] Annos XXVIII. natus.

in Sulpicii aetate] C. 49, 182.

M. Pisonem] C. 67.

M. Crassum] C. 66. Ubi memoravit etiam Cn. Lentulum et P. Lentulum Suram.

pro Appio Claudio] C. 94. de Hortensio: *Idem LXIV. anno perpaucis ante mortem diebus una tecum socerum tuum defendit Appium.* Quam causam egit a. 704. Appii Claudii fit mentio c. 77.

C. 65. 231. nostrum tuumque] Cicero primum pro Quintio dixit a. 673. Brutus autem pro Appio Claudio socero a. 704.

[Tum Brutus — experiri] Comiter et urbane causas occupat eluditque, quas facile suspicabatur ab hominibus curiosis prolatum iri. Negat igitur Cicero, quod

232. Tum ego, Vere tibi, inquam, Brute, dicam. Non me existimavi in hoc sermone usque ad hanc aetatem esse venturum: sed ita traxit ordo aetatum orationem, ut iam ad minores etiam pervenerim. Interpone igitur, inquit, si quos videtur; deinde redeamus ad te et ad Hortensium. Immo vero, inquam, ad Hortensium; de me alii dicent, si qui volent. Minime vero, inquit: nam etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te; nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quae cum omnibus, tum certe mihi notissimae sunt, quam quod gradus tuos et quasi processus dicendi studeo cognoscere. 233. Geretur, inquam, tibi mos: quoniam me non ingenii praedicatorem esse vis, sed laboris mei. Verum interponam, ut placet, alios, et a M. Crasso, qui fuit aequalis Hortensii, exordiar.

232. tibi, inquam] Sic D. Gu. 1. et ed. pr., probante Lamb. *inquam, tibi* edd. vulgg.
minores] *minoris* ed. pr.
dicent] *dicant* Ernestii suspicio.
quam quod] Sic ed. pr. Ernestius delebat *quod*. Sed ferendum leve anacoluthi genus: nam cum orationem ad praecedentia *nec vero tam de virtutibus dicendi tuis* dirigi oporteret, ad remotius Cicero rettulit, *is mihi longior videtur*. Hinc extitit repugnantiae quaedam species, ut sermo, qui de gradibus eloquentiae Tullianae explicaturus esset, longior diceretur, qui debebat gratus et exoptatissimus videri.

in mortuis oratoribus subsistat, a reprehensoribus sibi cavisse, ne videretur in vivis laudandis vel praetermittendis nimium ambitioni et studio tribuisse: sed a principio fines se narrationi contractiores statuisse; factum tamen esse per Hortensii memoriam, ut ad recentem aetatem sermo delaberetur. Ac tenuit ille hoc libelli consilium adeo constanter, ut in c. 71—75. quae de duobus viris laudatissimis, Caesare et Marcello, quasi postulari possent, ad personas Bruti et Attici per digressionem transferret.]

232. ad minores] Ad minores natu.

quasi processus] Quas exercitationes quosque profectus feceris. C. 78, 272. *itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur.*

233. ut placet] Respondet illis, *Interpone igitur, inquit, si quos videtur.*

M. Crasso] M. Licinius Crassus (natus a. 640.) adolescens studio dicendi multam operam dedit. Plut. Crass. 3. *παιδείας δὲ τῆς περὶ λόγον μάλιστα μὲν τὸ ῥητορικὸν καὶ χρειῶδες εἰς πολλοὺς ἤσκησε, καὶ γενόμενος δεινὸς εἰπεῖν ἐν τοῖς μάλιστα Ῥωμαίων ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ τοὺς εὐφυεστάτους ὑπερέβαλεν. οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μικρὰν οὐδ' εὐκαταφρόνητον γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαράσκευος ἦλθεν. ἀλλὰ καὶ Πομπηίου πολλάκις ὀκνοῦντος καὶ Καίσαρος ἐξαναστῆναι καὶ Κικέρωνος, ἐκεῖνος ἀνεπλήρου τὴν συνηγορίαν, καὶ*

LXVI. Is igitur mediocriter a doctrina instructus, angustius etiam a natura, labore et industria, et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam et gratiam, in principibus aliquot annos fuit. in huius oratione sermo Latinus erat, verba non abiecta, res compositae diligenter; nullus flos tamen neque lumen ullum: animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. Nam huius aequalis et inimicus C. Fim-

C. 66. animi magna] *animi magna*, *vocis gte firmitudo parva contentio* Gu. 1. unde Schützius: *animi magna firmitudo*, *vocis contra parva contentio*. Sed ipsa codicis scriptura prodit additamentum, quod alienum in locum irrepsit. Sensus est: Ipse Crassus toto animo laborabat, sed vox contentioni non respondit.

διὰ τοῦτο μᾶλλον ἤρεσκεν ὡς ἐπιμελὴς καὶ βοηθητικός. Ac dixit cum Cicerone pro Murena, pro Coelio (ubi c. 8. illius sententia quaedam profertur), pro Balbo; recepitque Mucianus eius orationes in collectionem suam. V. Oratt. Fragm. p. 191. Effugit a. 667. caedes Marianorum, coniunxitque se cum Sulla, et bellica laude excelluit a. 672. non multum Pompeio inferior. Etiam bello adversus Spartacum, in quo plures imperatores male pugnaverant, eminuit, idque finivit a. 683. Consul fuit a. 684. cum Pompeio, aemulo suo. Censor a. 689. quo anno Catilina primum contra senatum et consules conspiravit; atque ipse venit in conspirationis quandam suspicionem. Postea Crassus, Pompeius, Caesar inter se coniurarunt, ut senatum et rempubl. suae potestati subiicerent. Tum Crassus et Pompeius vi et armis iterum consules creantur a. 699. Ex consulatu in Syriam profectus a. 700. bellum Parthis intulit, in quo cum filio suo occiditur a. 701.

C. 66. ad obtinendas causas] Causam obtinere est causam vincere. Ad Fam. I, 4. *Causam obtinebamus.*

curam et gratiam] Crassus omnibus servire solebat, ut omnibus melius imperaret. Plut. Crass. 7. *ὁ δὲ Κράσσος ἐνδελεχὲς τὸ χρήσιμον ἔχων, καὶ σπάνιος οὐκ ὢν οὐδὲ δυσπρόσοδος, ἀλλ' ἐν μέσαις ἀεὶ ταῖς σπουδαῖς ἀναστρεφόμενος τῷ κοινῷ καὶ φιλανθρώπῳ περιεγίνετο τῆς τοῦ Πομπηίου σεμνότητος.* Cic. Offic. I, 30. *itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum quod velint consequantur: ut Sullam et M. Crassum videbamus.* Mores hominis opum et gratiae studiosissimi luculente describit Parad. VI, 2.

flos — lumen] Supra c. 17. *Catonis Origines quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent?* Intelliguntur figurae cum verborum tum sententiarum.

Nam huius] I. e. Fimbriam, aequalem et inimicum Crassi, praetermitto: is enim non ita diu iactare se potuit.

C. Fimbria] C. Flavius Fimbria, Marii familiaris, crudelissime egit in caede et rapinis, quibus urbs a. 667. auctore Mario vastabatur; anno sequenti in funere Marii Q. Mucium Scaevolam vulneravit. Mox Valerii Flacci consulis, qui adversus Sullam copias eduxit, legatus eum interemit, ipse imperium affectans, sed cum exercitus ad Sullam deficeret, semet occidit a. 669. V. Liv. Epit. LXXXII. Drum. T. II. p. 452. Zachariae *Sulla* p. 121.

bria non ita diu iactare se potuit: qui omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. 234. Cn. autem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui cum esset nec peracutus, quamquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat in eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, † admirando irridebat, callebatque in agendo, ut ea quae deerant non de-

234. admirando irridebat, calebat] Locus mendosus, cuius in explicatione Corradus et Gruterus misere aestuarant, multorum coniecturas excitavit. Itaque Lambinus: *admirando, irridendo latebat in agendo:* probatus Ernestio, quamquam is *valebat* praefert. Schützius: *admirantes irretiebat, et sic calebat in agendo.* Ellendtus: *admirando, irridendo calebat, in agendo ut ea* etc. Buttmannus in Act. Soc. Ien. I. p. 46. *admirando, irridendo splendebat, calebat in ag.* Waardenburg. Opusc. Crit. p. 57. *admirantes irretiebat, calebat.* Similiter *admirantes irretiebat capiebatque* Schevingius et Orellius. *callebat in agendo* Billerbeckii fuit inventum, quod ipsum in ed. pr. legitur. Multas vides coniecturas, nec profecto negari potest coniectura locum esse sanandum: quamvis Klotzius in Cic. Lael. p. 170. repugnet, non addita tamen interpretatione. Equidem suspicabar: *sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, admodum arridebat callebatque in agendo*: i. e. quamvis neque acumen haberet neque

iactare se] Affectare laudem eloquentiae. Id monendum videbatur propter Wetzelium, qui Velleianis II, 24. *adolescens quae pessime ausus erat, fortiter executus*, pro Ciceronis illustratione utebatur.

alias res agere] Mirandum erat populum tam male attentum tamque inconsideratum fuisse, ut Fimbriam pateretur concionantem. Originem locutionis e re sacra repetendae explicat Ruhnkenius in Terent. Andr. I, 2, 15. Ex his autem elucet, quid sit quod Asinius Pollio dixerit *Fimbriaturire*, teste Quintil. VIII, 3, 32. quasi Fimbriae similem esse furore.

234. Cn. Lentulus] Cn. Cornelius Lentulus Clodianus consul a. 682. cum L. Gellio duas leges promulgavit. In bello adversus Spartacum item ut collega victus est. Censor fuit a. 684. deinde in bello piratico a. 687. et 688. legatus Pompeii. Summum in eo consilium summamque gravitatem laudarat Cicero pro imp. Pomp. 23. V. Drum. T. II. p. 546. Ceterum hunc comoedias et poemata scripsisse collegerunt Popma in Varr. p. 199. ed. Bip. et Orellius in Onomast. v. Quinctipor Clodianus ex Varronis locis apud Nonium p. 117. *Varro in Epistola ad Fufium scribit: Quintiporis Clodiani forias ac poemata gargaridans dices, O fortuna, o fors fortuna etc. Deinde in Vimarco Satira: Quom, Quintipor Clodianus tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius?* [Adde Schneider. in Varr. R. R. p. 419.]

ex facie] Cf. c. 68. pr.

sideraventur. Ita, tanquam Curio copia nonnulla verborum nullo alio bone tenuit oratorum locum: 235. sic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit; neque multo secus P. Lentulus, cuius et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo. sic in hoc nihil praeter actionem fuit, cetera etiam minora quam in superiore. LXVII. 236. M. Piso quicquid habuit, habuit ex disciplina, maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus fuit. habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum

copiam, voce tamen et actione vehementer placebat; actio enim eius tam callida erat, ut tegerentur ingenii vitia. Nunc cum ed. pr. posui *callebat*, addito *que*, cum Parisiensis C. suppeditet *callebatque*.

235. Cn. Lentulus] *Lentulus* ed. pr.

neque multo] *nec multo* ed. pr.

vocis et] Deest *et* ed. pr.

sic in hoc] *sed in hoc* Orellius. Immo recte concluditur in Publio nihil praeter actionem fuisse, cum Cnaeus etiam dicendi quaedam artificia promeret.

C. 67. 236. quod erat] Abesse malebat Billerbeck.

interdum etiam facetum] *interdum facetum* ed. pr. Haec ceteris membris non conveniunt: quorum prius *in reprehendendis ver-*

Curio] V. c. 58.

235. P. Lentulus] P. Cornelius Lentulus Sura quaestor a. 673. (cf. Plut. Cic. 17.) Sulla dictatore; Wetzelius enim in c. 90. errat, cum dicit Lentulum quaestorem Sullae in Asia fuisse. Praetor a. 679. consul a. 683. Anno sequenti a Gellio et Lentulo censoribus ex senatu expellitur propter infamiam vitae. Sed praeturam iterum gessit a. 691. Cicerone consule; cumque particeps esset coniurationis Catilinariae, in carcere iugulatus est. Cf. Drum. T. II. p. 529.

C. 67. 236. M. Piso] M. Pupius Piso Calpurnianus ex praetura Hispaniam administravit, unde a. 685. rediens triumphavit. In bello Mithridatico legatus Pompeii erat, qui effecit, ut a. 693. consul crearetur. V. Drum. T. II. p. 84. Asconius in Pison. p. 15. *Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanto aetate maior, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo antiquae vitae similitudo et multae erant litterae; orator quoque melior quam frequentior habitus est.* Studiorum inter socios memorat eum c. 68, 240. et c. 90, 310. Peritissimum philosophiae Peripateticae declarant partes in eum translatae l. V. de Finibus, tetigitque de N. D. I, 7. Ceterum vehementer in re publica dissensit cum Cicerone: v. ad Att. I, 14.

ex disciplina] Potissimum Staseae, v. de Or. I, 22. f.

etiam facetum. is laborem quasi cursum forensem diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo, et hominum ineptias ac stultitias, quae devorandae nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, sive morose, ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio. Is cum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea. deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus, et ex eo tempore quasi revocatus in cursum tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem: postea quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. 237. P. Murena mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum, litterarum et studiosus et non imperitus, multae industriae et magni laboris fuit. C. Censorinus Graecis litteris satis doctus, quod proposuerat, explicans expedite, non invenustus actor, sed iners et inimicus fori. L. Turius parvo inge-

bis versutum et sollers ad laudem acuminis refertur, alterum vero, *sed saepe stomachosum*, *nonnunquam frigidum*, eam laudem extenuat. Iam extrema *interdum etiam facetum* rursus aliquid laudis continent. Aut igitur error latet, ut *facetum* sit vitiosum, legendumque: *interdum inficetum*, aut transpositione locus est sanandus: *quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers*, *interdum etiam facetum*, *sed saepe stomachosum*, *nonnunquam frigidum*. [Hoc quidem parum ad laudem acuminis veteratorii conferet, cui salibus opus fuit et quadam festivitate (vide vel c. 75. pr.); illud autem orationem frustra dilatat, siquidem generi frigido subiiciuntur etiam inficeta. Verum hic ipse locus ad eam observationem revocandus, quam in c. 62. f. de medio vocum significatu posuimus. Nam versutum et sollers Pisonis acumen nihil nisi perspicacitatem in ridiculis exagitandis prodebat.]

morose] *moroso* Lamb. Placet. [Poterat id ipsi Ciceroni placere, si quidem volebat aut necesse habebat aequabilitatem verborum consectari. Nunc potius ei visum est afferri morosum. Pisonis ingenium, quem apparet gravem et austerum fuisse.]

ingenuo] *ingenio* ed. pr.

ex studio] *de studio* Lamb. Praepositionis usum rariorem vindicavit Oudendorpius in Caes. B. Gall. VII, 45, 2.

237. L. Turius] Item ed. pr. *L. Thorius* Pighius T. III. p. 272.

laborem — forensem] Non pertulit laborem fori, qui quasi in media cursus concertatione vires eius fatigaret.

virginum iudicio] Virgines Vestales a. 681. incestus accusatae, Pisone autem defendente sunt absolutae. Catilin. III, 4.

237. P. Murena] P. Licinius Murena bello Sullano periit a. 673. V. c. 90.

rerum veterum] Sive antiquitatis.

C. Censorinus] C. Marcius Censorinus Sullae litem intendit repetundarum a. 663. Plut. Sulla 5. Drum. T. II. p. 482. Item bello Sullano sublatus est a. 673. V. c. 90.

L. Turius] Ignoramus, quo anno repulsam in consulatus petitione tulerit.

nio, sed multo labore, quoquo modo poterat, saepe dicebat. itaque ei paucae centuriae ad consulatum defuerunt. 238. C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset. non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio; vox, gestus et omnis actio sine lepore; at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio: ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam, ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres. hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum. LXVIII. 239. C. deinde Piso,

praetorem a. 674. intelligens. Weichertus in Poett. Reliqu. p. 97. nescio quo pacto tempora permiscens Turium hunc eundem esse dicit, qui a M. Catone Censorio contra Cn. Gellium defensus sit.
itaque ei] *itaque et* ed. pr.
238. C. Macer] *Cancer* ed. pr.
commendationem] *commendatorem* ed. pr.
everteret] *evertisset* Ern. inutilis coniectura, reiecta iam Garatonio, quem v. in Milon. 17. p. 217. Adde Zumpt. §. 525. et Krügeri *Untersuchungen* II. p. 217. sqq.
in inveniendis] *in* om. ed. pr.
hic etsi] *hoc etsi* ed. pr.

238. C. Macer] C. Licinius Macer tribunus pl. a. 681. Orationem ab eo tum habitam inseruit Sallustius Historiis suis: v. Vellejus Orellii p. 163. sqq. Deinde praetorius a Cicerone praetore a. 688. repetundarum accusatus est; condemnationem autem morte voluntaria praevenit. Is et orationes scripsit, quarum levissimum extat vestigium (v. Oratt. Fragm. p. 176.), et Annales, in quibus res Romanas inde ab antiquissimis temporibus ad suam usque aetatem enarravit, quosque veteres scriptores magni aestimarunt. Cf. Krausii Historic. Fragm. p. 234. sqq. et Niebuhr. II. p. 11. III. p. 175. Nam quod Cicero de Legg. I, 2. eos reprehendit, iudicium fecit de oratione satis dura et impolita. Sunt tamen quibus iniquius de eo videatur Cicero iudicasse: v. Weichert. Poett. Reliqu. p. 104. et Westerm. p. 227.

veteratoriam] *Orator* persuadere, *veterator* fallere et decipere cupit. C. 21, 82. *L. Cotta veterator est habitus.* C. 48, 178. *P. Cethegus in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur.* C. 75, 261. *splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet.* De Finib. II, 16, 53. *acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quo occulte sine ullo conscio fallat.* Macri igitur accuratio sive diligentia talis erat, ut rabula potius quam oratore digna esset. Ridicule Billerbeckius, *die Sorgfalt eines alten erfahrenen Mannes.*

C. 68. 239. C. Piso] C. Calpurnius Piso iudex in causa Q. Roscii Comoedi a. 678., praetor a. 684. defensor Sex. Aebutii contra Caecinam a. 685. consul a. 687. Eodem anno restitit Pompeio, qui imperium belli piratici per Gabi-

statarius et sermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu et simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Nam eius aequalem M' Glabrionem bene institutum avi Scaevolae diligentia socors ipsius natura negligensque tardaverat. Etiam L. Torquatus elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa na-

C. 68. 239. in excogitando] *in cogitando* ed. pr.
avi] Deest ed. pr.
ipsius] *eius* ed. pr.
toto genere] Item ed. pr. *in toto genere* D.

nium tribunum petebat; idemque haud raro tribunis pl. pertinaciter se opposuit, ne senatus auctoritas laederetur. A. 688. et 689. proconsul fuit in Gallia Narbonensi; Romam autem reversus et de repetundis iniustisque suppliciis postulatus a Cicerone consule defenditur a. 691. V. Drum. T. II. p. 92. Ceterum Orellius in Onomastico p. 121. C. Pisonem iudicem in causa Roscii et defensorem Sex. Aebutii diversum putat ab consule a. 687.

statarius] V. annot. in c. 30, 116.

sermonis] Orationis ex vita quotidiana petitae. Sic interdum sermo orationi opponitur, hoc est, oratio sedata et remissa contentioni. Infra: *D. Silanus studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis.* Offenderat Ernestius: qui cum temere coniecisset *leporis*, deinde vidit intelligi disserentis ac disputantis modo dicentem.

Nam eius] Dixit, ut supra pluribus locis: Manium Glabrionem aequalem eius omitto: nam bene institutum avi Scaevolae diligentia socors natura negligensque tardaverat.

M' Glabrionem] Manius Acilius Glabrio praetor a. 684. in Verrem iudicium exercebat, Cic. in Verr. A. I, 17. Consul a. 687. Ex consulatu Lucullo successit a. 688. ad bellum Mithridaticum administrandum: quod cum ei non satis succederet, mox Pompeio commissum est.

Scaevolae] Publii, consulis a. 621. opinor, non Q. Mucii Scaevolae cos. a. 637. Cf. Orellius in Onomast. v. *Acilius Glabrio* p. 7. et *P. Mucius Scaevola* p. 405. Zumpt. in Verrin. I, 17, 52.

L. Torquatus] L. Manlius Torquatus, condiscipulus Ciceronis et Attici (v. Nepos Attic. 1.), consulatum adeptus est a. 689. quem in se transtulerat, cum Autronium ambitus damnasset: quo consule Horatium natum esse constat. Eius filius c. 76. celebratur. Quos errores in Fragmentis Oratorum p. 219. admisi, cum tres confunderem Torquatos oratores, eos correxi in Ephemer. Zimmerm. 1835. p. 927. Ac meliora de Torquatis docuit Weichertus in libro de Cassio Parmensi p. 304.

in existimando] Vid. c. 24, 92.

Cn. Pompeius] Huius viri quo celebrior est memoria quoque testatior monumentis Graecis et Latinis, tanto brevius gradus rerum ab eo confectarum perlustrabimus. Fuit sane Ciceronis aequalis, quippe natus iisdem consulibus Atilio et Caepione a. 648. Is adolescens bello Cinnano et Sullano tantopere eminuit, ut a Sulla tam imperatoris quam Magni nomen acciperet. Plut. Pomp. 13. Consul a. 684.

tus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat; actio vero eius habebat et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem. 240. Noster item aequalis D. Silanus, vitricus tuus, studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis. Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio quam nos fortasse maior, summo studio dicendi multaque doctrina, incredibili

abstraxisset] *obstruxisset* ed. pr.
240. Silanus] *Syllanus* ed. pr.
dicendi] *discendi* Lamb. Orellio probante.

antequam quaesturam gessisset, ex equite Romano fuit cum M. Crasso: qui tribuniciam potestatem restituerunt. Concionis Pompeii de tribunicia potestate restituenda mentio fit in Verrin. Act. I, 15. cf. Vellei. II, 30. A. 687. bellum piraticum ei mandatur, a. 688. bellum Mithridaticum, in quo a. 691. expugnavit Hierosolyma; in Italiam a. 692. reversus triplicem triumphum de piratis, Asia, Ponto pridie Kal. Octob. die natalis sui egit a. 693. Plin. XXXVII, 2. Eius orationis triumphalis meminit idem Plinius VII, 26. In Epp. ad Atticum VII, 2. eandem de triumpho orationem alteramque Neapolitanam memorari videmus. Consul iterum a. 699. Hoc anno legem iudiciariam dedit, ut ex centuriis aliter quam antea lecti iudices amplissimi census, ex senatu, equitibus et tribunis aerariis, res iudicarent. Philipp. I, 8. Ascon. in Pison. p. 16. Consul tertium a. 702. legem de vi et de ambitu promulgavit, simul formam iudiciorum breviorem constituit, qua veluti frenos eloquentiae imponeret: quo respicitur c. 69. 70, 94. Bellum civile inter Pompeium et Caesarem a. 705. erupit; victus autem acie a. 706. ad Pharsalum in Aegyptum fugit, ubi dolo trucidatur. De moribus illius et ingenio nunc nihil attinet explicare; ceterum in eloquentia nullum tenuit locum, sed quas interdum orationes dixit, scripserat Cicero aut Sestius. Cf. Cic. ad Att. VII, 17. Quintil. III, 8, 50. Idem XI, 1, 36. eius eloquentiam definiens: *Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiae, sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator, et hic, qui bello civili se interfecit, Cato eloquens senator fuit.* Cf. Oratt. Fragm. p. 190. Raro causas eum egisse veri simile est: v. Plut. Pomp. 23.

240. D. Silanus] Decimus Iunius Silanus, aequalis Ciceronis et Pompeii, id est, eodem anno 648. natus, Serviliam, Bruti matrem, post mortem M. Bruti, cui nupserat, in matrimonium duxit. Aedilis circa a 684. consul autem a. 692. fuit.

orationis] V. nos in c. 68, 239. Eius igitur oratio sermoni quotidiano et familiari fuit similior quam oratorio generi dicendi.

Q. Pompeius A. F.] Is natus a. 646. quaestor fuit a. 677. Periit cum Cn. Pompeio in Aegypto bello civili a. 706. ut Orosius tradit VI, 15. Eius filii in Epist. ad Famil. VI, 16. et 17. leguntur litterae.

fortasse] In numeris definiendis addi *fortasse*, sicubi in incerta designatione aliquem numerum ponamus maximum vel minimum, monuit Hand. Tursell. T. II. p. 725.

labore atque industria; quod scire possum. fuit enim mecum et cum M. Pisone cum amicitia tum studiis exercitationibusque coniunctus. huius actio non satis commendabat orationem: in hac enim satis erat copiae, in illa autem leporis parum. 241. Erat eius aequalis P. Autronius, voce peracuta atque magna, nec alia re ulla probabilis: et L. Octavius Reatinus, qui cum multas iam causas diceret, adolescens est mortuus. Is tamen ad dicendum veniebat magis audacter quam parate. Et C. Staienus, qui se ipse adoptaverat et de Staieno Aelium fecerat, fervido quodam et petulanti et furioso genere dicendi: quod quia multis gratum erat et probabatur, ascendisset ad honores, nisi in facinore manifesto deprehensus poenas legibus et iudicio dedisset. LXIX. 242. Eodem tempore C. et L. Caepasii fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines et repentini, quaestores celeriter facti

cum amicitia] *tum am.* ed. pr. In Bruto nullus est locus, in quo *tum — tum* legatur.

241. est mortuus] *mortuus est* ed. pr.

magis audacter] *audacter magis* Lamb.

C. Staienus] Sic ed. pr. *C. Stalenus* et *Staleno* recentt. edd. auctore Rivio.

C. 69. 242. Caepasii] *Cepasii* ed. pr.

M. Pisone] V. in c. 67.

241. P. Autronius] Natus a. 646. Is consul designatus a. 689. cum a L. Cotta et L. Torquato ambitus cum P. Sulla collega accusatus esset et damnatus, in exilium abiit, in quo vixit adhuc a. 696. nam in Epiro Cicero exul eum metuebat. V. ad Attic. III, 2. Sallust. Catil. 18.

C. Staienus] Proprie dictus C. Aelius Paetus Staienus, nomen suum ignobile nobiliori commutavit. In Cluentiana c. 26. *Quid tu, inquit, Paete? — hoc enim sibi Staienus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat.* Nam Paeti nomen sibi arrogans in gentem Aeliorum irrupit. Idem maiestatis condemnabatur, cum patefactum esset maxime eius opera, cum quaestor esset, in exercitu seditionem esse conflatam: v. pro Cluent. 36. Postea quam in causa Cluentiana iudex ad corrumpendum iudicium pecuniam acceperat, eam intervertit: quo nomine in iudicium vocatus damnatur: v. p. Cluent. 7.

legibus et iudicio] Ne quis forte explicaret, *poenas legibus iudicio dedisset*, Orellius monuit obstare similem locum De Fin. I, 14, 47. *saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur.* Adde Virg. Aen. I, 507. *Iura dabat legesque viris.*

C. 69. 242. Caepasii] In causa Cluentiana Caepasii defensores C. Fabricii erant: ubi v. c. 20. Eos anno circiter 676. quaestores fuisse Pighius tradidit.

repentini] Homines novi, qui subito repenteque in hominum cognitionem atque commendationem pervenerunt. V. Turnebi Adversar. XIV, 22.

sunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, ne quem vocalem praeterisse videamur, C. Cosconium Calidianum, qui nullo acumine eam tamen verborum copiam, si quam habebat, praebebat populo cum multa concursatione magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum.

si quam habebat] *si* Ern. et Schützius delebant, ut praecedens *eam* conveniret. Similiter tamen c. 87, 298. *etsi tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate.* Div. in Caecil. 15. *ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus est.* Ubi *si quam* extenuantis est laudem orationis copiosae: hoc est, quantulacunque fuit. Adde Zumpt. S. 740. et vera sententem Wetzelium.

secundarum] Sic optimi codd. cum aliquot vett. edd., quibus obtemperavit Lamb. *secundanus* ed. pr. *secundarius* ed. Mediolan. probata Pighio et Casaubono in Sueton. Aug. 45. Arrius quasi secundarum fuit Crassi, id est, imitator Crassi, quique prorsus eadem faceret: eodem enim modo, quo Crassus cum civibus versabatur, Arrius in omnibus negotiis se gessit. [Sic fere Wetzelius. Aliter censebit, qui veteres scriptores qua mente *primarum, secundarum, tertiarum actores* sive *πρωταγωνιστήν, δευτεραγωνιστήν, τριταγωνιστήν*, nunc in orationis proprietate nunc per figuram protulerint, quoque spectet *δεύτερα λέγειν, τρίτα λέγειν*, diligenter expenderit. V. Ulpian. in Demosth. F. L. p. 387. Asconius in Divin. in Caecil. 15. Valesius in Harpocr. p. 293. sq. Böttiger. Opusc. p. 318. sq. Nam ut secundas agebat, qui paulum inferior esset actori primario viresque suas illius partibus accommodaret et submitteret: ita secundarum in republica habebatur, qui consilia sua ad utilitatem et arbitrium viri potentissimi dirigere soleret et consulto rationum alienarum quasi subscriptorem agere. Arrius igitur in quo Crassum imitaretur nihil opinor habebat; sed

oppidano] Quasi municipali atque inter urbanum genus et paene rusticum interiecto (quod recte Wetzelius *kleinstädtisch*): velut Asinius Pollio Patavinitatem in Livio deprehendit.

vocalem] Canorum, vel omnino qui vocem ad dicendum contulit. Plin. Epp. IV, 7, 2. *Scripsit publice, ut a decurionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eum populo.*

C. Cosconium] C. Cosconius Calidianus Illyricum obtinebat anno circiter 675. V. pro Cluent. 35, 97. Ab Eutropio VI, 4. *Cn. Cosconius* dicitur: *Ad Illyricum missus est Cn. Cosconius pro consule, multam partem Dalmatiae subegit, Salonas cepit et composito bello Romam post biennium rediit.* Similiter Cicero l. l. eum vocavit oratorem clamosum.

Q. Arrius] Is praetor a. 682. Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti hominum millibus cecidit, sed a Spartaco victus est. Liv. Ep. XCVI. In petitione consulatus a. 695. a Caesare, quem antea adiuverat, destitutus est: ad Att. II, 5. Is exemplum M. Crassi secutus, qui nullis aliis virtutibus gratiam et auctoritatem sibi summam conciliavit, dum omnibus serviret, ac ne infimo quidem civi recusaret officia (v. in c. 66.): similiter multis obediens multorumque causas recipiens ad honores pervenit, etsi per se nullam habebat commendationem ingenii.

is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire. 243. His enim rebus infimo loco natus, et honores et pecuniam et gratiam consecutus, etiam in patronorum sine doctrina, sine ingenio aliquem numerum pervenerat. Sed ut pugiles inexercitati, etiamsi pugnos et plagas Olympiorum cupidi ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt: sic ille, cum omni iam fortuna prospere functus labores etiam magnos excepisset, illius iudicialis anni severitatem quasi solem non tulit.

244. Tum Atticus, Tu quidem de faece, inquit, hauris, idque iamdudum; sed tacebam: hoc vero non putabam,

homo factiosus sicubi ministris egeret, quorum patrocinium causis clandestinis praetexeret, ut Athenis Pericles factitarat, Arrius iste suppetias prompte ferebat suamque commodabat eloquentiam. Quod autem Casaubonus *secundarius* comparavit cum *tertiarius*, *togatarius*, aliis id genus, quae certum quendam ordinem indicant: repugnat ipse genitivus *Crassi*. Itaque non interpretabimur: *er war gleichsam ein kleiner Crassus*, sed potius, *er spielte fast die Rolle, die ihm Cr. liefs.*]

multorum] Om. Gu. 2. prob. Grutero, Schneidero, aliis. Sed de industria repetiit vocabulum Cicero, quo melius Arrii rationem notaret. Idem sensit Orellius cum Gebhardto p. 10. Ac perspexit Wetzelius tacitam et invidiosam morum reprehensionem subesse; siquidem satis erat oratori honesto aliorum commoda tueri.

servire] *inservire* ed. Rom.

243. sine — sine] *sive — sive* ed. pr.

tempori] Utilitati: ne quis cum Schneidero *temporibus* requirat.

243. Olympiorum] Similiter Horat. Epist. I, 1, 49. cf. supra c. 9. [Multus in hac figura est Epictetus Arrianeus: qui soles Olympiacos tam spectatoribus quam concertantibus admodum infestos praeter alia incommoda depingit Diss. I, 6. Adde Aristot. Probl. 38, 6.]

labores magnos] Causas graves.

iudicialis anni] Cn. Pompeius tertio consulatu a. 702. formam iudiciorum ita commutavit, ut modum dicendi intra certum horarum numerum contraheret; uno enim atque eodem die tam ab accusatore quam ab reo perorari iubebat, binis horis accusatori, ternis reo constitutis. V. c. 94, 324. Ascon. in Milon. p. 37. De eadem re Dialogus de Oratt. 38. *Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumeret, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius astrinxit imposuitque veluti frenos eloquentiae.* Cf. Gierig. in Plin. Epp. II, 11, 14. Iam qui tantae brevitati nescirent sese accommodare, causas graviores omnino relinquere coacti sunt.

te usque ad Staienos et Autronios esse venturum. Non puto, inquam, existimare te, ambitione me labi, quippe de mortuis: sed ordinem sequens in memoriam notam et aequalem necessario incurro. Volo autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, verum qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse. Sed ad sermonem institutum revertamur. LXX. 245. T. Torquatus T. F. et doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, et a natura ad dicendum satis solutus atque expeditus (cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu consul factus esset), plus facultatis habuit ad dicendum quam voluntatis. itaque studio huic non satisfecit; officio vero nec in suorum

244. ausi sint] *a. sunt* ed. pr. et Gu.
non ita multos] *non tam multos* ed. pr.
C. 70. 245. vir ex] *vir et ex* ed. pr.

244. Staienos et Autronios] V. c. 68.

memoriam notam] In memoriam notorum hominum et aequalium. Similiter de Legg. I, 3, 8. *ipse aequalem suae aetatis memoriam deposcit, ut ea complectatur, quibus ipse interfuit.*

verum qui] Orellius post Nizolium *verum* esse vult adiectivum. Sed particulam, quae illi *quidem* respondeat, intelligenti assentior Gebhardto. Omnium dicentium perpauci erant immortalitate digni, sed ne mediocres quidem oratores invenio multos fuisse: itaque perpauci maximi oratores, sed ne probabiles quidem multi. Haec enim a Cicerone eo dicta sunt, ut non tam excellentium oratorum penuria, quae magna fuisset omnium iudicio, quam paucitas vel mediocrium oratorum, quae posset in tanta civitate mirabilis videri, significaretur. Nam *qui omnino nomen habuerint*, id est quod, qui omnino aliquid laudis ceperint.

C. 70. 245. T. Torquatus] T. Manlius Torquatus ante a. 702. quo Pompeius legem de ambitu promulgavit, mortuus est. Patet igitur legem illam, quae graviorem poenam reo minabatur, aliquantisper eo valuisse, ut ambitus esse sublatus videretur, neque iam ad eos tantum, qui plurimos amicos et maximam pecuniam afferrent, consulatus pertineret. Cf. Plut. Pomp. 55. et Ascon. in Milon. p. 37.

Molonis] Apollonius Molon rhetor Rhodius, quem Romanorum multi cum Romae tum Rhodi audierant. Velut Cicero bis eum audiit Romae, a. 667. ut c. 89. dicit (Clintonus tamen in eo loco annum 666. intellexit), et a. 673. Sulla dictatore, quod diserte tradit c. 90. Deinde rursus Moloni se applicuit, cum Rhodum a. 676. adisset: v. c. 91. Item alii, ut Favonius, Servius Sulpicius, Lucceius, Caesar (v. Suet. Caes. 14.) eidem operam dederunt. V. Spalding. in Quintil. III, 1, 16. Inter principes scholae Rhodiacae enumerat Dionysius iud. de Dinarcho c. 8. Quam schematis definitionem excogitarit tradit Phoebammon in Rhett. Gr. T. VIII. p. 494.

satis solutus] Cf. annot. in c. 62. f.

studio huic] Arti oratoriae non satis operam dedit.

necessariorum causis nec in sententia senatoria defuit. 246. Etiam M. Pontidius, municeps noster, multas privatas causas actitavit, celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis, vel dicam plus etiam quam non hebes, sed effervescens in dicendo stomacho saepe iracundiaque vehementius: ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile esset) cum iudice ipso, cuius delenitor esse debet orator, iurgio saepe contenderet. M. Messalla minor natu quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum: prudens, acutus, minime incautus patronus, in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae multarumque causarum. 247. Duo etiam Metelli, Celer et Nepos, nonnihil in causis versati, nec sine ingenio nec in-

suorum necessariorum] Ern. delendum putabat *suorum*, probante Schützio. Ego malim *suorum necessariorumque causis.*

246. effervescens] *exferv.* ed. pr.

solum] Om. ed. pr.

esset] Sic codd. B. C. et ed. pr. probante Orellio. Omiserunt codd. A. D. et expunxerat Ernestius cum Grutero. Equidem *est* reponendum arbitror. [Id dici oportuit *fuit*. A quo paulum abest subiunctivus imperfecti: quod mirareris.]

delenitor] Item ed. pr. *delinitor* Ernest.

M. Messala] *A. Messalla* ed. pr. Sumpsi *Messalla:* v. Marini *Frat. Arvali* p. 28. sq.

247. nonnihil] Hanc ed. pr. scripturam, ab Rivio praereptam, nemo, opinor, repudiabit. Vulgo *nihil*, quod Ernestius editoresque recentt. defendere conabantur.

246. M. Pontidius] Homo Arpinas. Eius dictum extat de Orat. II, 68.

M. Messalla] M. Valerius Messalla consul a. 693. In republica easdem quas Cicero sequebatur partes.

causis cognoscendis] Causarum rationes singulares ii qui litigant ad iudices vel ad patronos deferre dicuntur, quorum est *cognoscere* sive *discere*. Satis est adhiberi Verr. II, 2, 10. *Verres adesse iubebat, Verres cognoscebat, Verres iudicabat.* Quint. IV, 1, 3. *Prooemium est, quod apud iudicem, priusquam causam cognoverit, prosit.*

247. Metelli, Celer et Nepos] Prior fuit Q. Caecilius Metellus Celer. De cuius patre dissentiunt Orellius in Onomastico p. 107. et Drumannus T. II. p. 24. Interfuit bello Mithridatico in exercitu Pompeii a. 688. Praetor a. 691. Cicerone consule. Consul a. 694. optimates strenue defendit. Per Clodiam uxorem a. 695. veneno interemptus est. Frater autem eius Q. Caecilius Metellus Nepos Pompeii fuit legatus in bello piratico a. 687. Tribunus pl. a. 692. Caesarem, qui optimates a Pompeio abalienare studebat, adiuvit, Ciceronem autem acerbius oppugnavit: cuius de inimicitiis vide leniter iudicantem Ep. ad Fam. V, 2. Sed hic scripsit adversus eum Cicero Metellinam orationem. Idem praetor factus a. 694. et consul a. 697.

docti hoc erant populare dicendi genus assecuti. Cn. autem Lentulus Marcellinus nec unquam indisertus, et in consulatu pereloquens visus est, non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora, facetus satis. C. Memmius L. F. perfectus litteris, sed Graecis; fastidiosus sane Latinarum: argutus orator verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriae.

Cn. autem] *C. autem* ed. pr. Manutium e Fastis emendasse dicit Orellius.

non cessabat Caesaris fovere consilia. Cf. Drum. T. II. p. 29.

hoc] Id significat fere, *hoc quod nostis.* Usum pronominis illustravit Ochsnerus in Eclog. pp. 50. 61. 130. Nam quod vocat *populare dicendi genus*, id est, concionale, quod opponitur generi iudiciali, inferiore loco habebatur et maioris industriae quam doctrinae, cui sufficeret oratio popularis (cf. c. 51, 191.) et ad assensum vulgi facta. Item Metelli, qua fuerant mediocritate, concionibus erant aptiores quam iudiciis. Supra c. 44. extr. *Fuit in hoc etiam popularis dictio excellens; Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam concionibus.*

Cn. Lentulus] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus praetor a. 695. consul a. 698. auctoritatem Cn. Pompeii imminuere conabatur: cuius studium inprimis laudatur Ep. ad Qu. Fr. II, 6. Cf. Drum. T. II. p. 405.

C. Memmius] C. Memmius Gemellus tribunus pl. a. 688. L. Lucullum, cum ex bello Mithridatico redux triumphum peteret, vexavit asperrime, quasque de ea re habuit orationes duas, de triumpho Luculli Asiatico inscriptae ferebantur. V. Oratt. Fragm. p. 177. et Dübnerum in Annal. Iahnii a. 1834. XI, 3. p. 279. Deinde praetor a. 696. acerbissimas contra Caesarem orationes pronunciavit, quibus Caesar haud lenius rescripsit. V. Sueton. Caes. 49. 73. Anno 700. consulatum petiit, ipsum Caesarem nactus suffragatorem; sed de ambitu damnatus Athenas exul migravit. Is praeter orationes etiam carmina amatoria reliquit. V. Ovid. Trist. II, 433. Plin. Epp. V, 3. Gell. XIX, 9. Eidem Lucretius poema suum inscripsit: v. Forbiger. in Lucret. I, 27. Insuper Atellanas eum scripsisse suspicor, si probandi sunt, qui Macrobii Sat. I, 10. sic legant: *Novius probatissimus Atellanarum scriptor ait: Olim expectata veniunt septem Saturnalia. Memmius* (*Mummius* vulgo, v. nos in c. 25.) *quoque, qui post Novium et Pomponium diu iacentem artem Atellaniam suscitavit: nostri, inquit, maiores bene multa instituere* etc. Certe scriptoris aetati haec congruit emendatio Meursii; Pomponius enim a. circiter 663. floruerat. Quod si recte se habet, pariter in Charisio p. 118. legendum erit *Memmius* (*Mummius* edd.) *in Atellana*, quam apud Priscian. T. I. p. 514. Munkius autem de L. Pomponio Bononiensi Atellanarum scriptore p. 45. Memmium Atellanarum conditorem cuius auctoritate tradat sub Tiberio vixisse nescio. Orellii tamen cautionem in Onomastico v. Mummius negantis, cum tres scriptores in *Mummio* consentiant, locum esse correctioni, minime reprehendimus.

LXXI. 248. Hoc loco Brutus, Quam vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere luberet, et, si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio laudari solere, Caesare et Marcello, audirem non minus lubenter, quam audivi de iis qui fuerunt. Cur tandem? inquam, an expectas, quid ego iudicem de istis, qui tibi sunt aeque noti ac mihi? Mihi mehercule, inquit, Marcellus satis est notus; Caesar autem parum. illum enim saepe audivi: hic, cum ego iudicare iam aliquid possem, afuit. 249. Quid igitur de illo iudicas, quem saepe audisti? Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui? Nae ego, inquam, si ita est, velim tibi eum

C. 71. 248. de his] *de iis* ed. pr. Placet: c. 72, 251. *praeclare tibi constas, ut de iis qui nunc sint nihil velis ipse dicere.* [Diversa horum locorum est condicio: *de his* ad superstites et huius aetatis recentissimae refertur, *iis qui nunc sunt* autem in unam formulae notionem coalescit. V. in c. 49, 185.]

luberet] *liberet* ed. pr.

[afuit] *abfuit* Edd. Meliorem scribendi rationem praecepit N. Heinsius in Virg. Aen. VII, 498. cf. Oudend. in Caes. B. G. I, 36.]

249. audisti] *audivisti* ed. pr.

velim] Sic ed. pr. *vellem* D. Gu. 1. 2. quod nollem probasset Hand. in Wopkens. p. 269.

C. 71. 248. Marcello] M. Claudius Marcellus a. 698. aedilis curulis cum P. Clodio, praetor a. 700. consul autem a. 703. Pompeio deditus in Caesaris odium incurrit. Nam qui vim omnem consulatus sui, ut Wolfianis utar, in oppugnanda Caesaris dignitate et ambitione consumpsit, huius adiutoribus palam animoseque sese opposuit, egitque inprimis in relatione de provinciis, ut Caesari succederetur ante exactum alterum quinquennium, ut absentis ratio ne haberetur consularibus comitiis, ut acta quaedam Caesaris rescinderentur. Sed Pompeio victo prorsus ab eius belli, quod Pompeiani adversus Caesarem instituerant, societate recessit, ac Mytilenis ita degit, ut de Caesare reconciliando non multum laboraret. Cum autem Cicero, qui huius in gratiam redierat, alios in eiusdem facti communionem impelleret, ne suas partes solus deseruisse videretur, litteris (Epp. IV, 7—10.) et precibus Marcellum solicitavit: frustra. Sed ipse Caesar, intercedente senatu, eum restituit; reditu tamen concesso Marcellus etiamtum Romam reverti cunctabatur. Deinde cum Athenas pervenisset, in Italiam versus navigaturus (v. Sulpicium in Epp. IV, 12. et Epp. ad Att. XIII, 10.), a cliente quodam iugulatus est a. 709. V. Drum. T. II. p. 393. quaeque disseruit Passovius in Ephem. Zimmerm. 1835. 2. Marcellum intima familiaritate et studiorum similitudine, quam ab aliis agnosci vehementer laetabatur (Epp. XV, 9.), Cicero sibi habuit devinctissimum; eiusque ingenium magni fecit Brutus.

afuit] Caesar propraetor Hispaniam administravit a. 694. Bruto iuvene; tum inde ab a. 696. ad a. 704. in Gallia versabatur.

placere quam maxime. Atqui et ita est, inquit, et vehementer placet: nec vero sine causa. nam et didicit et omissis ceteris studiis unum id egit, seseque quotidianis commentationibus acerrime exercuit. 250. Itaque et lectis utitur verbis et frequentibus, et splendore vocis et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicitur; omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem: maximeque laudandus est, qui hoc tempore ipso, cum liceat, in hoc communi nostro et quasi fatali malo, consoletur se cum conscientia optimae mentis,

unum id egit] Cum ed. pr. *id egit unum* Manut. Intellige *id unum studium dicendi.*

250. et dignitate] Om. *et* ed. pr. probante Orellio: haec enim duo membra *splendore vocis*, *dignitate motus* sine copula coniungi possunt: etsi frequentius additur copula.

quod dicitur] *quod dicit* Orellius. Vulgatam interpreteris, *quod ab eo dicitur*, sive, *quando dicit.*

cum liceat] Scriptura corrupta. Friget enim Ernestii quasi explicatio: cum studiis tractandis consolationem quaerat, quod ei solitario liceat facere sine interpellatione. Scilicet uni Marcello gratiam otii litterati Caesar condonarat. Nec satisfacit Schützius, *quoad liceat* vel, quod alii praeierant, *quantum liceat*, coniectans; nam habet coniunctivus aliquid offensionis. Orellius *cum sileat.* [Frustra critici mihi videntur aestuasse. Non sine acerbitate doloris et irrisionis Cicero laudat Marcellum, quod his iniquissimis temporibus, cum unum litterarum solatium relinquatur, studiis tacitus et libenter operetur. Subiunctivi rationem pecularem haec confirment. Milon. 25. *erit illud profecto tempus, cum . . . desideres:* coll. ad Att. X, 18. f. Tibull. I, 4, 79. ac praesertim Ovid. Met. XIV, 147. Verr. IV, 16. f. *horum autem temporum, cum te plurimas res emisse dicas, tabulas omnino nullas profers:* ubi gratiam facimus emendationis *dicis.* De Fin. II, 15. *iudico — tum non esse non turpe, cum id a multitudine laudetur.* Itaque sic explices: hoc ipso tempore, cuius in summa infelicitate saltem ea sit condicio, ut liceat animum studiis oblectare.]

249. nam et didicit] Artem dicendi didicit eique se dedidit. De Orat. II, 1, 4. *Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non d i d i c i s s e, quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre, Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino d i d i c i s s e nunquam putaretur, atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur.* Similis apud Quintilianum et eius aequales usus verbi *studere*, i. e. arti rhetoricae operam dare.

250. frequentibus] Verbis frequentibus uti, est copia verborum florere et verbis abundare. Itaque Marcellus fuit orator et elegans et copiosus.

optimae mentis] Marcellus in republica bonorum partes, si quis

tum etiam usurpatione et renovatione doctrinae. vidi enim Mytilenis nuper virum, atque, ut dixi, vidi plane virum. itaque cum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissimo viro tibique, ut intellexi, amicissimo Cratippo instructum omni copia multo videbam similiorem. 251. Hic ego, Etsi, inquam, de optimi viri nobisque amicissimi laudibus lubenter audio, tamen incurro in memoriam communium miseriarum, quarum oblivionem quaerens hunc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Caesare cupio audire, quid tandem At-

Mytilenis] *Mityllenis* ed. pr. *Mitylenis* plerique.

alius, fortissime cum Cicerone contra Caesarem defenderat.

usurpatione] Usu et tractatione litterarum, quas usurpare dicitur, quisquis suum in usum suamque possessionem quasi iure proprio convertit. Nos: *indem er die Studien geltend macht und auffrischt.*

vidi] Iter illud tractavimus in c. 42. Ac percommode accidit, ut iudicium Bruti de Marcello exule celebrarit Seneca Consol. ad Helv. 9. hoc initio: *Brutus in eo libro quem de Virtute composuit, ait se vidisse Marcellum Mytilenis exulantem, et quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorem quam illo tempore.*

Cratippo] Cratippus Peripateticus, Ciceroni familiaris, qui summis eum laudibus ornare solet (v. Timaeus pr. et de Divin. I, 3.), tum Mytilenis professus, mox Athenas se contulit, ubi Cicero filius eum audiit a. 710. cuius iucunda vox de eius consuetudine extat in Epp. XVI, 21. V. Clinton.

similiorem] Cicero ad Marcellum a. 703. Epp. XV, 9. *maxima laetitia afficior, cum ab hominibus prudentissimis virisque optimis omnibus dictis, factis, studiis, institutis vel me tui similem esse audio vel te mei.*

251. Caesare] Magni viri res pro rationibus nostris summatim percurramus. C. Iulius Caesar natus a. 654. (100.), sex annis minor Cicerone et Pompeio. Is adolescens Rhodi Apollonium Molonem audiit, Romam autem reversus Dolabellam repetundarum accusavit a. 677. anno vicesimo tertio: minus enim diligenter Dialogus de Oratt. 34. *uno et vicesimo aetatis anno Caesar Dolabellam insecutus est;* v. Oratt. Fragm. p. 179. Extabant eius tres orationes in Dolabellam. Anno sequenti (678.) causam Graecorum contra Antonium defendit. Quaesturam gessit a. 687. ulteriorem Hispaniam sortitus: nam decepit me Krausius in Vellei. II, 43, 4. cum in Fragm. Oratt. p. 183. negarem annum quaesturae Caesaris a quoquam indicatum esse. Aedilis a. 689. in suspicionem venit conspirationis cum M. Crasso factae. Praetor fuit a. 692. A. 694. Lusitanos subegit, atque cum Pompeio et Crasso societatem iniit eam, quam vulgo triumviratum dictitant. Consul a. 695. cum Bibulo leges agrarias invito senatu et collega pertulit. Ex consulatu in Galliam profectus est a. 696. unde rediit a. 704. Cumque Pompeius atque Caesar dudum aemuli de principatu et imperio certarent, bellum civile exortum est a. 705. Pompeio victo summam rerum obtinuit, et dicta-

ticus iudicet. LXXII. Et ille, Praeclare, inquit, tibi constas, ut de iis qui nunc sint nihil velis ipse dicere: et hercule si sic ageres, ut de iis egisti, qui iam mortui sunt, neminem ut praetermitteres, nae tu in multos Autronios et Staienos incurreres. Quare sive hanc turbam effugere voluisti, sive veritus es, ne quis se aut praeteritum aut non satis laudatum queri posset: de Caesare tamen po-

C. 72. qui nunc sint] Item ed. pr. *qui n. sunt* Lamb. V. supra in §. 248.
hercule] Cum ed. pr. et codd. *hercle* Ern.
nae] *nec* ed. pr.

turam arrogavit sibi perpetuam. Conspiratione facta occisus est a. 710. (44.) Notatu non indignum est, neminem alium Romanorum tot vitae rerumque suarum enarratores invenisse. Nam ad omnia summa natus cum imperatoria virtute et bellica laude tum ingenio litterisque maxime omnium eminuit; qui si foro diutius vacasset, indice Quintiliano famam eloquentiae Tullianae potuisset aequiparare. V. Bernhardy *R. Litt.* p. 261. sq. Orationes multas reliquit: ferebantur etiam aliquot, quae ipsius non essent. V. Oratt. Fragm. p. 178. sqq. et Westerm. p. 204. Praeter commentarios qui supersunt et Gallici et civilis belli scripsit de analogia sive de ratione Latine loquendi ad Ciceronem libros duos, quorum multa extant fragmenta, et Anticatones totidem, quibus laudum atque virtutum Catonis Uticensis detrectator rescripsit laudationi, quam Cicero de Catone composuerat. Porro Epistolarum multa volumina et dicta collectanea sive ἀποφθέγματα ferebantur. Idem poemata confecit, quibus non maiorem quam Ciceronis carminibus locum concessit Dialog. de Oratt. 21. Sed quae leguntur in Anthologia Latina (T. I. p. 17.) epigrammata tria Caesari inscripta, eorum unum tantum ad illius auctoritatem redit. Tot Caesaris libros Suetonius enumeravit Caes. 56. Praeterea cognoscimus ex Indice Plinii lib. XVIII. (cuius inter auctores extant *L. Tarutius, qui Graece de astris scripsit, Caesar dictator, qui item* —: quae quidem Harduinus sic interpretatur, tanquam ipse Caesar Graece de astris scripserit) de astris eum scripsisse; eosdemque ut videtur de motu siderum libros commemorat Macrobius Sat. I, 16. Eidem Caesari libros tribuunt *Auspiciorum*. Sed Niebuhrius H. R. T. II. p. 243. Iulium Caesarem, cuius liber XVI. *Auspiciorum* a Macrobio Sat. I, 26. proferatur, non dictatorem, sed grammaticum veterem fuisse merito dicit: appellatur enim *Lucius Iulius Caesar*, item a Prisciano T. I. p. 368. *Lucius Caesar: Certaeque res augurantur, οἰωνοσκοποῦνται.* Adde tertium locum ex iisdem Auspiciorum libris sumptum ib. p. 278. *Caesar in Auguralibus: si sincera pecus erat.* Huius scriptoris alterum opus de magistratibus excitavit Festus p. 175. *Maiorem consulem Lucius Caesar putat dici vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit.* Neque alium intelligere debuit quisquis libellum de Origine gentis Romanae (c. 9. *Caesar Pontificalium libro* 1. coll. c. 11. 15. 16. 17. 21. 18.) confinxit.

C. 72. Autronios et Staienos] Vide c. 68.

hanc turbam] Dicit turbam malorum oratorum de plebe.

tuisti dicere, praesertim cum et tuum de illius ingenio notissimum iudicium esset, nec illius de tuo obscurum. 252. Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Caesare et ipse ita iudico, et de hoc huius generis acerrimo existimatore saepissime audio, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime. nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris et iis quidem reconditis et exquisitis summoque studio et diligentia est consecutus: 253. qui etiam in maximis occupationibus ad te ipsum (inquit, in me intuens) de ratione Latine loquendi accuratissime scripserit, primoque in libro dixerit, *verborum delectum originem esse*

252. existimatore] Sic ed. pr. cum codd. *aestimatore* Manutius, frustra. V. annot. in c. 24, 92.

253. qui etiam] Restituit Schneiderus probante Schützio cum rec. edd. *quin etiam* libri, sententia pariter ac structura verborum laborante.

occupationibus ad te] Sic Gu. 1. 2. et ed. pr. Nam *occupationibus quum ad te* vulgo. Coniunctio si quam habet fidem, e margine irrepsit, cum ad *qui* explicandum ea referretur. Aliam iniit rationem ed. Ven. *et primo q̄ in libro.*

primoque] Firmat ed. pr.

[tuum de illius ingenio] Frustra fuit Corradus, qui testimonium quasi publicum ex vocibus quibusdam Epistolarum Tullianarum arcesseret; neque ad rem facit oratio Marcelliana. Libenter tamen uteremur eo Ciceronis testimonio, quod excitavit Suetonius Caes. 55. *quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior?* nisi id ipsum in epistolis ad Nepotem datis latitasset. Itaque sic existimandum, Ciceronem de Caesaris ingenio palam et honorifice pronunciasse, notissimum ut illius iudicium haberi posset. Quod eo minus debet admirabile videri, cum et in secreto epistolarum commercio, hoc est, ad Atticum VIII, 9. scribens, exclamet: *sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est;* et post Caesaris obitum liberaliter omnia summa in eo collaudet Philipp. II, 45. *fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia.*]

252. ut dudum] I. e. ut antea (nos, *vorlängst*): intelliguntur enim ea quae c. 58. dixerat. Paulo aliter c. 36, 138. *cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus.*

253. occupationibus] Libros de analogia in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conventibus peractis ad exercitum rediret, eum confecisse Suet. Caes. 56. tradit. Eius *occupationes* in causis, cur minus in eloquentia Caesar effecerit, haberi voluit Dial. de Oratt. 21.

eloquentiae; tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit quam se dicere, laudem singularem; nam scripsit his verbis, cum hunc nomine esset affatus: *ac si, ut cogitata praeclare eloqui possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt, cuius te paene principem copiae atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus: hunc facilem et quotidianum novisse sermonem, nunc pro relicto est habendum.*

ac si, ut] Sic ed. pr. ut scripserat Lamb. Desiderabatur *ut*, quod Ernestius alio loco inseruit: *ac, si cogitata praeclare eloqui ut possent.* Huic repugnans vulgatum male tutabatur Heusing. praef. in Offic. p. 48. allato Caes. B. G. I, 8, 4.

nunc pro relicto] Sic edd. *num* Lallemannus, quem probo. *Pro relicto* est, pro re deserta neque amplius colenda: quo sensu *pro derelicto* dixit ad Attic. VIII, 1. *In Pompeii epistola erat in extrema ipsius manu: tu, censeo, Luceriam venias, nusquam eris tutius. Id ego in eam partem accepi, haec oppida atque oram maritimam illum pro derelicto habere.* Novissima tamen *hunc — habendum* editores nonnulli seiungebant ab oratione Caesaris, quasi laudem huic conciliatura: *hunc sane apparet sermonem nosse quotidianum.* Unde pendet mirifica Wetzelii suspicio: *pro evicto est habendum.* Sed qualis sit sententia diligenter consideremus. Caesaris verba non aliam ob causam Cicero transcripsit, quam quod laudem ipsius continerent, et quidem singularem, cum Caesar dicat, Ciceronem paene principem copiae et inventorem esse, eaque re bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum. Hactenus omnia sunt aperta; de reliquis vero difficile est iudicare, quam in partem sint explicanda: cum praesertim nec proxima neque ea quae subsequerentur teneamus. Caesar tamen de iis loqui videtur, qui copiam dicendi et ornatum maioris aestimarent quam facilitatem sermonis quotidiani: quibus cum Ciceronem annumeret, dicens eum in elocutione summam assecutum esse gloriam, ipse quotidiano sermoni operam se dare profitetur. Hanc quidem sententiam interrogatione sic conformavit: Quamvis alii summam oratoris virtutem in copia dicendi et ornatu posuerint, num ideo studium sermonis simplicis relinquendum erit? Ut igitur Horatius cursus relictos se iterare pronunciat, sic Caesar dicendi genus simplex et incomptum relinquendum esse negat. Displicet *non pro delicto habendum* Schneideri commentum; sive Schützianum, *num pro delicto est habendum?* Qui vulgatam defendere velint, iis sic fere licebit interpretari: nonnulli studio et usu, cuius auctor et princeps est Cicero, bene loquendi artem con-

te paene principem] Eundem Caesaris locum Plinius, opinor, spectavit Hist. VII, 30. *Salve primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite, et facundiae Latiarumque litterarum parens, atque, ut dictator Caesar hostis quondam tuus de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem: quanto plus est, ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam imperii, reliquis animi bonis.*

LXXIII. 254. Tum Brutus, Amice hercule, inquit, et magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiae dixerit, quae erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine et dignitate. quo enim uno vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. 255. Hanc autem, inquit, gloriam testimoniumque Caesaris tuae quidem supplicationi non, sed triumphis

sectantur; nam illud eloquentiae genus, quod sermone quotidiano et consuetudine domestica constat, nunc derelictum est et contemptum. [Equidem in tantis dumetis quid non verum sit citius quam quid verum et necessarium dixerim. Ac defensionem istam vulgatae scripturae perversam esse apparet, siquidem ea colligit et argumentando concludit, quae priori sententiae prorsus sint dissentanea: nimirum si qui dictionem expolire student et illuminare, non continuo sequitur, quotidianum sermonem esse contemnendum. Haud ita tutior coniecturae ratio *num pro relicto est habendum?* cuius ipsa compositio vehementer ab Caesaris facilitate recedat: non enim probatur aut usus interrogationis parum nativus aut positus vocis *num* aut formula satis tortuosa *pro relicto est habendum.* Immo debuit Caesar in operis praefatione propositum suum ita commendare, ut assiduitatem aequalium et studium elegantiae ductum ab auctoritate Ciceronis agnosceret; hanc autem diligentiam inprimis accurata linguae Latinae scientia iuvari, cuius interior ratio ut ex observatione solerti pervestigaretur iam reliquum esse docebat. Id argumentum si recte procedit, doctrinam Artis tanquam laborem ab aliis derelictum Caesar sese ostendit suscepisse. Nos similiter: *so mufs man die Erkenntniss unserer Lebenssprache als einen Rückstand betrachten.*]

C. 73. 254. cum illis] *cum Graecis* ed. pr. et MS.

255. non, sed] Item ed. pr. *non solum, sed* D. cum vett. edd. quibusdam. *non tuae quidem supplicationi, sed* Ernestius, gravatus illam vocis collocationem, quae suaviter arguit supplicatione Ciceronis splendidius nihil posse cogitari.]

C. 73. 254. vincebamur] Eandem laudem Apollonius Molo rhetor tribuit Ciceroni (teste Plutarcho Cicer. 4.): quem cum disputantem admiraretur, Graeciae tamen se miserari confessus est, cui iam eloquentiae laus, quae sola fuisset relicta, eriperetur. Constat omnino Ciceronem paulo ambitiosius de copia sermonis Graeci iudicasse, quam dotem ille summa contentione non solum aemulabatur, sed interdum etiam superasse sibi videbatur. De N. D. I, 4. *Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur.* Adde de Fin. III, 2. Tusc. II, 15. III, 5.

255. supplicationi] Supplicationem dicit eam, quam Cicero consul a. 691. detecta coniuratione Catilinae ex decreto senatus meruit: altera enim, quae ei post proconsulatum Ciliciae rebus bello gestis a. 703. contigit, tam pusilla erat, vix ut ipse Cicero ea gloriari auderet. In Pison. 3. *Mihi togato senatus non ut multis bene gestae, sed ut nemini conser-*

multorum antepono. Et recte quidem, inquam, Brute: modo sit hoc Caesaris iudicii, non benevolentiae testimonium. Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt: ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi. 256. Verum quidem si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia salus civitatis aut belli aut domi: multo magnus orator praestat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? sed tamen (non metuo ne mihi acclametis: est autem, quod sentias, dicendi liber locus) malim mihi L.

sit hoc] *hoc* om. ed. pr.
expugnaverunt] *expugnarunt* ed. pr.
256. imperatorum sapientia] Haec Wetzelius, Lambino praeeunte, notavit, ut ex interpretatione superiorum *illis divinis consiliis* profecta: primum, quod duplicem ablativum noluit eodem membro contineri (sed v. annot. in c. 59.), deinde quod nulla fuisset imperatorum sapientia *domi*, qua salus civium constitueretur: parum ille memor cum institutorum vetustissimae reipublicae, tum dictaturae salutariter gestae. Ceterum huic loco convenit abundantia quaedam orationis: nam omissis *imperatorum sapientia* prorsus obscurum fit, quo *divina illa consilia* sint referenda.
multo magnus orator] Sic ed. pr. *multo magis orator* ab Asc. et aliis edd. vett. acceperat Ernestius: quamquam *magis* destitutum est membro, quo referatur. Recte vero *magnus orator* in comparatione *minutis imperatoribus* praeponitur.
non metuo] Deest *non* ed. pr.
ne mihi] *mihi* om. Gu. 1.

vatae reipublicae singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit.

Ligurum castella] Ligures nunc victi modo victores erant Romanorum: quorum cum regio satis ab hostibus esset munita, tum ipsi bellicosi habebantur et audaces. V. Niebuhr. T. I. p. 170. Horum ferociam fregerunt Cornelius et Baebius, qui Ligurum robur in Samnium transtulerant: v. Frontin. de colon. pp. 106. 139.

256. Verum quidem — imperatoribus] De Offic. I, 22. *Vere autem si volumus iudicare, multae res extiterunt urbanae maiores clarioresque quam bellicae:* et quae sequuntur paulo gloriosius ornata. Quaestionem in rhetorum scholis iactatam qui iuvenili quodam impetu dissertet extat Plutarchi libellus, *domi an militiae clariores fuerint Athenienses.* Eodem in campo quondam Tullius exultarat, cum pro Murena diceret.

ne mihi acclametis] Ne me reprehendatis. *Acclamare* enim in utramque partem accipitur. Ad Qu. Fr. II, 3. *Dixit Pompeius, sive voluit: nam ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt, idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur.*

Crassi unam pro M' Curio dictionem quam castellanos triumphos duo. At plus interfuit rei publicae, castellum capi Ligurum quam bene defendi causam M' Curii. Credo. 257. Sed Atheniensium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere quam Minervae signum ex ebore pulcherrimum; tamen ego me Phidiam esse mallem quam vel optimum fabrum tignarium. quare non, quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum est: praesertim cum pauci pingere egregie possint aut fingere, operarii autem aut baiuli deesse non possint. LXXIV. 258. Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde quae restant.

Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam et Latinam; cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. Mitto C. Laelium, P. Scipionem. aetatis illius ista fuit laus tanquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen. nam illorum aequales, Caecilium et

dictionem] Olim in Oratt. Fragm. p. 150. coniiciebam *defensionem*. Sed aptum est *dictio*. Infra c. 78. *Nullum tempus illi unquam vacabat a forensi dictione*. De Orat. I, 33. *neque ea quisquam, etiamsi se in his subitis dictionibus exercuerint, consequetur*. [Dictiones sunt sententiae et orationes publice habitae, quas Graeci ῥήσεις appellant. Dial. de Oratt. 34. *huius omnibus dictionibus interesse*. Frustra vocem reprehendit Fronto ad Marc. V, 3.]

duo] *duos* edd. pleraeque.

257. possint] Item ed. pr. *possunt* Nor. Asc.

C. 74. 258. nec omnium] Firmat ed. pr. *non omnium* Ald.

pro M' Curio] Vide c. 39.

C. 74. 258. C. Laelium, P. Scipionem] V. c. 21.

laus tanquam innocentiae] Simillimus locus de Offic. II, 22.

Caecilium] C. Caecilius Statius floruit a. 575. excessit autem e vita a. 586. teste Hieronymo in Ol. 150, 2. *Statius Caecilius comoediarum scriptor clarus habetur, natione Insuber Gallus, et Ennii primum contubernalis. quidam Mediolanensem ferunt. mortuus est anno post mortem Ennii et iuxta Ianiculum sepultus*. Ex his apparet Ciceronis error, qui Scipionis aequalem et Laelii fuisse dicat: eos enim anno circiter 569. natos esse constat. Immo hic poeta debuit ad Scipionis Africani maioris et Catonis censorii tempora referri. Similem errorem supra tetigimus in c. 45. Quod autem Caecilius male locutus esse dicitur: non ille Romae fuit natus, quae urbs bene loquendi laudem sibi soli vindicabat, sed origine Mediolanensis ferebatur; idemque malus auctor latinitatis in epist. ad Att. VII, 3. ob eam rem vocatur, quod vocabula et locutiones Romae spretas aut incognitas usur-

Pacuvium, male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaria domestica infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit et Romae et in Graecia. confluxerunt enim et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. Quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda tanquam obrussa ratio, quae mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula. 259. T. Flamininum, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus. existimabatur bene Latine, sed litteras nesciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paulo est ante dictum: sed tamen suavit, ac lepore caruit sermonis Romani, qui elegantissimus habebatur.

nec eos] *neque eos* ed. pr.

barbaria] Sic ed. pr. probante Orellio. *barbaries* vulgo. Sed ubique Cicero *barbaria*, non *barbaries* dixit, contra *materies*, non *materia*; de quo monuimus in Quintilian. T. I. p. 257.

tanquam obrussa] Restituere P. Manutius et Victorius. *quantum obtusat* ed. pr. *quam obtrusa* edd. vett. *cum obrussa* Turnebus Advers. XIV, 22. p. 41. *quasi obrussa* Orellius.

259. qui cum] Deest *qui* ed. pr.

Supersunt XL. fere comoediarum fragmenta, quae L. Spengelius collegit Monachii 1829.

Pacuvium] Pacuvius natus a. 535. diutissime vixit: anno enim 625. Orestem tragoediam docuit nonagenarius. In Laelio c. 7. *Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula!* Cf. annot. in c. 64, 229. Eodem fere anno decessit, si quid ex Hieronymo colligimus, haec in Ol. 156, 3. sive a. 600. ponenti: *Pacuvius Brundusinus tragoediarum scriptor clarus habetur vixitque Romae, quoad picturam exercuit ac fabulas vendidit. Deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit.* Pacuvius igitur minus bene quam Laelius et Scipio locutus esse dicitur, quod Brundusinus erat homo, non Roma oriundus. Cf. Bernh. *Röm. Litt.* p. 180. coll. 193.

nec eos] Legitima fuit constructio *nec quos*, quam ad Graecam rationem (Bernh. Synt. Gr. p. 304.) Cicero deflexit. Cf. Ochsnerus in Eclog. p. 404. et Zumpt. Gr. p. 637. Huius licentiae impatiens Gulielmus, probante Schützio, parum feliciter coniectabat: *nec os barbarie d. infuscaverant.*

barbaria domestica] Mala consuetudo domestica. Nam ut nobilissimi quique, nominatim Laeliorum familia, integritatem usus domestici retinebant, ita bene Latine loqui videbantur: v. c. 58.

vetustas] Tempus diuturnum et annorum vicissitudines.

Athenas] De qua re clarissimus locus est libri de Republ. Athen. II, 8. qui Xenophonti tribuitur.

259. T. Flamininum] V. c. 28. ubi hunc ipsum, annis sane grandem, se vidisse testatur.

bene Latine] Ernestius intelligendum aut addendum putabat *loqui*. Sed ex sequenti *nesciebat* supplendum *scire*.

Catulus] V. c. 35.

vitas vocis et lèvis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia se valde dilatandis litteris a similitudine Graecae locutionis abstraxerat, sonabatque contrarium Catulo subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem quasi inculta et silvestri via ad

levis] Sic ed. pr. i. e. *laevis*. Id occuparat Santenius in Terentian. p. 247. *lenis* vulg. De quarum vocum permutatione dictum, in c. 25, 96. Cf. c. 35, 133. *De sono vocis et suavitate appellandarum litterarum, quoniam filium cognovisti, noli expectare quid dicam.* Levitas, quoniam lenitatem sua sponte promit, magis videtur convenire.

quia se] *qui* Ernestius, improbante Schützio. Cicero modo dixerat, laudem locutionis emendatae atque Latinae quondam non fuisse rationis aut scientiae, sed bonae consuetudinis, cum eorum multi, penes quos illa laus fuisset, litteras nescierint. Sic Flamininus, Catulus, Cotta, quamquam rudes erant litterarum, bene loqui existimabantur. [Profuit Cottae species locutionis popularis, a qua suspicio Graecanicarum artium abesset. Ita quam prae se ferebat fortem et rusticam sonorum vastitatem, ea quamquam auribus venustis debuit displicere, tamen (hoc est enim *quidem*) alteram laudis rationem ostendebat.]

alia quidem] *alia quadam* Manutius, quem plures sequuntur. Sed particula refertur sententiae praecedenti: *sed tamen suavitas*

appellatio] I. e. pronunciatio. De quo dictum in c. 35, 133. *suavitate appellandarum litterarum.*

famam confecerat] Dicendi rationem *conficere famam* a Graecis manasse putabat Muretus V. Lectt. VII, 16. allato Plat. Apolog. p. 20. D. ὅ ἐμοὶ πεποίηκε τὸ ὄνομα. Sed haec domi nascebantur Ciceroni.

Cotta] V. c. 36.

dilatandis litteris] De Orat. III, 11. *L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae sonoque vocis agresti, et illud quod loquitur priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum.* Ib. c. 12. *Quare Cotta noster — non mihi oratores antiquos sed messores videtur imitari.* Quint. XI, 3, 10. *Verborum atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem antiquitatis affectant.* Dilatationem autem litterarum, quasi πλατειασμὸν quendam, Cicero De Orat. II, 22, 91. *verborum latitudinem* vocat.

a similitudine] Graeci litteras iucundius pronunciabant, quorum eloquendi ratio levius sonaret quiddam: cum Romanorum ipsis sonis esset durior, iudice Quintil. XII, 10, 27. [Huius testimonio si putamus utendum, immerito Cotta reprehensus est in ea re, quam nemo Romanus iniuria sermonis vernaculi potuit devitare. Nam Quintilianus omnino hilariorem et vocaliorem contendit esse Graecam elocutionem, vix ut imitationi locus sit; eamque ob causam poetas Latinos, quoties dulce carmen efficere voluerint, Graecis id nominibus exornare. Verum probabiliores olim habiti sunt oratores, qui nullam Graecarum litterarum significationem umbraeve scholasticae darent: v. de Orat. II, 7, 28. 36, 153. quaeque tradidimus hist. litt. Rom. p. 25. Igitur Cotta prudenter antiquitatem simulabat: ut nihil fere recederet a populari simplicitate, nec supra naturalem facundiam emineret.]

eandem laudem pervenerat. Sisenna autem quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. 260. Quidnam istuc est? inquit Brutus: aut quis est iste C. Rusius? Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante C. Rutilium Sisenna defendens dixit, quaedam eius *sputatilica* esse crimina. LXXV. Tum C. Rusius, *Circumvenior,* inquit, *iudices, nisi subvenitis. Sisenna quid dicat nescio: metuo insidias. sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio.* Maximi risus: sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse inusitate loqui. 261. Caesar autem rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quae, etiamsi orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine.

vocis et levis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat. Catulus enim vocis suavitate, Cotta rusticitate tulit assensum. Placet etiam in c. 76, 264. *praeceps quidem*, ubi *quaedam* editur.

C. Rusio] *C. Erucio* Pighius ad a. 613. cum eoque Schneid. Schütz. Weichert. Poett. Reliqu. p. 101.

260. C. Rutilium] Item ed. pr. *chirtilium* D. et edd. vett.

sputatilica] *sputatilitica* cod. Turnebi in Adversar. XIV, 22.

crimina . . Rusius] *criminatum. C. Rusium* ed. pr.

C. 75. dicat] *dicas* edd. ante Ernestium, qui cum libris paucis tertiam personam, ut in oratione ad iudices conversa, probavit.

261. consuetudine] Haud inscite Schützius *locutione*, quem sequitur Frotscherus in Quint. X, 1, 114. p. 100. Huic Orellius opposuit: „rectissime Cicero, qui nil molitur inepte, voc. *consuetudo* repetiit. Utrumque scil. et corruptum et incorruptum erat in consuetudine sive usu loquendi, oppidanorum urbanorum, Staienorum Muciorum: sed purum Caesar deligebat.“

emendat] *emendabat* ed. pr.

et sis] Item ed. pr. *at sis* Lamb. et Ern. Vide nos in c. 29, 110.

Sisenna] V. c. 64.

260. accusator vetus] Lepide significatur homo subactus dolis accusatoriis, id est, veterator. Similiter *vetus* in vituperatione posuit Terentius Andr. Prol, 7. *vetus poeta.*

sputatilica] Levia, contemnenda, quaeque sputae instar flocci sint habenda: nam a spuendo derivavit Sisenna *sputatilicus.*

C. 75. 261. in bono lum. collocare] Caesar oratoriis utitur ornamentis, et ut ingenium laudatur artificis, qui partes picturae quam maxime splendidas et efficaces sciat in apto lumine collocare: ita Caesar praestantiam orationis purae sententiis et figuris bene delectis et concinnatis decore commendat et quasi luminibus illustrat. Vide potissimum c. 37.

Hanc cum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. 262. Tum Brutus: Orationes quidem eius mihi vehementer probantur, complures autem legi, Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu

magnifica et generosa] Sic edd. vett. Corradus tamen et Lambinus praeferunt e Suetonio petitum *magnificam et generosam*, quod Orellio haud displicet. Sed Suetonio nolim uti huius rei teste: qui quidem alia verba omiserit, quae nos in edita lectione cogunt acquiescere. Saltem *forma* coniecturae repugnat: quid est enim *rationem dicendi tenet voce, motu, forma magnificam et generosam?* Cicero dicit, splendidam esse Caesaris eloquentiam, eamque voce, gestu, forma corporis admodum iuvari. Ac dicitur ille voce acuta, ardenti motu gestuque, non sine venustate pronunciasse. [Hanc ipsam explicationem nihil opinor a Lambini ratione differre, quam haud mediocriter commendat additum *quodammodo:* nam *forma generosa* citra figurae licentiam intelligitur. Praeterea ferrem ablativos, si describeretur orator etiamtum in causis et luce forensi versans: in Caesare autem rerum Romanarum arbitro nihil debuit nisi maiestas orationis laudari, cuius magnificentiam olim vox, motus, forma corporis augeret. Nam quod Ernestius sive Wetzelius supplebat *est*, maiore distinctione post *motu* facta: mireris id hominibus Tullii gnaris in mentem venisse.]

262. complures] *complurimis* ed. pr.

in communibus] I. e. Caesar hanc praeter ceteras laudes, quae ei cum aliis sunt communes, propriam sibi habet, consuetudinem integerrimam cum summis oratoris virtutibus coniunctam.

cui debeat cedere] Suetonius in Caesare c. 55. *Cicero ad Brutum oratores enumerans negat se videre, cui Caesar debeat cedere, aitque eum elegantem, splendidam quoque atque etiam magnificam et generosam quodammodo rationem dicendi tenere.*

veteratoriam] Artificiosam et nimia diligentia suspectam: qualem Macri fuisse c. 67. dixit.

262. commentarios] Suetonius in Caesare c. 56. *De commentariis Cicero in eodem libro sic refert: Commentarios scripsit valde quidem probandos; nudi sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta: sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volent calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit.* Ceterum hic index commentariorum, quem Graeci vertunt ἐφημερίδας vel ὑπομνήματα, non paucis olim imposuit, ut historiam non iustam et consummatam, sed materiam quandam subitariam, qualis solet memoriis Gallorum contineri, male suspicarentur a Caesare fuisse relictam.

nudi] Qui non orationis ornatu, sed naturali quadam et ingenua pulchritudine pollent.

recti] Quicquid in oratione sine varietate et ornatu figurarum, simplici tamen et puro sermone

orationis, tanquam veste detracta: sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deter-

detracta] Hac in scriptura non Ciceronis solum codices, sed etiam Suetonii consentiunt omnes: quorum consensus adeo non fortuitus esse potest, ut licentiam magis quandam sermonis Latini quam vitium inesse verbis credi necesse sit. Simplex enim erat sententia, omni carent ornatu tanquam veste: ut pronunciandum fuerit, *omni ornatu orationis tanquam veste detracto.* Nunc ordinem quasi mutavit, haud rara licentia. Sallust. Hist. I. Orat. Philippi 7. *Qui videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem.* Legitimum erat *attingant*, sed ad *fulmen* verbum direxit. Cic. Verr. I, 21. *multo diligentius habere dico Servilium praedam populi Romani quam te tua furta notata atque perscripta:* iustum erat *notatam atque perscriptam.* De Offic. I, 23. *bellum ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.* Ovidius Met. XI, 82. *Pectus quoque robora fiunt.* Cf. Zumpt. Gr. p. 335. Alia dudum exempla congessere, lectionem codicum defendentes, F. A. Wolfius, Matthiae de Anacoluth. p. 12. et in orat. Manil. 5, 11. sive eodem in loco Beneckius p. 112. Sunt tamen qui corrigant *detracto*, nominatim Lamb. Ernest. Orelliusque. [Apparet locos istos non eiusdem esse generis: quos quidem post M. Heusingerum, qui bonam partem in Nepotis Themist. 7. praeceperat, alius ab alio solet mutuari. Velut in Tullianis, *nihil aliud nisi pax quaesita*, formulae vis potius ad sensum revocatur quam ad iuncturam grammaticam: quemadmodum Plato Symp. p. 206. *οὐδέν γε ἄλλο ἐστὶν οὗ ἐρῶσιν ἄνθρωποι ἢ τοῦ ἀγαθοῦ.* Omnino ea structurae ratio, quae verbum patitur cum praedicato quodam coalescere, quo validior existat unius sententiae compages, faciliorem habet veniam quam temeritas attractionis, quae magis arbitrio sensuque scriptoris obscuro quam necessitate regi videatur. Vera quidem observat Iac. Heusing. in Offic. p. 695. *nec raro comparationem atque allegoriam tam belle coniungit ac miscet, ut haec ab illa magnam claritatem, illa vero ab hac miram suavitatem mutuetur:* ita tamen, ut haec suis legibus astringantur et pro consilio dicentis severius distinguantur. Nostrum vero *detracta* feramus si minus propter locorum similitudinem, at certe librorum auctoritatem reveriti: quibus haud scio an libentius simus obtemperaturi, si talem sequamur explanationem: omni ornatu orationis *et* tanquam veste detracta.]

parata] *paratum* Corradus et Lamb.

volent] Firmat ed. pr. *volunt* D. Gu. 1. 2. cum edd. vett. quibusdam. Suetonius tamen melius, *qui illa volent.*

enunciatur, Latini rhetores Graecorum imitatione *rectum* dicunt: v. Ernestii Lex. Rhet. s. v. Nos: *geradsinnig.*

calamistris inurere] Calamistris nimius orationis ornatus significatur. Orat. 23. *tum removebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur.* Dial. de Oratt. 26. *Malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallio-*

ruit. nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur.

LXXVI. 263. C. Sicinius igitur, Q. Pompeii illius, qui censor fuit, ex filia nepos, quaestorius mortuus est; probabilis orator, iam vero etiam probatus, ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina. ea dat rationes certas et praecepta dicendi, quae etsi minorem habent apparatum (sunt enim exilia),

nihil est enim] Sic ed. pr. *nihil enim est* vulg. V. in c. 49, 181. vita excesserunt] Sic libri: *e vita exc.* Lambinus, usum Ciceronis secutus. Sed v. Tusc. I, 13.

C. 76. 263. iam vero] Item ed. pr. *immo vero* Lamb. et Wetzel. Illud defendit Hand. Tursell. T. III. p. 139.

quae etsi] Sic ed. pr. cum libro Rivii, quod optarat Lamb. *quae si* vulg.

nis. [Compara formulam Dionysii, cuius etiam Victorius V. L. IX, 5. admonuit, κτενίζων καὶ βοστρυχίζων, supra prolatam in c. 20, 78.]

pura et illustri] Wetzelius haec adiectiva iungens cum *historia* sic explicat: nihil est in historia pure et dilucide conscripta dulcius brevitate. Sed praegressis nihil inest quod ad solam brevitatem referri possit. Immo par est copulari *pura et illustri brevitate. Pura brevitas* dicitur nativa, quae neque vanum ornatum neque acumina captat, sed cum ratione et apta simplicitate tractatur (v. Ernestii Lex. Techn. v. *purus*); *illustris* autem brevitas (qualem Sallustius et Tacitus sectantur), ea quae luminibus dicendi varietatem rerum et affectuum exornat. Nos paulo latius: *eine Kürze die reinen Geschmack und ausdruckvollen Vortrag besitzt.* Talem autem virtutem atque colorem nemo non in Commentariis Caesaris agnoscit.

C. 76. 263. C. Sicinius] Quaesturam gessit a. 677.

Q. Pompeii] V. c. 25.

Hermagorae] Hermagoras rhetor Rhodi artem profitebatur; quem Pompeius confecto bello Mithridatico a. 692. illic audiit. Hunc igitur triginta certe annis ante, quam Pompeius eum audiit, rhetoricam docuisse, Clintonus in Fastis p. 543. opinatur: ante Molonem enim id factitasse constat. Scripsit multos libros de rhetorica, ac magnam sibi famam oeconomia quadam topica sive praeceptis inveniendi dispensandique causas et theses comparavit. V. Suidas v. Ἑρμαγόρας, Westerm. Hist. Eloqu. Gr. p. 183. Bernh. *Griech. Litt.* p. 403.

apparatum] Nam praecepta Hermagorae, neglectis iis quae ad orationis ornatum et copiam verborum spectarent, ordinem et dilucidam rerum collocationem afferebant, cum ad locos inveniendo disponendoque aptos singulae partes revocarentur. Mox c. 78. *doctus Hermagorae praeceptis, quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur.* In eandem sententiam Cicero iuvenis de Invent. I, 6. ostenderat, ab Hermagora philosophis magis quam oratoris officio prospectum fuisse.

tamen habent ordinem et quasdam errare in dicendo non patientes vias. has ille tenens, et paratus ad causas veniens, verborum non egens, ipsa illa comparatione disciplinaque dicendi iam in patronorum numerum pervenerat. 264. Erat etiam vir doctus inprimis C. Visellius Varro, consobrinus meus, qui fuit cum Sicinio aetate coniunctus. is cum post curulem aedilitatem iudex quaestionis esset, est mortuus: in quo fateor vulgi iudicium a iudicio meo dissensisse. Nam populo non erat satis vendibilis: praeceps quaedam, et cum idcirco obscura, quia peracuta,

264. praeceps quaedam] *praeceps quidem* Schneider. Placet illud *quidem*, quod concedit (cf. c. 74.) Visellium aliqua ex parte reprehendendum fuisse, cuius oratio praeceps ferretur et obscurior, sed ita, ut contra memoretur, quid in eo valde laudari debuerit.

Porro quid *apparatus* sit intelligi licet ex I. Orat. 53, 229. *Dixit causam illam quadam ex parte Q. Mucius more suo nullo apparatu, pure et dilucide.* Sed inprimis adiri convenit ad Att. II, 1.

comparatione] Praeparatione vel studiis.

264. C. Visellius Varro] Tribunus militum C. Claudio Nerone praetore, qui Asiae provinciae a. 674. praefuit, Verrin. II. 1. 28. Quaesturam gessit a. 677. De Cicerone restituendo T. Fadio trib. pl. legem scripsit a. 696. Ad Attic. III, 23. quamquam alium Visellium hoc loco putat intelligendum Ellendt. De huius moribus non licet ex iis quae Valerius Max. VIII, 2, 2. tradit tuto existimare.

iudex quaestionis] Madvigius de Asconio p. 130. „Remoti sunt a praetorum iudiciis iudices quaestionum, ab horum praetores, idque ita fuisse multo magis perspicietur, si causam huius muneris instituti intellexerimus. Cum enim plures novis legibus iam ante Sullam constitutae essent quaestiones perpetuae, neque iis sex praetores sufficerent, quorum duos iuris dictio utraque occupabat, neque facile magistratuum numerus augeretur, creati necessario ad ceteras quaestiones administrandas quaestionum iudices sunt. Auxit Sulla praetorum numerum, ut octo essent; sed quaestiones eo tempore aut, ut vulgo putant, octo, aut, ut Garatonius censet, novem erant, quibus si iurisdictiones addimus, hoc quoque tempore duas aut tres quaestiones praetoribus caruisse patet; raro enim vel nunquam hoc tempore uni aut duas quaestiones aut utramque iurisdictionem demandatam recte Garatonius docuit. Hae igitur iudicibus quaestionum obveniebant."

vendibilis] Acceptus et popularis. Vide c. 47.

praeceps] Oratio praeceps est, cum res neque ordine nec diserte explicantur, sed aut uno verbo tanguntur, ita ut auditores vix rationes causae divinare possint, aut perturbatione quadam animi praepediuntur ac temere distrahuntur.

peracuta] Plena quidem acuminis oratio, sed obscura, quod eius nimia subtilitas non in communem sensum cadebat, sed intelligentiam vulgi fugiebat.

tum rapida et celeritate caecata oratio; sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim neque sententiis crebriorem, praeterea perfectus in litteris, iurisque civilis iam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam. 265. Reliqui sunt, qui mortui sint: L. Torquatus, quem tu non tam cito

rapida et] *et rapida* Schneid. Rectius *et* Schützius delebat: uterque iungentes *rapida celeritate*.

caecata] *citata* ed. pr.

265. mortui sint] Sic ed. pr. Sed verius Gu. 1. 2. *mortui sunt*, probatum Schützio: nescio enim quae ratio sit coniunctivi. Orellius tamen auribus aliquid Ciceronem dedisse censet. [Haud obscurum videtur, utrum sit praestabilius. Nam Cicero cum identidem affirmet de mortuis tantum oratoribus se iudicaturum esse,

[caecata] Recte Wetzelius contulit Agrar. II, 14. *Cur hoc est tam obscurum atque caecum?* Sed minus recte putavit orationem caecatam dici sive obscuratam, quam Visellius pronunciarit celerius atque vehementius. Adeo fugit illum, quod cum usus rhetorum constantissimus evincit ab Ernestio Lex. Rhet. v. τάχος sive in Plin. Epp. I, 20, 18. declaratus, tum perspicua Cic. Orat. 16, 53. verba, *celeritatem* ad vigorem et impetum orationis referri, quae per summam brevitatem decurrat et aculeum in legentium animis relinquat. Itaque Visellius omnia corripiebat flumine et volubilitate dicendi, sublatis moris et distinctis intervallis, ita ut ad finem properans nec sibi neque auditoribus ullas concederet respirationes. Cuius ardorem optime depingit, quod in transcursu propter Schneiderum monenus, edita scriptura: nam et sententias crebras argumentaque demonstrationis festinavit, et elocutionem attulit velociorem, quae coronae captum et memoriam eluderet. Hoc igitur strepitu commiserat ut orationi quamvis prudentissimae caliginem quandam offunderet, ut fumus solet supellectilis et armorum splendorem occaecare. V. de Orat. II, 80. Similiter Graeci de rebus perplexis ἐπιτεθυμμένον et quae ad huius cognationem accedunt, illustrata Ruhnkenio in Tim. p. 250. sq.]

Aculeone] *C. Aculeo eques Romanus, homo acutissimo ingenio, sed minime ceteris artibus eruditus, optime tenebat ius civile:* de Orat. I, 43, 191. Is in matrimonio habebat sororem Helviae, matris Ciceronis: de Orat. II, 1, 2.

265. L. Torquatus] L. Manlius Torquatus a. 688. P. Sullam consulem designatum ambitus accusavit, eique consulatum eripuit, quem ad patrem suum detulit. (De patre quidem L. Torquato consule a. 689. diximus in c. 68.) Aedilis curulis a. 703. Praetor a. 705. bello civili Pompeii partes secutus, et a Caesare conservatus, duobus annis post a. 707. a Caesarianis ad Hipponem Regium oppressus est. V. Hirtius de B. Afric. 96. In Fragm. Oratt. p. 219. tres Torquatos non esse distinctos supra confessus sum in c. 68. Quod reprehendens Westermannus p. 208. ipse in errorem incidit, cum diceret hunc Torquatum filium eundem esse, ad quem Horatius Carm. IV, 7. et Epistol. I, 5. miserit: is enim longe fuit minor natu, quod Weichertus de Cassio Parmensi p. 307. egregie demonstravit.

cito] *non cito* sic fere ponitur ut *haud facile*. V. Ruhnk. in Terent. Adelph. III, 3, 89. et Hand.

rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam ut Graeci dicunt πολιτικόν. erant in eo plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae; divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. atque haec omnia vitae decorabat dignitas et integritas. Me quidem admodum delectabat etiam Triarii in illa aetate plena litteratae senectutis oratio. quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! 266. Tum Brutus Torquati et Triarii mentione commotus (utrumque enim eorum admodum dilexerat), Nae ego, inquit, ut omittam cetera, quae sunt innumerabilia, de istis duobus cum cogito, doleo, nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuisse! Nam nec

molestum et inutile foret additamentum *qui sunt mortui.* Nunc autem condicionem quasi repetens olim inculcatam reliquos ostendit se collecturum, sed reliquos tamen ex numero mortuorum.]

gravitas] *granditas* Orellius. Vid. c. 9, 35.

dignitas] Sic ed. pr. *gravitas* quod librario debetur aberranti, inde ab edd. vett. vulgo propagatum, antequam de Rivii coniectura cum ab aliis criticis tum ab Ernestio prius est receptum, Orellio dissentiente.

nihil non] *non nihil* ed. pr.

246. Triarii] *Marii* ed. pr.

de istis] *ex istis* ed. pr.

Tursell. T. II. p. 77. Turnebus in Advers. XIV, 22. comparat τάχα: debebat ταχύ.

πολιτικόν] Eum intelligit, qui in senatu facile personam principis viri tueri possit: cf. c. 20, 80. [V. Santen. in Terentian. p. 191. sq. Huius vocis consideratio facile movet suspicionem, non *rhetorem* de oratore dixisse Ciceronem, qui significatus ab illius et probatissimi cuiusque more abhorret, sed ῥήτορα, quod librarii oblitterarint. Utrique autem membro commune est *ut Graeci dicunt.*]

Triarii] C. Valerius Triarius a. 708. tribunus pl. Postea bello civili a Pompeio classi Asiaticae praefectus interiit a. 707. Caesar. B. Civ. III, 5. Eum pariter ac Torquatum cum Graecis litteris eruditum tum philosophiae studiosum fuisse Cicero praedicavit de Finibus I, 5. Eundem quod accusasse Scaurum Cicerone defendente a. 700. tradit Billerbeckius, is fuit P. Triarius, ut ex Asconio in Scaur. p. 19. cognoscitur.

litteratae senectutis] Sermo eius, quamvis esset adolescens, maturitatem quasi senis prae se ferebat. V. annot. in c. 43. *extat in eam legem senior, ut ita dicam, quam aetas illa ferebat, oratio.*

266. auctoritatem] Cicero auctor suasorque pacis fuerat perpetuus, quo civile bellum inter Pompeium Caesaremque evitaretur: nam bene perspexerat actum fore de republica, quamcunque in partem eventus belli cecidisset. Sic enim Epp. IX, 17. *fiet quodcunque volent, qui valebunt: valebunt autem semper arma.* Sed digni sunt loci qui toti perlegantur praeclarorum sensuum plenissimi Epp. IV, 14. VI, 6. XVI, 12.

istos excellentes viros nec multos alios praestantes cives res publica perdidisset. Sileamus, inquam, Brute, de istis, ne augeamus dolorem. nam et praeteritorum recordatio est acerba, et acerbior expectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere, et tantum, quid quisque dicendo potuerit, quoniam id quaerimus, praedicemus.

LXXVII. 267. Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus, qui et scriptitavit accurate, cum praesertim non esset orator, et egit multa constanter; Appius Claudius, socer tuus, collega et familiaris meus: hic iam et satis studiosus, et valde cum doctus tum etiam exercitatus orator, et cum auguralis tum omnis publici iuris antiquitatisque nostrae bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, sed Latine tamen et multa

praestantes] *praestantis* ed. pr. item ut §. 269. *omnis*, et alia eiusdemmodi.

ne augeamus] *nec augeamus* ed. pr. et codd. quidam.

C. 77. 267. auguralis] *augurii* Lamb. in marg. 1584.

C. 77. 267. M. Bibulus] M. (alii *Lucium* dicunt, ut in Fastis Consular. Laurentii est) Calpurnius Bibulus plerosque magistratus cum Caesare obtinebat. A. 689. aediles curules uterque, a. 692. iidem praetores, a. 695. iidem consules. Tum Bibulus optimatibus deditus restitit Caesari, sed cum parum ingenio valeret et irrideretur, post vanos conatus a curia abstinebat, satis habens edicta et conciones (quarum meminere Suetonius Caes. 9. 49. et Plut. Pomp. 48. post Cic. ad Att. II, 19.) emisisse, quibus in Caesarem inveheretur acerbissime. A. 703. proconsul Syriam rexit. Deinde bello civili a Pompeio classi praepositus a. 705. anno sequenti 706. morbo moritur. Cf. Drum. T. II. p. 97.

cum praesertim] Quamvis per se non esset magnus orator. [V. in §. 278.]

Appius Claudius] Appius Claudius Pulcher adolescens Terentium Varronem, virum praetorium, repetundarum postulavit a. 679. Praetor a. 697. inter contentiones, quae de restituendo Cicerone agitabantur, neutram in partem egit. Consulatu functus a. 700. sequenti anno proconsul Ciliciam administravit, in qua provincia successorem habuit Ciceronem. Reversus a. 704. a P. Dolabella maiestatis postulatur, nec multo post ab eodem ambitus; absolutus autem patrocinio Bruti et Hortensii (vide c. 64. extr.), vehementer etiam annitente Pompeio. Eodem anno censor creatus est. A. 705. bello civili Pompeium secutus in Graeciam profectus est, ubi ante pugnam Pharsalicam morbo periit. V. Drum. T. II. p. 185. Erat collega Ciceronis in auguratu, qui plures epistolas ad eum misit in lib. III. Reliquit orationes atque libros augurales sive de disciplina augurali. V. Epp. III, 11, 12. coll. II, 13. De Legg. II, 13. De Divinat. I, 47. Tusc. I, 16. Festus pp. 193. 237. 241. 242.

L. Domitius] L. Domitius Ahenobarbus praetor a. 696. adversus Caesarem egit in senatu: et extabat Caesaris in eum oratio. Consul fuit a. 700. illius Appii collega. In bello civili Corfinii captus et dimissus a Caesare a. 705. interfuit proelio Pharsalico, ubi An-

cum libertate dicebat. 268. Duo praeterea Lentuli consulares, quorum Publius, ille nostrarum iniuriarum ultor, auctor salutis, quicquid habuit, quantumcunque fuit, illud totum habuit e disciplina; instrumenta naturae deerant: sed tantus animi splendor et tanta magnitudo, ut sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret asciscere, eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus satis erat fortis orator, si modo orator, sed cogitandi non ferebat laborem; vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio: quaereres in iudiciis fortasse melius, in re publica, quod erat, esse iudicares satis. 269. Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo; de re publica vero non minus vehemens orator quam bellator fuit: effrenatus et acer nimis, sed bene iuris publici leges atque instituta cognoverat.

268. e disciplina] *et disciplina* ed. pr. *ex disc.* vulg. inde ab Lamb.

tantus animi] *tantus erat animi* Lamb. in marg. 1584. Sed praestat verbum cogitari.

terroris] *fervoris* Purgold. *verba non horrida sane, plena animi et terroris oratio* Schütz. Sed in verborum structura minime haerendum: oratio ea, ut esset animi plena et terroris. *Terror*, ait Orellius, Ciceroni nihil aliud est nisi δεινότης: quod firmatur c. 11, 44. *Periclis ubertatem et copiam admiratae, eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt.*

269. nimis] Deest ed. pr.

tonius eum occidit. V. Caes. B. Civ. III, 98. et Suet. Ner. 2. De Cn. Domitio patre supra c. 45. dictum est.

268. duo Lentuli] P. Corn. Lentulus Spinther aedilis curulis a. 691. praetor a. 694. propraetor a. 695. Hispaniam rexit, consul a. 697. Ciceronem exulem restituit: qui Lentulo rerum suarum statori gratissimum animum et pietatem luculente profitetur, testibus etiam epistolis IX. libri I. Inde Ciliciam et Cyprum administravit ab a. 698. ad a. usque 701. Bello civili Pompeio se adiunxit: quando Corfinii captus et dimissus est a. 705. Post pugnam Pharsalicam Pompeium in Aegyptum comitatus vita decessit a. 707. V. Drum. T. II. p. 533. Alter Lentulus est L. Corn. Lentulus Crus: qui a. 693. Clodium ob violata sacra Bonae deae accusavit. Praetor a. 695. Consul a. 705. odio Caesaris et oppressus aeris alieni magnitudine bellum civile excitavit. Pompeium in Aegyptum secutus una iugulatur a. 706. Huius exitum non sine aculeo tetigit ad Att. XI, 6. V. Drum. I. I. p. 548.

cogitandi] Meditandi sive commentationis.

in iudiciis] Iudiciali generi dicendi, quod difficillimum est, non satisfecit. Similiter c. 45, 165. *eloquentiae tantum, quod esset in rebus privatis amicis eius, in re publica ipsius dignitati satis.* Cf. in c. 84, 289.

269. T. Postumius] T. Postumius praetor a. 697. Huic senatus

Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitiosum esse, si (ut dixisti) ii, quos iamdiu colligis, viverent. Omnes enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi imprudens M. Servilium praeterisse videare. LXXVIII. 270. Non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi, multos fuisse, qui verbum nunquam in publico fecissent, cum melius aliquanto possent quam isti oratores, quos colligo, dicere: sed his commemorandis etiam illud assequor, ut intelligatis primum, ex omni numero quam non multi ausi sint dicere, deinde, ex iis ipsis quam pauci fuerint laude digni. 271. Itaque ne hos quidem * equites Romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cor-

C. 78. ut intelligatis] *et ut int.* ed. pr.
ex iis ipsis] *ex his ipsis* ed. pr.
271. ne hos] *non hos* ed. pr.

initio belli civilis a. 705. Siciliam provinciam decrevit.

ut dixisti] C. 69, 244. *Non puto, inquam, existimare te ambitione me labi, quippe de mortuis.*

stantes] I. e. qui palam in concione surrexerint ad loquendum.

M. Servilium] M. Servilius Geminus tribunus pl. a. 694. cuius fit mentio ad Att. VI, 3.

C. 78. 270. illud assequor] Haud dissimiliter c. 69. *volo autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, verum qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse.*

271. Itaque ne hos quidem] Verbum deest: Ernestius quidem ex superiore *praeterisse videare* suppleri iussit *praetereo*: ego tamen excidisse putabam, *omitto, relinquo* vel simile quid. [Mihi quidem intuenti formulas, quae solent in praegressis, siquando de tramite paulisper Cicero deflexit, orationem retexere, *sed ad sermonem institutum revertamur; sed — redde quae restant; sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur*, longius etiam progrediendum videtur. Neque enim probatur aut dictum *hos equites Romanos*, ubi causam pronominis in memoria virorum mortuorum et ignobilium frustra circumspicimus; aut transitus quidam subitarius ab iis hominibus, quos crederes in cumulum addi, sic praeter artem ad ingenia praestantissima, Pisonem, Caelium, Calidium, paratus. His expensis sane vereor ne post illud initium *Itaque ne hos quidem* haud ita pauca perierint, quibus Cicero, postquam recensum suum obscurorum nominum tutatus erat, quasi e deverticulo reversus eos qui restarent se redditurum ostenderit.]

P. Cominium] Extabat oratio Cominii, quam adversus C. Cornelium dixit a. 689. Cicerone defendente. Asconius in Argumento Cornelianae sub finem: *Extat oratio Cominii accusatoris, quam sumere in manus est aliquod operae pretium, non solum propter Ciceronis orationes —, sed etiam propter semet ipsam.*

nelium; in quo et compositum dicendi genus et acre et expeditum fuit: T. Accium Pisaurensem, cuius accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat et satis copiose, eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis: quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. 272. Studio autem neminem nec industria maiore cognovi, quamquam ne ingenio quidem qui praestiterit, facile dixerim, C. Pisoni, genero meo. nullum tempus illi unquam vacabat aut a forensi dictione aut a commentatione domestica, aut a scribendo aut a cogitando. itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur; eratque verborum et delectus elegans et apta et quasi rotunda constructio; cumque argu-

T. Accium] *T. Actium* ed. pr.

opima] Sic libri, non, ut Ernestio videbatur, e coniectura Rivius. *optima* quaedam edd.

compositum dicendi genus] Intellige nitidum. In Orat. 70. *Quantum autem sit apta dicere, experiri licet, si compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum.*

T. Accium] T. Accius accusavit A. Cluentium a. 688. Cicerone praetore. Eum Accii poetae filium fuisse, qui in agrum Pisaurensem inter colonos erat deductus, opinabatur Schneiderus.

Hermagorae] Huius disciplinam supra tradidimus in c. 76. ad elocutionem sive ornatum oratorium leviter spectasse, cum in inventione et argumentatione totum eius studium esset positum. Quamobrem oratores descriptione causarum et materia copiosa, quae dicit argumenta, satis instructi, ceteris ita praestabant, ut praeceptis quamvis exilibus quasi hastis amentatis contendere viderentur et fortius orationem contorquere.

hastae amentatae] Hastae amentatae multo rapidius celeriusque feruntur. De Orat. I, 56. *In eo iure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori, eius partis quamcumque defendet auctorem aliquem invenire: a quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit.*

272. C. Pisoni] C. Calpurnio Pisoni Frugi Tulliam suam despondit Cicero a. 687. quamquam alii, ut Wetzelius et Orellius in Onomastico, assignant a. 689. Quaestor a. 696. quo anno diem obiit. V. Drum. T. II. p. 83. Huius continentiam et pietatem amanter Cicero collaudat, ad Fam. XIV, 1. 3. p. Sext. 31. in Vatin. 11.

forensi dictione] V. in c. 73, 256.

evolare] De Orat. I, 35, 161. *sic evolavit oratio, ut eius vim atque incitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim.* [Adde Epp. I, 7, 19. *quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi; evolare altius certe noluerunt.* Comparandus etiam Graecorum usus, qui de laetis et concitatis animorum studiis frequentant ἀναπτεροῦσθαι: v. Villois. in Long. p. 91. sq.]

menta excogitabantur ab eo multa et firma ad probandum, tum concinnae acutaeque sententiae; gestusque natura ita venustus, ut ars etiam, quae non erat, et e disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor, ne amore videar plura quam fuerint in illo dicere: quod non ita est; alia enim de illo maiora dici possunt. nam nec continentia nec pietate nec ullo genere virtutis quemquam eiusdem aetatis cum illo conferendum puto. LXXIX. 273. Nec vero M. Caelium praetereundum arbitror, quaecunque

272. fuerint] *fuerunt* Gu. 1. 2.

C. 79. 273. M. Caelium] M. Caelius Rufus natus a. 672. M. Crassum et Ciceronem, ad quos a patre deductus erat (v. pro Cael. 4.), in arte dicendi magistros habuit. A. 691. Catilinae se tradidit, etsi non habitus inter coniuratos. A. 695. C. Antonium, Ciceronis collegam in consulatu, coniurationis Catilinariae et maiestatis reum fecit. Quaestor a. 697. Bis postulavit ambitus L. Sempronium Atratinum a. 698. Eodem anno cum L. Sempronius Atratinus filius eum accusasset, habuit orationem quae ferebatur *pro se de vi;* defenditque Cicero, cuius etiamnum legitur oratio pro Caelio. Tribunus plebis a. 702. Milonem defendit, qui P. Clodium interfecerat. Anno sequenti Q. Pompeium Rufum in tribunatu collegam in ius vocavit de vi, cum in funere Clodii, amici sui, incendii caedisque crudelis auctor fuisset. Curulis aedilis a. 704. In hoc magistratu concionem habuit *de aquis.* In bello civili ad Caesarem transiit a. 705. Praetor a. 706. novas tabulas moliens, cum obaeratus esset et perditus homo voluptate, magistratu privatur a consulibus, paulo post etiam oppressus est per tumultum. V. potissimum Vellei. II, 68. coll. Drum. T. II. p. 411. Homo fuit moribus lascivus et inconstans, cuius acerbitatem et fervorem eloquentia confirmabat a Quintiliano non sine laude memorata. Reliquit orationes nonnullas, ab Westerm. p. 209. breviter significatas, quarum fragmenta posuimus in Oratt. Fragm. p. 194. sqq. Litteris eruditum fuisse non solum id declarat, quod de geometria librum ei Varro inscripsit, sed certius etiam commercium epistolarum ad Ciceronem missarum, quae supersunt in huius Epp. libro VIII. ubi Manutius praefationem dedit aptam ad Caelii res cognoscendas. [Praeterea tangenda videtur eorum sententia, qui Caelium in orationibus antiquo vel obsoleto sermone usum esse contendant. Scilicet Dial. de Oratt. 21. postquam illi laudem tribuit ambiguam, sic pergit: *Sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* Sane duo vel tria frustula magistri protulerunt a communi more diversa; sed hanc argumentandi viam si persequi libet, ipsum Tullium facile Catonibus et Sisennis annumerabimus. Verum Caelius, ut fuit homo versatilis et ingeniosus, ita sermonem, quocunque raperet accusatorius impetus et effrena libido, nulla ratione sinebat exultare et notationibus morum illustribus exasperabat. Orationem igitur hiulcam et confragosam dictis venustis, in quibus multam urbanitatem agnoscit

eius in exitu vel fortuna vel mens fuit: qui quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius; quam eius actionem multum tamen et splendida et grandis et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt; acres accusationes tres eaeque omnes ex rei publicae contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen saneque tolerabiles. Hic cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus es-

C. 79. 273. eius in] Item ed. pr. *in eius* D. fortuna] *forma* ed. pr.

Quintilianus, plerumque distinxerat, quae cum sordes convicii vulgaris et formulas inusitatas minime repudiarent, profecto fieri debuit ut plurimis in partibus Caelianae dictionis color plebeius et antiquitate plenus haberetur. Id colligi licet ex illius inventis quibusdam sane praeclaris: ut cum Plotium (Sueton. de clar. rhett. 2.) descripsit *hordearium rhetorem*, impudicam mulierem (Quint. VIII, 6, 53.) *quadrantariam Clytaemnestram*, item (ib. I, 5, 61.) *Pelia cincinnatus*, vel, quod Diomedes servavit, *oscitans hietansque astas*.]

civium perditorum] Velut Clodii.

quam eius actionem] I. e. omnia quae agebat et industriam eius publicam oratio splendida commendabat. [Sed repugnat vel particula *tamen*, quae excusantis est et mollientis aliquam reprehensionem. Vide modo c. 69, 242. *qui nullo acumine eam tamen verborum copiam* etc. Intelligamus potius actionem oratoris proprie dictam, quam Caelius, quippe vehementissimus ingenio, debuit in accusationibus effingere turbidam et contentiosam. Quid quod ipse motum et habitum parum sedatum excusat apud Quintil. XI, 1, 51. *Ne cui vestrum atque etiam omnium, qui ad rem agendam assunt, meus aut vultus molestior aut vox immoderatior aliqua aut denique, quod minimum est, iactantior gestus fuisse videatur.* Itaque leniter et sententia contractiore Cicero significat familiarem suum, cum civibus perniciosis paullo calidius sese obiiceret, labores forenses orationis nitore et festivitate commendasse.]

conciones] Unam de aquis novimus, in qua eos castigavit, qui fontes et aquaeductus publicos in hortos suos derivabant.

accusationes tres] Reos fecit C. Antonium, Sempronium Atratinum et Q. Pompeium Rufum. Alii D. Laelium dicunt, quorum Drumannus opinionem refutavit.

ex reip. contentione] Ubi pro re publica contendendum fuit, sive, in certaminibus reip. gravissimis, quibus ille defenderat senatus auctoritatem: ob eam rem laudatus Milon. 33. extr.

quae dixi] Laudarat accusationes. Huc spectat ipsius acute dictum: Quintil. VI, 3, 69. *Idem per allegoriam M. Caelium, melius obiicientem crimina quam defendentem, Bonam dextram, malam sinistram habere dicebat.*

aedilis curulis] Aedilis curulis erat designatus a. 703. quo anno proconsulatum Ciliciae admini-

set, nescio quomodo discessu meo discessit a sese ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat. 274. Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis; potius inter multos prope singularis fuit: ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. nihil tam tenerum quam illius comprehensio verborum; nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris aeque in potestate fuerit: quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret; nullum nisi loco positum et tanquam *in vermiculato emblemate,* ut ait Lucilius, structum verbum videres. nec vero ullum aut durum aut insolens aut humile aut longius ductum, ac non propria verba rerum, sed pleraque translata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienum

274. prope singularis] Sic cum ed. pr. *prope* deest Gu. 1. 2. D.
aut longius] *aut in longius* ed. pr.
tralata] Sic edd. vulgg. *translata* ed. pr. [Horum quam structuram editores voluerint esse nescio; sed si quidem talem debemus sensum efficere, *plerasque autem figuras et verborum translationes sic temperabat, ut ex necessitate videretur eas usurpasse:* ordine paulum inverso sic Ciceroni satisfaciemus, *sed pleraque translata sic, ut tamen ea non irr.* etc. Particulas *ut tamen* aliquanto reconditioris usus, quem alio loco persequemur, vel ex c. 55, 203. firmari licet.]

stravit Cicero. Qui magistratum illi gratulatus est Epp. II, 9.

274. M. Calidio] Huius quaesturam Ellendtus anno 686. vel 687. tribunatum anno 693. assignat. Eum praetorem fuisse a. 697. constat, cum de revocando Cicerone ageret. In bello civili Caesari deditus, (v. Caes. B. C. I, 2.) Galliam cisalpinam a. 706. obtinuit, in eoque magistratu a. 707. Placentiae diem obiit. Hieronym. Ol. 180, 4. = 697. *M. Calidius orator clarus habetur, qui bello postea civili Caesarianas partes secutus, cum Galliam togatam regeret, Placentiae obiit.* Is accusavit Q. Gallium a. 690. ipse postea postulatus a Galliis fratribus a. 703. cum Caelio parum se probabat. Hic enim Ciceroni scribit Epp. VIII, 9. *Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus.* Orationes eius rarissime excitantur: v. Oratt. Fragm. p. 200. Subtilitatem vero Quintilianus XII, 10, 11. tribuit; quaque admiratione huius ingenium Cicero sit prosecutus, demonstrat ipsa iudicii diligentia vel accuratissimis verbis comprehensa.

pellucens] Sive translucida et expolita. Imitatur Quint. VIII. Pro. 20. *Similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur.*

comprehensio verborum] Ratio periodorum: v. in c. 8.

Lucilius] Is versibus lusit in operosam Albucii elegantiam, quos Cicero repetiit de Orat. III, 43. et in Oratore c. 44. *Quam lepide λέξεις compostae, ut tesseru-*

locum, sed immigrasse in suum diceres. nec vero haec soluta nec diffluentia, sed astricta numeris, non aperte nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. 275. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. QVA DE RE AGITUR autem illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset videbat. LXXX. 276. Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis,

diffluentia] *defluentia* ed. pr.
dissimulanter] *dissimiliter* Lamb. in marg. 1584. Ut autem *eodem modo* et *varie*, sic *aperte* et *dissimulanter* sibi referuntur.
275. vocant Graeci] *Graeci vocant* ed. pr. cf. §. 265.
agitur autem illud] Item ed. pr. *autem agitur illud* Gu. 1. 2.
id ubi esset] Sic Corradus et Lambinus, quos sequuntur editores plerique. *et ubi esset* ed. pr. cum codd. *et quid esset*, *et ubi esset*, *videbat* Buttmannus in Nov. Act. Soc. Ien. p. 47.

lae, *omnes Arte*, *pavimento atque emblemate vermiculato.*

soluta] Supra c. 8. *Isocrates primus intellexit*, *etiam in soluta oratione*, *dum versum effugeres*, *modum tamen et numerum quendam oportere servari.* Verba igitur *soluta* sunt numeris destituta; eadem *diffluentia*, quae nullo numerorum vinculo coercentur.

275. Graeci vocant σχήματα] V. in c. 37. extr. coll. Orat. 25. Tob. 8.

insignibus in ornatu] Huc pertinet, quod Cicero dixit Orat. 39. *Et reliqua ex collocatione verborum quae sumuntur quasi lumina*, *magnum afferunt ornatum orationi: sunt enim similia illis*, *quae in amplo ornatu scenae aut fori appellantur insignia*, *non quod sola ornent*, *sed quod excellant.* Cum enim ludi in foro publice celebrarentur, solebat forum amplo decorari ornatu, coronis, statuis, tabulis pictis, vestibus, floribus; item cum a magistratibus ludi scenici exhiberentur, magno apparatu scena exornabatur. In Verrin. A. II. lib. I, 22. *Dices tua quoque signa et tabulas pictas ornamento urbi foroque populi Rom. fuisse. Memini. Vidi simul cum populo Romano forum comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri.* Huc adde quae de theatro magnifice instructo in aedilitate M. Scauri refert Plinius XXXIV, 6, 17. XXXVI, 2, 2. Hanc scenae vel fori exornationem comparat Cicero cum orationis apparatu, qui figuris verborum et sententiarum efficitur.

Qua de re agitur] Formula quadam legitima designat ipsam causam et quaestionem in disceptationem vocatam, quae cum plerumque a solis iureconsultis bene explicaretur, Calidius tamen eam optime intelligebat. De Fin. V, 26. extr. (quem locum comparat Corradus) *si est quisquam, qui acute in causis videre soleat*, *quae res agatur*, *is es profecto tu.*

C. 80. 276. actio liberalis] Motus et habitus liberaliter educato dignus, cui nos tribuimus, Wetzelio monente, *einen freien Anstand.*

totumque dicendi placidum et sanum genus. Quod si est optimum, suaviter dicere: nihil est, quod melius hoc quaerendum putes. Sed cum a nobis paulo ante dictum sit, tria videri esse, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret: duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo et animos eorum qui audirent devinciret voluptate. aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus, nec erat ulla vis atque contentio: sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset, sive quod non posset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, afuit: si opus erat, defuit. 277. Quin etiam memini, cum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, quaestiones,

C. 80. 276. devinciret] *demulceret* Lamb. *deleniret* Ern. Neuter recte.

altior] Sic libri cum ed. pr. *elatior* Lamb. *acrior* Schütz. Sed Calidii oratio submissa erat, cui recte opponitur *alta*. [Cf. c. 17. *haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio*.]

atque bacchari] *et bacchari* ed. pr.

sive quod non posset] Orellius: „Haec pro gloss. praecedentium *sive quod natura non ita esset factus* habet Walch. Emend. Liv. p. 213. Sed quis talia gloss. ascripserit? Illud refer ad indolem animi, hoc vero ad vires corporis, quae voluntati haud sufficerent.“

afuit] *abfuit* Edd. Item §. 278. et alibi. V. annot. in c. 71.

opus erat] *opus fuerat* ed. pr.

sanum genus] Quod opponitur corrupto dicendi generi: nos *geschmackvoll*. Cf. Ruhnk. H. Crit. Oratt. p. 37. sq. Infra §. 278. ubi huius *sanitatem* agnoscit, nos *Reinheit*.

paulo ante] C. 49. ubi vide.

diximus] C. 23.

furere] V. c. 66, 233.

afuit — defuit] Docet sententia, quid inter has voces intersit: afuit sine detrimento, quod tamen desideraretur; defuit autem cum detrimento, quo erat destitutus. Abesse enim non omnino refertur ad defectum quendam, etsi solet plerumque; potest tamen aliquid *abesse* consilio quod non magnopere requiramus; contra *deesse* dicuntur quae debebant adesse.

277. Q. Gallio] Quem de ambitu a. 690. accusatum Cicero defendit ea oratione, cuius nonnulla supersunt fragmenta.

quaestiones] I. e. testimonia servorum, tormentis sive quaestione expressa. Non multum afuit quin *indicia* putarem ex interpretatione huius vocis natum: sed intelligamus fortuitas quasdam et erumpentes facinoris significationes. In Cluent. c. 66. *Iam*

manifestam rem deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset: me in respondendo, cum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter. 278. *Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim cum ista eloquentia alienorum ho-*

277. deque eo] *eo* om. ed. pr.
leniter] *leviter* ed. pr.

278. sic ageres] Haec paulo mutatis verbis Quintil. XI, 3, 155. affert: *Tria praestare debet pronunciatio: conciliet, persuadeat, moveat. Persuadendi vis affirmatione constat, quae interim plus ipsis probationibus valet. An ista, inquit Calidio Cicero, si vera essent, sic a te dicerentur? et, Tantum abest, ut inflammares nostros animos: somnum isto loco vix tenebamus.* Idem supra XI, 3, 123. *Femur ferire et usitatum est et indignantes decet et excitat auditorem. idque in Calidio Cicero desiderat: Non frons,' inquit, percussa, non femur.* Istam scripturam praeferebat Schützius. Sed longe validior haec collocatio: *frons non percussa.*

praesertim cum] In hoc loco haeserunt interpretes, qui *ista eloquentia* in vituperatione ponerent. Ut Billerbeckius interpretabatur: tunc, cum praesertim etiam patronus alienorum periculorum languidius (scilicet *acerrime* per irrisionem dictum opinabatur) agere soleas, tuum ipsius discrimen tam negligenter acciperes? Ego contrarium his tribuo sensum: tu sic leniter in proprio periculo ageres, praesertim cum aliorum pericula tua egregia eloquentià tam acriter defendere soleas? an in proprio periculo capitis esses frigidus, in aliorum periculis disertus et acer orator? Calidius enim in defensione disertissimus, in accusatione frigidus erat. [Nimirum Billerbeckii ratio fuit habenda. Sed peritissimis criticis aliquid scabri videbatur in ista verborum compositione latitare, cum ipsa continuatio membrorum *ageres* et *negligeres* praeter rem immisso *praesertim* interpelletur. Itaque Lambinus succurrebat speciose: *sic ageres, praesertim ista eloquentia? cum alienorum* etc. Cuius coniectura, quamquam superiori membro languorem addit, praestat tamen Schützianae: *ageres? tu, ista praesertim eloquentia cum alien.* Fatendum sane Ciceronem, qui memoriter ista videtur recitasse, plus lenitati sermonis familiàris dedisse quam splendori dictionis forensis. Nam illa *praesertim cum . . . acerrime soleas,* quae cumulum quendam laudis (ut in c. 77. *cum praesertim non esset orator:* nos, *da du sonst mit allem Feuer der Beredsamkeit dich der Fremden in ihren Gefahren annimmst*) praetendunt reprehensioni, tam negligenter sunt conformata, ut ambigue inter utrumque membrum pendeant.]

videtis illam nefariam mulierem, iudices, eadem manu, qua, si detur potestas, interficere filium cupiat, hanc fictam quaestionem conscripsisse i. e. ficta indicia servorum.

pestem capitis sui] Venenum illud.

minum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur: pedis, quod minimum est, nulla supplosio. Itaque tantum afuit, ut inflammares nostros animos: somnum isto loco vix tenebamus. Sic nos summi oratoris vel sanitate vel vitio pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. 279. Tum Brutus, Atque dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit an vitium? Quis enim non fateatur, cum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxima, inflammare animos audientium, et quocunque res postulet modo flectere, qui hac virtute caruerit, id ei quod maximum fuerit defuisse? LXXXI. Sit sane ita, inquam: sed redeamus ad eum, qui iam unus restat, Hortensium, tum de nobismet ipsis, quoniam id etiam, Brute, postulas, pauca dicemus; quamquam facienda mentio est, ut quidem mihi videtur, duorum adolescentium, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti.

280. C. Curionem te, inquit Brutus, et C. Licinium Calvum arbitror dicere. Recte, inquam, arbitraris: quo-

animos: somnum] Cum ed. pr. *animos, quod somnum* D.

279. atque dubitamus] *atqui* ed. pr. Cum aliis edd. *atque* reposuit Ernestius, quod transitioni convenit, probante Hand. Tursell. I. p. 493.

278. frons — supplosio] V. annot. in c. 38.

C. 81. 279. ad Hortensium] V. c. 64.

postulas] Supra c. 65.

280. C. Curionem] C. Scribonius Curio quaestor a. 701. res Asiae multa cum laude administravit: quo spectant Ciceronis epistolae nonnullae ad eum in l. II. missae. Tribunus pl. a. 704. factus primum pro Pompeio agere videbatur; mox autem aperte Caesaris consilia defendit. Huc pertinet, quod Suetonius de Clar. rhett. 1. refert: *Cn. Pompeium quidam historici tradiderunt sub ipsum civile bellum, quo facilius C. Curioni, promptissimo iuveni, causam Caesaris defendenti contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem.* Deinde initio anni 705. cum Caelio ad Caesarem profectus est: quae res effecit, ut bellum civile erumperet. Inde cum eodem anno pro Caesare bellum in Africa gereret, clade accepta in proelio cecidit. V. Caes. B. C. II, 42. Clinton. in a. 701. Hieronymus in Ol. 181, 4. (701.) *Curio promptus et popularis orator Romae habetur insignis, qui deinceps in Africa pudore amissi exercitus mori maluit quam evadere.* Virum audacem et ingeniose nequam Caelio simillimum, sed moribus tamen et eloquentia inferiorem depinxit Velleius II, 48. 68. Hunc orationes reliquisse suspicionem movet Scholiastes Ambrosianus, cuius verba posuimus in Oratt. Fragm. p. 220.

C. Licinium Calvum] V. in c. 82.

rum quidem alter ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atque hic parum a magistris institutus naturam habuit admirabilem ad dicendum. industriam non sum expertus: studium certe fuit. qui si me audire voluisset, ut coeperat, honores quam opes consequi maluisset. Quidnam est, inquit, istuc? et quemadmodum distinguis? 281. Hoc modo, inquam. Cum honos sit praemium virtutis iudicio studioque civium delatum ad aliquem: qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. qui autem occasione aliqua etiam invitis suis civibus nactus est imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto. Quae si ille audire voluisset, maxima cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores viri. Quae quidem etiam cum P. Crasso M. F., cum ini-

C. 81. 280. alter] *alter*, *quod verisimiliter dixisset*, *ita* ed. pr. *quod verisimile dixisset* codd. Delevit Lambinus; intra uncos repetiit Ernestius, de verborum obscuritate conquestus: quae vidit Orellius ad interpretationem illorum *recte arbitraris* esse referenda. Schneiderus coniecit, *quod verisimile vix esset*, parum probabiliter.

a magistris parum] *parum a magistris* ed. pr. et D. Gu. 1. 2. [Ordinem mutavi: plus enim interfuit Curionem mediocriter institutum tradi, quam magistros reprehendi, quorum exiguae partes debuerunt esse.]

istuc] Firmant ed. pr. et Gu. 1. 2. *istud* Ern. Vid. c. 6.

281. adeptum, non honorem] *non honorem adeptum* codex Lallemandi.

industriam] Supra c. 66. *Is igitur mediocriter a doctrina instructus*, *angustius etiam a natura*, *labore et industria — in principibus patronis aliquot annos fuit*. Itaque dicit Cicero non satis diu foro causisque Curionem vacasse, ut industriae laudem usu cognitam ei tribuere possit. Ab industria autem *studium* distinguit; nos: *guten Willen*.

281. honestus] Schützius: „*honestus* non est i. q. honoratus, ut Wetzelius opinabatur; sed *honestus* est propter virtutem honore dignus, *honoratus* autem honorem adeptus.“ Livius XXXVI, 40. *Hoc titulo*, *etsi nec consulatus nec triumphus adiicitur*, *satis honestam honoratamque P. Scipionis Nasicae imaginem fore*. Omnino *honestus* dicitur, qui dignatione fruitur vel existimatione virtutibus parata, quem dicimus *ehrsam*. Cf. Partitt. orat. 24.

occasione aliqua] Formulam illustrabit Agrar. II, 2. Curio per Caesarem imperium et opes accepit.

pater eius] De quo c. 58.

P. Crasso M. F.] P. Licinius Crassus, Parthici filius, adole-

tio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitror, cum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam maiores eius ei tritam reliquissent. 282. erat enim cum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus; ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia: praetereaque sine arrogantia gravis esse videbatur, et sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbuit aestus quidam [non] insolitae adolescentibus gloriae; qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat: cui muneri mos maiorum aetatem certam, sortem incertam reliquit. ita gravissimo suo

282. cum institutus] *tum institutus* ed. pr.

non insolitae] *non* deest omnibus codd. et ed. pr. Id e coniectura repositum in Asc. 2. probarunt Lamb. quique eum secuti sunt editores. Cum *gloria* duplicem in modum accipi possit, alii negationem addendam, omittendam alii putarunt. Nam qui iactationem vel ambitionem interpretantur, recte negationem restituerunt, cum ambitio non insolita sit adolescentibus. Alii vero Ciceroni hoc tribuunt, Crassum fuisse gloriae maioris cupidum, quam Romani viris, non adolescentibus concedere solerent, id est, imperatoriae dignitatis, ad quam viris licebat more maiorum aspirare. Eam sententiam ornavit Schützius, collatis etiam verbis Or. p. imp. Pomp. 12. ubi Mithridates *insolita victoria inflammatus* dicitur. Favent continua, quibus additur ratio, cur illa gloria iuvenilibus annis fuerit insolita: nam imperatorio muneri mos maiorum certam constituit aetatem. Itaque negatione recte carebimus.

scens equitatui Caesaris a. 696. praeerat, ab eoque Veneti, Unelli, alii populi Galliae in ditionem populi Romani redacti sunt. Caes. B. Gall. I, 52. II, 34. III, 7. Deinde cum mille equitibus exercitus Gallici patrem in expeditione Parthica secutus, una cum eo a Parthis caesus est a. 701. Adolescens litterarum studiosissimus lateri Ciceronis tanquam alterius parentis adhaerebat, qui confitetur eum ex omni nobilitate dilexisse Epp. XIII, 16. coll. V, 8. ad Qu. Fr. II, 9. adde Plut. Crassi c. 13.

maiores] Cum alii multi, tum L. Licinius Crassus orator: quorum infra meminit §. 282.

282. sine segnitia] Sine tarditate ad agendum.

imperatori] Caesari.

aetatem certam] Schützius: „Nempe quia non fere creabantur imperatores nisi consules aut consulares, consulatui autem gerendo certa aetas praescripta erat legibus annalibus; et tamen sors incerta erat, quia bellum aliquod imperatori gerendum more maiorum sortitione et suffragiis populi deferebatur.“ Prius membrum ille bene explicuit, de altero dubitationem mihi non exemit. [Ac probabilius sane videtur exitus et eventus bellorum, quae imperatores vel magistratus consulares populo mandante suscepissent, incertos et ambiguos significari: hos enim civitatis studia virtutibus et fortunae ducum faustissima quaeque citius augurantis quam spondentis relinquere debebant. Cras-

casu, dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant, et L. Crassi et multorum Crassorum inventus est dissimillimus. LXXXII. 283. Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur:

voluit] *volt* Orellius.

transcurrerant] *transcurrerat* Orellius, quod referebat ad Crassum, incertam verbi secutus explicationem: *is qui cupiditate et gloria ductus longius progressus erat, quam aetatis cursus naturalis ferebat.*

sus igitur adolescens, nulla dignitate ornatus, quae consiliis bellicis quasi fidem et laetam expectationem praemuniret, cum certo firmoque rerum suarum fundamento careret, temere casibus bellorum intutis sese commisit.]

[transcurrerant] Habet hoc verbum notionem cursus festinati, qui per flexus compendiarios praecipiti celeritate transigatur. Cyrus igitur et Alexander qui iuvenilibus annis non gradatim et per legitima rerum gerendarum intervalla, sed paucis et luculentis successibus quasi saltu terminos curriculi superassent, eleganti figura dicuntur suum cursum laudis et potestatis transcucurrisse. Similiter Graeci proverbium ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν usurpant.]

C. 82. 283. Calvum] C. Licinius Calvus natus a. 672. Is XXVII. aetatis anno Vatinium fecit reum a. 699. pluresque actiones in eum habuit, quibus editis magnam famam consecutus est. Publicis muneribus nullis functus est: Pighius enim sine testimoniis veterum eum quaestorem fuisse a. 699. scripsit. A. 700. defendit C. Catonem. Diem supremum obiit a. 707. vid. Cic. Epp. XV, 21. Clinton. in a. 708. Edidit et orationes et carmina docta Catullo, quem carissimum habuit amicum, simillima, nominatim hendecasyllabos. His potissimum Caesarem perstrinxit, nec tamen iram eius sensit, quippe eodem anno quo diem obiit reconciliatus, quod Suetonius tradit Caes. 73. Vitam Calvi, collectis poematum reliquiis, enarrat Weichertus Poett. Reliqu. p. 106. sqq. De orationibus v. Westermann. p. 217. et Oratt. Fragm. p. 201. sqq. [Dignus est Calvus, de cuius eloquentia doctus aliquis iuvenis disceptationem instituat paulo severiorem. Nam unius Calvi si res ageretur, quem ipsi paucis licet orationum fragmentis adiuti cum accurate politeque scripsisse intelligimus, tum sanctos et graves sensus iuvenili quodam orationis impetu cursuque citato complexum esse: nihil sane foret quod impensius laboraremus. Sed coniungendus ille cum aliis Ciceronis reprehensoribus an ipsius sectatoribus (nam auctoritatem quandam illi concedit §. 284. *et alios etiam errare cogebat*), qui copiam et solutam ubertatem verborum ac sententiarum perosi, religiosam autem simplicitatem probantes ad rigorem usque custoditam orationem attenuarent. Hi secuti dicuntur Atticum genus dicendi; cui quam definitionem subiecerint divinare quodammodo licet ex indiciis libelli de optimo genere oratorum (cf. nostram hist. litt. Rom. p. 289.): ut subtilitatem et perspicuam argumentorum explanationem nullis ornamentis vestitam nec laetius excurrentem requirerent. Itaque paulo morosius adversabantur Ciceroni, quem aliquantum intelligentiae iudicioque coronae, plurimum deliciis et aurium oblectationi tribuisse conquereren-

qui orator fuit cum litteris eruditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus: quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur.

C. 82. 283. qui orator fuit] Sic correximus cum Corrado. Nam codices et ed. pr. exhibent *qui orator fuisset;* cuius temporis vim Beierus et Orellius sic explicabant: *ad plusquamperfectum condicionaliter positum intellige futurus, videlicet, si diutius vixisset.* Interpretatio sane durissima, frustra Heusingero praef. ad Offic. p. 61. defensa, cui verbum alterius membri *afferebat* male conveniat. Nec melius in hanc sententiae conformationem quadrat Schützii coniectura: *qui cum fuisset litteris,* quam refictam sic ascivit Ellendtus, Lambino praeeunte: *qui orator cum fuisset litteris* etc.

deperdebat] Firmat ed. pr. *dependebat* D. cum edd. vett. Hunc locum respexit Quintil. X, 1, 115. *Inveni qui Calvum praeferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse.*

devorabatur] *devotabatur* ed. pr. *deserebatur* vanum Purgoldi commentum.

tur; nec potest obscurum esse, cur is defensionem causae suae toties captatam (v. nos in c. 16, 64.) susceperit tanta virium contentione soliciteque sustentarit. Et veteres quidem parum nos edocent, quod valeat ad rationes Calvi perspiciendas; ac neque Dialogus de Oratt. 21. affirmans ei vires et ingenium defuisse continuo fidem invenerit, nec paratus accessit Quintilianus, imitatorem eum Atticorum extitisse leviter tradens; qui solas opinor Vatinianas inspexerat. De recentioribus autem qui nuper capita nonnulla quaestionis gravissimae delibavit, Bakius in Scholicis Hypomnematis, minime partes suas implevit, nec protulit quae dignitatem eloquentiae Tullianae possent elevare. Nobis etiamnum videtur Cicero rectam et integerrimam posuisse sententiam (ad Trebonium scribens Epp. XV, 21.): *acute movebatur. genus quoddam sequebatur; in quo iudicio lapsus, quo valebat, tamen assequebatur quod probaret. multae erant et reconditae litterae: vis non erat. ad eam igitur adhortabar.* Iam cum Calvum negat generi, quod perversitate iudicii suscepisset, iustas vires et apparatum magnificum astruxisse: consentit Seneca Controv. III, 19. qui nihil in illo placidum, nihil lene, omnia fluctuantia deprehenderit, ac satis significet colorem elocutionis acutissimo iuveni, quem exsanguem et attritum notabat Cicero, defuisse.]

a foro] Ab iudiciis. Secundam tamen orationem in Vatinium auribus iudicum accommodatam laudat Dial. de Oratt. 21.

devorabatur] Orationes Calvi eam subtilitatem ac diligentiam

284. Tum Brutus, Atticum se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur. Dicebat, inquam, ita: sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat. nam si quis eos, qui nec inepte dicunt nec odiose nec putide, Attice putat dicere: is recte nisi Atticum probat neminem. insulsitatem enim et insolentiam tanquam insaniam quandam orationis odit, sanitatem autem et integritatem quasi religionem et verecundiam oratoris probat. haec omnium debet oratorum eadem esse sententia. **285.** Sin autem ieiunitatem et siccitatem et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte dumtaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus et dissimilitudines et vim et varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. nam quid est tam dissimile quam Demosthenes et Lysias? quam iidem et Hyperides? quam omnium horum Aeschines? quem igitur imitaris? Si aliquem, ceteri ergo Attice non dicebant. si omnes: qui potes, cum sint ipsi dissimilli-

284. consequebatur] Item ed. pr. *consectabatur* Lamb. Sed ipse Cicero loco supra proposito Epp. XV, 21. *assequebatur quod probaret*. Differt §. 287.
sanitatem autem] *autem* om. ed. pr.
oratoris] Suspectum habent Ellendt. Billerb. Orellius vero, cui Tullius videatur concinnitatem quandam nominum *orationis* et *oratoris* captasse, aurium iudicio defendit. [Recte quidem: nam progressio fit ab vitiis, quae labem afferant orationi quorumlibet generum et scriptorum, ad virtutem prorsus necessariam *oratorio muneri*, praesertim eorum qui Attice dicebant. V. annot. in c. 44, 162. coll. 13, 51.]
285. iidem] *idem* ed. pr. et plerarumque recentt. scriptura, quam Schützius cum MS. correxit ex necessitate sermonis.
omnium horum] *horum omnium* ed. pr.

afferebant, ut a doctis tantum existimatoribus capi posset; nam multitudo summum studium et immensum laborem, quem in expoliendis orationibus adhibuisset, non sentiebat aut intelligebat. Ita fiebat ut, qui scitamenta ista quasi sapore deberent lente explorare, orationem eius parum curiosi deglutirent ac devorarent, non intelligentes quae subesset praestantia. Diversus est locus 67, 236. *hominum ineptias et stultitias, quae devorandae nobis sunt, non ferebat iracundiusque respuebat.* Schneidero tamen singularis iste significatus non potuit approbari.

284. nam si quis] In hac disputatione de genere Attico vices commentarii praestabunt loci diligenter adhibendi Orat. 9. de opt. gen. oratt. 3. 4.

mi inter se? In quo illud etiam quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit. mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. at est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias. natura quaedam aut voluntas ita dicendi fuit. LXXXIII. 286. Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed Attici tamen: quorum Charisius multarum orationum, quas scribebat aliis, cum cupere videretur imitari Lysiam; Demochares autem, qui fuit Demostheni sororis filius, et orationes scripsit aliquot, et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico quam oratorio genere perscripsit. At Charisii vult Hegesias esse similis, isque se ita putat

illud etiam] Sic et ed. pr. *etiam illud* vulg. post Repet. Lamb. 1584.

Phalereus] *Phalerius* ed. pr.

dixerit] *dixit* ed. pr.

C. 83. 286. multarum orationum] Librorum scripturam male mutabat Manutius, suadens *multas orationes*. Orellius recte comparavit c. 70, 246. *Messalla magni laboris*, *multae operae*, *multarumque causarum;* et pro Caelio §. 64. *plurimarum fabularum poetriae*. [Egregiam et argutam dicendi brevitatem cum probatissimi scriptores reipublicae coluerunt, ut, *homo multorum librorum*, *vetulam sane et multarum nuptiarum* (ad Att. XIII, 29.), *Damalis multi meri*, tum qui sub principibus floruere magis etiam propriam sibi fecerunt atque propagarunt. V. intpp. Ovidii Met. XIV, 252. Duk. in Liv. III, 62. Walch. in Taciti Agric. 9.]

Demostheni] *Demosthenis* ed. pr. et Lamb. Vid. in c. 15. *Pericli*. Item de Or. II, 23, 95. *Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni*.

285. Demetrius] De quo dictum in c. 9, 37.

[floridior, ut ita dicam] Figurae significatio spectat ad gestationem vestium pictarum (ἀνθινῶν), meretricibus magis quam honestis hominibus consentaneam. Demetrius igitur qui castitatem orationis Atticae putabatur inflexisse, versicolorem vestem dictus est libris suis induisse: v. Quintil. X, 1, 33. cf. Hist. Litt. Gr. T. I. p. 111.]

C. 83. 286. Charisius] Orator famae mediocris, quem in orationibus scribendis iuvisse ferebatur Menander comicus, Quintil. X, 1, 70. De quo v. Ruhnk. in Rutil. Lup. p. 37. et in Hist. Crit. Oratt. Gr. p. 92.

Demochares] Viri tam litteris quam laude rerum gestarum insignis memoriam luculente tradit idem Ruhnkenius in Rutil. p. 7—9.

Hegesias] Magnes domo, signifer ille stili Asiatici, hoc est, corrupti fractique generis, cuius plurimis documentis historia rerum Alexandri scatebat. Compositionem hominis iterum Cicero perstrinxit Orat. 67. Hunc item depinxit Ruhnkenius l. l. p. 25. sqq. cf. Bernh. Hist. Litt. Gr. T. I. p. 379.

Atticum, ut veros illos prae se paene agrestes putet. 287. at quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa (quam tamen consequitur) concinnitate puerile? Atticorum similes esse volumus. Optime. Suntne igitur hi Attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamur. Quo modo, qui sunt et inter se dissimiles et aliorum? Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronunciator sincerus et grandis etiam fuit: hoc forense, concertatorium, iudiciale non tractavit genus. Orationes autem quas interposuit (multae enim sunt), eas ego laudare soleo: imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim. Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quaerat; atqui eae notae sunt optimae, credo, sed nimia vetustas nec habet eam quam quaerimus suavitatem, nec est iam sane tolerabilis: 288. num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime; sed quan-

agrestes] *agrestis* ed. pr.
287. tamen] Deest ed. pr.
igitur hi] *igitur ii* edd. praeter principem.
quo modo] *quodam modo* ed. pr. Orellius in commentariis ascripsit: An *quonam modo?*
eae] *hae* ed. pr.
iam] Om. ed. pr.
288. si is potare] *si portare* ed. pr.

287. quam tamen consequitur] I. e. consectatur. Cf. supra c. 82, 284. *quam ille de industria consequebatur.*

Thucydides] Vide disputationem Orat. 9. coll. de Or. II, 13.

Opimium] Plin. Hist. XIV, 4. *Anno fuit omnium generum* (vini) *bonitas, L. Opimio consule, cum C. Gracchus plebem seditionibus agitans interemptus; ea coeli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali urbis DCXXXIII. Durantque adhuc vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi; etenim haec natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita.* Vellei. II, 7. *Hic est Opimius, a quo consule celeberrimum Opimiani vini nomen: quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest, cum ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem anni CLI.*

Anicium] Cicero duos annos tradit vini praestantia clarissimos: a. 633. Opimio, a. 594. autem L. Anicio Gallo consulibus. Consulum autem nomina (quae sunt Wetzelii verba), quibus vinum fuisset conditum, inscripta esse cadis praeter alios veterum locos ostendit Horat. C. III, 21, 1.

288. de dolio] Veteres vinum recens in doliis condebant; quod

dam sequatur aetatem: sic ego istis censuerim et novam istam quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam, nec illam praeclaram Thucydidi nimis veterem tanquam Anicianam notam persequendam. ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior. LXXXIV. 289. Demosthenem igitur imitemur. O dii boni! quid, quaeso, nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non assequimur. isti enim videlicet Attici nostri quod volunt assequuntur. Ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, cum Demosthenes dicturus esset, ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent. At cum isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Quare si anguste et exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici: sed in comitium veniant, ad stantem iudicem

quasi de musto ac lacu] Sic libri. Sed offendit haec verborum coniunctio, cum lacus vinarii vel torcularii recentia vina susceperint sub dio servanda vel prelo premenda. Schneiderus igitur: *quasi musteam de lacu ac fervidam*, nimia vocum abundantia; similiter Ellendtus, *quasi musteam ac de lacu fervidam;* magis etiam displicet Schützianum, *quasi mustum de lacu.* Probabiliter Orellius: „videtur proverbium Latinum, nec quicquam mutandum. Utique significat orationem ita fervidam, ut fervere solet mustum recens de lacu haustum, ut sit unum de sexcentis illis, quibus tantopere gaudebant antiqui, ἓν διὰ δυοῖν, quae vocant.“ [Saltem iungenda sunt *de musto ac lacu fervidam*, quae mustum ac lacum redoleat.]

Thucydidi] Agnoscit ed. pr. Vid. c. 7, 29.

tanquam] Deest ed. pr.

C. 84. 289. quaeso] *quasi* ed. pr. Correxit Lambinus.

ne illud] *nec illud* ed. pr.

cum esset defaecatum, in amphoras aut cados diffundebant; his ascribebatur nota consulum, quibus natum erat, doliis non item. Iam Cicero dicit: num is qui vetustissimum vinum senserit suavitatem deperdidisse, ideo vinum recens natum musteumque et sine nota anni maluerit?

novam istam] Ut nec vetustissimum vinum nec recens probatur, sed id quod certam iam aetatem habeat: sic qui Attici dici volent neque Asiaticum genus dicendi, quod tanquam iuvenile nimis fervet, neque austerum illud sequentur et copia destitutum, quod antiquissimae fuit aetatis.

C. 84. 289. in comitium] Non nego hos Atticos esse, ita tamen, ut eos concionali tantum eloquentiae generi sufficere dicam, iudiciali autem pares esse negem. In comitium igitur et ad rostra veniant licet, ubi conciones haberi solent. Sic recte Gebhardt. p. 12.

ad stantem iudicem] Ad coronam populi, qui oratores de rostris concionantes circumstabat. *Stans iudex* igitur (qui supra c. 58. extr. vocatur *ille de populo iudex*) ipse populus est, qui ora-

dicant. subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. 290. Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus: cum surgat is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebrae assensiones, multae admirationes; risus, cum velit; cum velit, fletus: ut, qui haec procul videat, etiamsi quid agatur nesciat, at placere tamen et in scena esse Roscium intelligat. Haec cui contingant, eum scito Attice dicere, ut de Pericle audimus, ut de Hyperide, ut

290. eum esse] *esse* om. ed. pr.
cum surgat] Sic ed. pr., quod occuparat Ellendt. *consurgat* D. *cum surgit* edd.
significetur] *significet* ed. pr.
admirationes] *admurmurationes* Orellius. Extat similis locus De Orat. I, 33, 152. *Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt.*
audimus] Probavi cum D. Gu. 1. 2. et ed. pr. *audivimus* in ed. alt. Orellius ex Aldina post alios recentt. Sed praesens suum, opinor, locum habet in fama constanti et perpetua (v. Ochsner. in Eclogis p. 263.), item ut Graece dicitur *ἀκούεις*, de quo vide qui Latinum usum comparat Astium in Plat. Legg. p. 10. Inprimis aptus est ad edocendum Plat. Gorg. p. 503. C. *Θεμιστοκλέα οὐκ ἀκούεις ἄνδρα ἀγαθὸν γεγονότα . . . καὶ Περικλέα τουτονὶ τὸν νεωστὶ τετελευτηκότα, οὗ καὶ σὺ ἀκήκοας;* Orellium refellit Henrichsen. in II. Orat. 22. p. 185. optimeque de ea re praeceperat Heusing. in I. Offic. 6. p. 50.

torem dicentem audit in comitio. Hanc Gebhardti rationem sequi malo quam Ernestium, qui post Manutium in Epp. XIII, 10. iudices leviorum causarum intellexit, non sine dubitatione quidem. Orellio locus esse corruptus videbatur, quem sic refingi vult, *stantes ad iudicem dicant*, sententia plane refragante. Dictum cum acumine conformatum nihil est cur repudiemus.

subsellia] Quae sunt iudiciorum. Populus in concione stabat, iudices in iudiciis sedebant. Iudicia vero grandius et copiosius dicendi genus desiderabant, neque videbantur, qui Atticos imitati formam exilem consectarentur, satis incitare iudicum animos aut permovere. Cicero igitur maiorem habuit eum oratorem, qui in iudiciis regnaret, quam qui concioni satisfaceret. Vide c. 77, 268.

290. gratiosi scribae] Quorum fidei tabulae publicae et pericula magistratuum committebantur: v. Verr. III, 79. Cf. Ernestii Clav. v. Scriba.

placere] *Placere* proprium verbum esse scenae ac ludorum, cum populus favet ac plaudit, Ruhnkenius docet in Terent. Andr. Prol. 3.

Roscium] Q. Roscium Gallum comoedorum principem tunc temporis fuisse constat: a quo plurimum se profecisse confitetur Cicero, qui causam eius egit. Idem librum conscripsit, quo eloquentiam cum histrionia comparavit, Macrob. Sat. II, 10. Hunc autem

de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxime. 291. Sin autem acutum, prudens, et idem sincerum et solidum et exsiccatum genus orationis probant, nec illo graviore ornatu oratorio utuntur, et hoc proprium esse Atticorum volunt: recte laudant. est enim in arte tanta tamque varia etiam huic minutae subtilitati locus. Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed, ut omnes, qui bene, iidem etiam Attice dicant. Sed redeamus rursus ad Hortensium.

LXXXV. 292. Sane quidem, inquit Brutus: quamquam ista mihi tua fuit periucunda a proposita oratione degressio. Tum Atticus, Aliquoties sum, inquit, conatus, sed interpellare nolui. Nunc, quoniam ad perorandum spectare videtur sermo tuus, dicam, opinor, quod sentio. Tu vero, inquam, Tite. Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis et Xenophontis et Aeschini libris utitur, facetam et elegantem puto. est enim et minime inepti hominis et eiusdem etiam faceti, cum de sapientia disceptetur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem Socrates

ut de Aeschine] *ut* om. ed. pr.

291. graviore ornatu] Vix dubitandum quin Orellius vere coniecerit *grandiore ornatu*. Habet tamen quae huic emendationi opponi possint annot. in c. 9, 35. [Praestat sane *graviorem ornatum* memorari, qui versaretur in animis coronae tractandis et quovis motu perturbandis: nam Calvus subtilitatem Lysiae secutus quam simplicissima demonstratione et quasi innocentia voluntatis utendum putavit. Locos gravitatis (quos ibi dicit c. 31.) quasi silvam eloquentiae recenset Cicero Orat. 40. Aliorsum vero spectat *grandior ornatus* sive magnificus apparatus, quem convenit in genere sublimi collocari.]

C. 85. 292. quoniam] *quoniam iam* ed. pr., ubi *iam* errore geminatur; ac ne possit *quoniam* in *quum* mutari repugnat indicativus *videtur*.

Tite] Item ed. pr. *Attice* Nor.

Aeschini] *Aeschinis* ed. pr. Vid. c. 15.

disceptetur] Firmat ed. pr. *disceptatur* D. Gu. 1. 2.

arrogant] *arrogent* Ern. Sed v. Zumpt. §. 546. sq.

potissimum referatur de Orat. I, 28. *Hoc iam diu est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.* Extat in eum elegans Lutatii Catuli epigramma: v. Anthol. Lat. T. I. p. 12. Eius vitam enarravit Grysar. *Schulzeitung* 1832. n. 46.

291. solidum] Salubre, quod ad summam sanitatem excultum est et subactum.

C. 85. 292. in Socrate] De Orat. II, 67, 270. *Socratem opi-*

in coelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem. Decet hoc nescio quomodo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior. Sed in historia, qua tu es usus in omni sermone, cum qualis quisque orator fuisset exponeres, vide, quaeso, inquit, ne tam reprehendenda sit ironia quam in testimonio. Quorsum, inquam, istuc? non enim intelligo. 293. Quia primum, inquit, ita laudavisti quosdam oratores, ut imperitos posses in errorem inducere. Equidem in quibusdam risum vix tenebam, cum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius summum et singularem virum: nemo dicet secus; sed oratorem? sed etiam Lysiae similem? quo nihil potest esse pictius. Bella ironia, si iocaremur; sin asseveramus,

qui id] *qui illud* ed. pr.

Quorsum] Sic optimi libri: *quorsus* vulg. cum ed. pr.

293. laudavisti] *laudasti* ed. pr.

posses] Ellendtus: *possis praeferrem, si usquam in codd. extaret.* Id si libris omnibus firmaretur, reiiciendum tamen arbitrarer. Nam Orellius recte: „*possis* significaret, id fere egisse Ciceronem, ut lecturos in errorem induceret.“

[tenebam, cum] Vidit Ernestius membrum superius ad plura spectare iudicia, quam unum illud de Catone pronunciatum: itaque malebat *tenebam, ut cum.* Verum praestat haec *cum Attico Lysiae C. n. comparabas* pro principio novae sententiae haberi, quam Cicero per mobilitatem sermonis familiaris reliquerit inchoatam.]

pictius] *perfectius* legendum opinor, quod Sarpius in Quaest. Philol. p. 48. proposuit. Quamquam illud ab Ernestio in Lex. Rhet. Lat. p. 285. Frotschero in Quintil. X, 1, 78. et ab Orellio defenditur. Contextus autem id ipsum postulat, ut Lysiae maxima laus hoc loco tribuatur, Catoni minima: nam de minutis quibusdam pigmentis, quae in Lysiae orationibus appareant, nemo cogitet. [Haec profecto miror cuiquam arrisisse. Cicero nihil pictius ista Catonis cum Lysia comparatione concedit fieri potuisse, hoc est, locum illum luminibus iusto pinguioribus sive lecythis exornatum esse, quam quae temporibus et eloquentiae Catonis conveniant. Ipse *pingere* de tali negotio posuit ad Att. I, 14. dixitque *genus pictum, nimis depicta* Orat. 27, 12. Item de vano formae simulacro Fin. V, 27. *nunquam philosophum pictum ut dicitur viderunt.* Cf. annot. in c. 93. Nos: *da hast du zu starke Farben aufgetragen.*]

nor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. Cf. de Off. I, 30. Acad. I, 5, 16.

Epicuro] De Epicureis constat per locum de N. D. I, 34.

in testimonio] Non magis excusandus es, qui in historia sis ironia usus, quam is qui in dicendo testimonio apud iudices sententiam suam dissimulat. Id planius etiam facit §. 293.

293. comparabas] C. 16, 63.

vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium diceremus. 294. Ego enim Catonem tuum ut civem, ut senatorem, ut imperatorem, ut virum denique cum prudentia et diligentia, tum omni virtute excellentem probo; orationes autem eius ut illis temporibus valde laudo: significant enim formam quandam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem. Origines vero cum omnibus oratoriis laudibus refertas diceres, et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas an mihi probaturum? Quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, his tu comparas hominem Tusculanum, nondum suspicantem, quale esset copiose et ornate dicere. LXXXVI. 295. Galbam laudas. Si ut illius aetatis principem, assentior; sic enim accepimus: sin ut oratorem, cedo, quaeso, orationes (sunt enim), et dic, hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes. Paulum hic tibi assentior, modo ita laudes ut antiquas; quod item

diceremus] *dicamus* Ern. Sed Heusingerus explicat recte: *vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam adhibenda esset, si testimonium diceremus.*

294. [orationes autem] Particulam frustra suspectat Orellius. Hoc dicit Atticus: Catonis ego primum virtutes in gravissimis muneribus spectatas libenter agnosco; deinde eloquentiam illius, si condicionem temporum expendo, magna etiam laude dignam esse censeo: sed artis quandam excellentiam omnino desidero neqoque subesse.]

formam quandam] Sic ed. pr. *quandam formam* vulgo.

oratoriis] *oratoris* ed. pr. Correxit Manutius.

Brutone — an mihi] De hoc loco dictum in c. 28, 89. Ceterum *te* post *Brutone* om. edd. ante Lamb. multae.

iis tu] *his tu* ed. pr. Id propter vim pronominis recipiendum duxi.

C. 86. 295. accepimus] *accipimus* ed. pr. Supra c. 19, 77. *ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse.* 26, 98. *P. Crassum valde probatum oratorem iisdem fere temporibus accepimus.* 28, 109. *de T. Flaminino nihil accepi nisi Latine diligenter locutum.* 97, 333. *Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior.* Cf. Beier. in I. Offic. 6.

quod idem] Sic ed. pr. Supplendum, quod e praecedentibus, *Galbam laudas, Probas Lepidi orationes*, facile dicitur: *quod idem dicis de Africano. quod item* edd. pleraeque. [Displicet

294. Origines] C. 17.

hominem Tusculanum] Oppidanum quendam, ab urbanitatis sapore longe remotum.

C. 86. 295. Galbam] C. 21. De Lepido v. c. 25. Deinde de Laelio c. 21, 88.

de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quicquam posse dulcius, addis etiam, nescio quid augustius. nomine nos capis summi viri vitaeque elegantissimae verissimis laudibus. Remove haec: nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam aspicere nemo velit. 296. Carbonem in summis oratoribus habitum scio: sed cum in ceteris rebus tum in dicendo semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecunque est, solet. Dico idem de Gracchis: etsi de iis ea sunt a te dicta, quibus ego assentior. Omitto ceteros: venio ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi sine controversia magnos oratores Crassum et Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior: sed tamen non isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse. haec germana ironia est. cur ita sentiam, non dicam, ne me tibi assentari putes. 297. Omitto igitur, quae de his ipsis, quae de Cotta, quae de Sulpicio, quae modo de

non minus ista dicendi ratio quam supplementum, dilutius illud quam pro contentione loquentis. Atticus enim hoc pronunciat: item de Africano, de Laelio tibi assentior, sub venia tamen antiquitatis, quae multum obfuit illorum eloquentiae.]

capis] *capi* Ald. unde *capi volens* Hervag.

nae ista . . ita] *ne ita dulcis oratio ista* ed. pr.

296. quo] *quum* ed. pr. *quoniam* Gu. 1. 2.

de iis] *de eis* ed. pr.

venis] Sic ed. pr. *venio* Hervag.

297. de his] Sic etiam ed. pr. *de iis* edd. multae.

296. Carbonem] C. 27.

Gracchis] C. 27. et 33.

Crassum et Antonium] C. 36.

aiebat, sic tu] Constructio legitima haec fuit: sed tamen non isto modo assentior, ut aiebas suasionem legis Serviliae tibi sic magistram fuisse, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat. [Id si spectabat Cicero, non potuit orationem efficere molestiorem obscura verbositate. Neque tuto licentiam Graecorum in sententiis bimembribus appellabimus, quam exposuit Heindorfius in Plat. Theaet. 76. Sed interpungendum post *isto modo* (hoc est, ut tu laudes eorum exaggerabas, v. N. D. I, 39, 109.), quo validius novum illud quasi comparationis pondus excipiatur: *Ut Polycleti* (scilicet) *Doryphorum — fuisse*. Quae nativa cum facilitate procedunt. Singularis autem est mentio disciplinae, quam Lysippus in Polycleti Doryphoro collocarit. Doryphorum vero, quem artifices canonem vocabant, exemplar artis perfectissimum fuisse habitum docet vel Orat. 2. Cf. Sillig. Catal. Artif. p. 364.]

suasionem legis Serviliae] C. 44, 164.

297. de Cotta, quae de Sulpicio] V. c. 55.

Caelio dixeris. hi enim fuerunt certe oratores; quanti autem et quales, tu videris. Nam illud minus curo, quod congessisti operarios omnes: ut mihi videantur mori voluisse nonnulli, ut a te in oratorum numerum referrentur. LXXXVII. Haec cum ille dixisset, Longi sermonis initium pepulisti, inquam, Attice, remque commovisti nova disputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. 298. Volvendi enim sunt libri cum aliorum, tum inprimis Catonis. intelliges nihil illius lineamentis nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. Nam de Crassi oratione sic existimo, ipsum fortasse melius potuisse scribere; alium, ut arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam dixeris esse, quod

dixeris] Schützius emendavit *dixisti*.
hi] Sic ed. pr. *ii* edd. multae.
omnes] *omnis* ed. pr.

C. 87. pepulisti] Id ab Asc. sec. et Victorio petitum plerique probarunt. Ascripsit Orellius, a remorum pulsu sumptam translationem recte se habere. Sed *depulisti* D. Gu. 2. et ed. pr. *detulisti* Manut. et Lamb. *posuisti* Spitznerus, alii fortasse coniiciant *dedisti*. Sed quid dubitamus Gu. 1. auctoritatem sequi, sic legentis, *longi sermonis initium, inquam, Attice, remque commovisti?* quam etiam Goerlitzio in Emendatt. Iulianis p. 8. probatam esse audio. Nam multo minus hoc loco verbum desideratur quam c. 4, 14. *Quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum aut tanto usui posset esse? Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem, quam requirebam.* [Merito dubitamus fraudem istam Guelf. adoptare: nam verbum usus infrequentioris facilius erat detrahi quam interpolari. Sed colorem orationis unde Cicero duxerit haud aegre divinabit, qui similitudinem dicti vernaculi componat, *du hast neue Saiten angeschlagen*. Non solum enim fides et nervi *pelluntur*, sed etiam tibiae et classica sive quicquid organorum flatu regitur: quam dicendi figuram Graeci poetae praeierant, v. Huschk. Ep. Crit. in Prop. p. 9. sqq. et in Tibull. p. 8. Hinc expeditus fuit transitus ad voces maiore quodam sono percussas: ut de Orat. III, 57. *et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae.* Huc accedit *initium*, quod in tali sermonis audacia facile comparatur cum Graecis προοίμιον et προοιμιάζεσθαι, tritissimis illis in primordio quolibet paulo splendidiore quasi carminis inchoati: de quo satis est adhiberi Dorvillium in Charit. p. 469. sq. His subductis perspici licet, quod Cicero brevitate elegantissima significavit: *pleniore quodam sono disputationem gravem et copiosam inchoasti.*]

298. dixeris] Sic cum ed. pr. Ern. *duxeris* Gu. 1. multi editores et Orellius, cum is e scriptura Gu. 2. olim collegisset *edi-*

Caelio] C. 79.
C. 87. 298. intelliges — colorem defuisse] V. annot. in c. 17. p. 55.

eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. nam etsi tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate, tamen adolescentes quid in Latinis potius imitaremur, non habebamus. 299. Quod autem plures a nobis nominati sunt, eo pertinuit, ut paulo ante dixi, quod intelligi volui, in eo, cuius omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent. Quare εἴρωνα me, ne si Africanus quidem fuit, ut ait in historia sua C. Fannius, existimari velim. Ut voles, inquit Atticus. ego enim non alienum a te putabam, quod et in Africano fuisset et in Socrate. 300. Tum Brutus, De isto postea: sed tu (inquit, me intuens) orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute: sed in Cumano aut in Tusculano, aliquando, si modo licebit: quoniam utroque in loco vicini sumus. LXXXVIII. Sed iam ad id, unde degressi sumus, revertamur.

301. Hortensius igitur, cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas ad-

xeris. Obiecit Goerenzius in III. Fin. 15. p. 379. „Hoc loco prave vel ideo *duxeris* receptum est, quod his ipsis ad 86, 296. *haec germana ironia est* etc. respicitur.“ Neque mirum fuerit verba *dicere*, *videre* hisque similia deinceps inculcari.

fuisse] *esse* ed. pr.

299. εἴρωνα] *ironiam* ed. pr.

exist. velim] *non existimari velim* ed. pr. Male: quamquam negans particula ferri posset, subsequente *ne — quidem*. V. Zumpt. in Verrin. II, 24, 60.

300. vero, inquam] *ego vero, inquam* ed. pr. cum Lamb. *Vero* in responsionis initio cum asseveratione dici post alios (velut Gruterus h. l. contulerat Tusc. II, 21. de Divin. I, 46. p. Mur. 31.) observat Heinrich. in Cic. de Rep. I, p. 200.

C. 88. degressi] *digressi* Ern.

si quam nunc] V. nos in c. 69, 242. *eam tamen verborum copiam, si quam habebat, praebebat.*

299. dixi] C. 78.

C. Fannius] De quo v. c. 26. Ipso nomine Graeco hunc usum fuisse confirmat de Orat. II, 67.

300. orationes veteres] Voluit, orationes veterum oratorum. Sed obscure nescio quam innuit pollicitationem.

si modo licebit] In Cumano aut Tusculano, quoniam utroque in loco vicini sumus, aliquando explicabo orationes veterum, si modo per tempora reipublicae licebit. [Licebat vero nullis muneribus occupato, modo vellet; quamquam quod Ernestius coniecit, *si modo libebit*, perversum est post disertam Bruti cohortationem. Adeone excidit memoria locus ille c. 71, 250. *hoc tempore ipso, cum liceat?* Ceterum *si modo* posuit Cicero non sine cavillatione temporum Caesarianorum.]

C. 88. 301. Hortensius] De quo tradidimus in c. 64.

adolescens] Hortensium a. 659. primum in foro dixisse cum XIX.

hiberi coeptus est. * quamquam inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Iulio, cum his ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et commentata et scripta et

301. coeptus, et q. — comparabatur] Sic scripsi. Nam *coeptus est — comparabatur* codd. et ed. pr. *coeptus est — comparabantur* ex Crevierii et Schützii coniectura Orellius, sic explicans: „Hortensius nihilominus celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est, quamquam inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem, et natu maiorum et cum excellentissimis oratoribus, Crasso, Antonio, reliquis, iam comparari solitorum.“ Ego vero Ciceronis sententiam non arbitror eo spectare, ut dicat, quibuscum Cotta et Sulpicius comparati sint, sed ipsum Hortensium cito cum Cottae et Sulpicii laude certasse. Hanc igitur ob causam *est* in *et* mutavi (nisi malis *coeptus est, et*), quo nexus membrorum fieret dilucidus. Ceterum in illis *qui annis decem maiores* facile suppleveris *erant*. Itaque Hortensius celeriter causas graviores suscepit, et, quamvis interiectus esset aetati Cottae et Sulpicii, qui annis X. maiores erant, cum excellerent etiamtum Crassus, Antonius, Philippus, Iulius, tamen hos omnes dicendi laude aemulabatur. [Non adeo placet ista membrorum compositio, *adhiberi coeptus, et — cum his ipsis dicendi gloria comparabatur*, ut coniecturam in ipsum ordinem immissam facile feramus; praesertim cum opus fuerit particula progressum temporum distinguenti. Sed Orellium refellit c. 57. unde cognoscimus Cottam et Sulpicium minime cum gloria Crassi et Antonii comparatos esse. Verum omnia recte se habebunt, si ponimus *qui* ante *quamquam* excidisse.]

deinde] *dein* ed. pr.

cum his] Sic ed. pr. *cum iis* edd. ante Orell.

in nullo] Restituit Manut, iubente etiam Wolfio. *in ullo* Asc. sec. probata Goerenzio in V, Fin. 21, 59. quem fefellit nostratium forma dicendi. *in viro* D. et ed. pr.

redderet] *redoleret* ed. pr.

cogitavisset] Item ed. pr. *excogitavisset* Asc. cum aliis edd. vett.

sua et] Habet ed. pr. *et* om. D. et Lamb.

annos esset natus, monitum in c. 64, 229.

Cottae] De hoc et Sulpicio dixit in c. 55.

Crasso — Philippo] Horum temporibus quatenus coniunctus fuerit Hortensius supra indicavit Cicero c. 64.

Iulio] V. c. 48.

memoriam] Summam illam verborum memoriam in Hortensio saepius admiratur Cicero, Acad. II, 1, de Orat. III, 61. Tusc. I, 24. extr.

et commentata et scripta] Virtus oratoris tum omnis pendebat ex commentatione vel oratione meditata; nec de scripto licebat in foro recitare. V. Wolfius de Marcelliana p. XX. Sed et breves commentarii causarum exarari solebant, et siqui laborem stili do-

nullo referente omnia adversariorum dicta meminisset. 302. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret aut meditaretur extra forum. saepissime autem eodem die utrumque faciebat. attuleratque minime vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor et quae essent dicta contra quaeque ipse dixisset. 303. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus; eaque erat cum summo ingenio tum exercitationibus

302. collectiones] *coniectiones* ed. pr. et codd. nonnulli. memor et quae] *memoriter et quae* ed. pr. *memor eorum quae* Orellius coniiciebat in edit. maiore; quam suspicionem pressit in ed. minore; sed probabat eam Hand. in Turs. T. II. p. 528.

mestici non refugerent, ii habitarum orationum argumenta perscribebant et ad publicam notitiam propagabant. V. annot. in c. 24, 91.

nullo referente] Non liquet; interpretes autem silent. Meboldus interpres vernaculus: *er behielt auch alle Worte der Gegner, ohne dafs ihm Jemand berichtete, im Gedächtnifs.* Quid hoc sibi velit nescio. [Respicit, opinor, ad illam defensionum inter plures partitionem: de qua dixit c. 57, 208. *Respondemus iis, quos non audivimus: in quo primum saepe aliter est dictum, aliter ad nos relatum.*]

302. cupiditate] Studio dicendi.

partitiones] Hortensius ordinem et formulas partiendi primus in eloquentiam Romanam introduxit. Cicero apud Non. v. pressum: *quis te aut est aut fuit unquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior?* Cuius tamen operosam diligentiam et in digitos quasi deductam irrisit p. Quint. 10. et Divin. in Caecil. 14. *Quid cum accusationis tuae membra dividere coeperit et in digitis suis singulas partes causae constituere?*

collectiones] Summas eorum quae vel a nobis vel ab aliis sunt dicta. Eandem *enumerationem* dicit De Inventione I, 52. Cf. Ernesti Lex. Techn. s. v. [Intellige corpus locorum et imaginum, quibus disciplina memoriae artificialis continebatur. Copiose rem persecutus est Morgensternius de arte veterum mnemonica p. 18. sqq. Huius igitur ope Hortensius evaserat *memor* omnium ab utraque parte dictorum.]

303. in v. splendore elegans] Diligens et verborum bonorum delectum faciens. Praepositionem tollendam putabat Ellendt. [Quo valeat *in* significabit de Legg. II, 14. *cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque in vita hominum attulisse.* Plura de hoc genere collegit Ruhnk. in Vellei. II, 43.]

facultate copiosus] Natura abundans erat copia dicendi. [*Facultas* proprie refertur ad usum dicendi confirmatum (v. annot. in c. 95. f. de Orat. I, 8. coll. Salmasio in Hist. Aug. T. I. p. 187.); quod cum non multum ab *facilitate* recedat, critici non raro hanc vocem illi substituerunt, ut in Quintil. X, 1, 44. Notabilis est locus Dial. de Oratt. 33. *neque enim arte et scientia, sed longe magis facultate eloquentiam contineri.*]

maximis consecutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec praetermittebat fere quicquam, quod esset in causa aut ad confirmandum aut ad refellendum. Vox canora et suavis, motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis. Hoc igitur florescente Crassus est mortuus, Cotta pulsus, iudicia intermissa bello; nos in forum venimus. LXXXIX. 304. Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum; Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius; exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermissis: cui frequens aderam, quamquam pro se ipsi dicebant oratores non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen, teste diserto uterque Philippo, cuius in testimonio contentio et vim accusatoris habebat et copiam.

303. erat oratori] Deest *erat* ed. pr.

C. 89. 304. cui frequens aderam] Hanc ed. pr. scripturam (a qua non multum abludit codd. *qui fr. aderam*) Schützius revocavit, Orellius a Schneidero adiutus explicavit aptissime. Iudiciis de lege Varia saepe aderam, etsi duos tantum et mediocres quidem oratores audire licebat, L. Memmium et Q. Pompeium, porro Philippum, qui in causa utriusque testimonium dixit. *qui frequentes aderant* vulg. inde ab Aldo: quod non habet explicatum idoneum. Temere etiam Lambinus *tantum* pro *quamquam*: ubi licuit, quod Schützio placuit, elegantius *cum*.

cuius in] *in* om. ed. pr.

Rem complectebatur] Similiter c. 63, 227.

Vox — motus] Vox Hortensii fuit mollis, gestus autem paene histrionicus: v. Gell. I, 5.

Crassus est mortuus] A. 663.

Cotta pulsus] Lege Varia a. 664.

iudicia intermissa bello] Bello sociali a. 664—666.

nos] Cicero togam virilem sumpsit a. 663. XVI. annos natus.

C. 89. 304. in bello] Italico sive Marsico: cuius primus annus fuit 664. alter autem a. 665.

Sulpicius legatus] P. Sulpicius Rufus legatus eidem bello interfuit; item ut M. Antonius.

iudicium Varia] Paulum est turbatus, ut ad nomen Variae lector attendere cogatur, ordo verborum legitimus, *exercebatur una lege Varia iudicium*. Legem Variam in auctores belli socialis latam fuisse supra diximus in c. 62.

L. Memmius] De quo v. c. 36.

Q. Pompeius] V. c. 56.

teste diserto uterque] Uterque dicebat pro se; in utrumque testimonium dixit Philippus, et ea quidem contentione, ut accusator esse videretur, non testis tantum. Nimirum Philippus optimates acerrime infestavit. Fefellit ratio Buttmannum, qui putabat *utentes* ante *uterque* excidisse. Nihil in hoc loco se vidisse libere confitebatur Ernestius, cui videretur etiam fraus quaedam irrepsisse: cautior ille quidem Wetzelio, qui Philippo teste Memmium et Pompeium oratores esse habitos crediderit, adeoque Ciceronem ab huius testimoniis graviter dictis profecisse.

contentio] Testimonium tanta dixit contentione, ut vi et copia

305. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio, quamquam is quidem silebat, ut erat semel a concione universa relictus; Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans; diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: et hi quidem habitabant in rostris. C. etiam Iulius aedilis curulis quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta cum est expulsus. Reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar, quotidieque et scribens et legens et commentans oratoriis tantum exercitationibus contentus non eram. Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. 306. Ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae P. F., qui quamquam nemini se ad docen-

305. tum] *tunc* Ald.

et hi] Sic ed. pr. Orellio volente. *et ii* edd. vulgg.

tantum] Sic ed. pr. et codd. cum plerisque edd. Id cum redundare videretur, *tamen* posuit Corradus, comprobantibus Ernestio, Schützio, aliis. [Particula per se quidem minime reiicienda (v. annot. in c. 30, 114.), sed huic membrorum conformationi parum accommodata, praesertim cum *quotidieque* sententiam innuat superiori leviter succedentem. Accedit quod Ciceronem non constat philosophiam ante coluisse, quam Philonis in notitiam pervenisset. Haec consideranti videbitur Orellius recte vocem *non* damnasse.]

similem accusationi vocem proferret.

305. C. Curio] Tribunus pl. a. 664. V. c. 58.

Q. Metellus Celer] Q. Caecilius Metellus Celer tribunus pl. a. 664. Wetzelius et Orellius patrem eum fuisse Celeris et Nepotis, de quibus c. 70. dictum est, tradiderunt; repugnante Drumanno, qui hunc Metellum breviter tangit T. II. p. 35.

Q. Varius] Tribunus pl. a. 664.

C. Carbo] Tribunus pl. a. 664. cf. c. 62. Ex hoc quidem loco videtur apparere, Carbonem eodem anno, quo Curionem, Metellum, Varium constat, tribunum pl. fuisse. Pighius tamen et Zumptius in Annalibus tribunatum eius anno 665. assignant.

Cn. Pomponius] Tribunus pl. a. 664. Vide c. 57.

C. Iulius] C. Iulius Caesar Strabo aedilis curulis a. 664.

Cotta — expulsus] A. 664. de quo dictum in c. 56.

consequente anno] A. 665.

306. Q. Scaevolae P. F.] Fabricius in Vita Ciceronis ad annum 664. et Wetzelius docuerunt legendum esse *Q. Scaevolae Q. f.* Cicero enim primum Q. Mucio Scaevolae Q. F. auguri operam dedit, quem in tribunatu P. Sulpicii Rufi a. 666. vixisse ex Laelio c. 1. constat; post auguris vero mortem se ad Q. Mucium Scaevolam P. F. pontificem contulit. De hoc supra dictum in c. 26, 101.

dum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. eodemque tempore cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus: in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. 307. occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium aetatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius. Eodem

307. eodem anno etiam] Sic ed. pr. *eodem etiam alio* D.

huic anno proximus] A. 666.

P. Sulpicii] Hic enim tribunus pl. fuit ipso a. 666. cuius genus concionandi describitur c. 55. Itemque de eodem anno intelligendum quod sequitur, *eodemque tempore*.

Mithridatico bello] Mithridates enim rex cum a. 666. Archelaum ducem cum exercitu in Graeciam misisset, Athenienses auctore Aristione deficiunt a Romanis atque societatem cum Mithridate ineunt. Tunc optimates Atheniensium, qui a Romanorum causa steterant, vexati sunt, eorumque bona publicata. Multi igitur, inter quos Philo philosophus, Romam confugerunt, neque ante in patriam reverti poterant, quam a Sulla Athenae caperentur a. 668. Cf. Drum. T. II. p. 445. Philonem autem magnum in philosophia virum habuit Tullius optimumque suum praeceptorem coluit, quod tot eius voces declarant: ut in Tusc. II, 3. de N. D. I, 3.

ratio iudiciorum] Eo impensius, inquit, philosophiae incubui, quod iam tum oratori non amplius in republica futurum esse locum arbitrabar: tantae enim turbae civiles inter Sullanos et Marianos commovebantur, ut de republica desperandum videretur. Hanc sententiam etsi verba Ciceronis prima specie magis obscurasse quam solita facilitate pronunciare putes, licet tamen agnoscere membris leviter inflexis: *in quo hoc etiam commorabar attentius (etsi rerum ipsarum varietas — retinebat), quod sublata iam esse .. ratio iudiciorum videbatur*. Ernestius autem, cum formam orationis frigere iudicasset, frigidiorem etiam effecit crisi sane leviter admota: *quod et rerum ipsarum varietas — retinebat, et sublata* etc.

307. Occiderat Sulpicius] A. 666.

trium aetatum] Q. Lutatius Catulus alia floruerat aetate quam Antonius, quem ipsum ab Iulii temporibus par fuit secerni: itaque hi viri merito trium aetatum oratores appellantur. Sunt autem Cinnana dominatione, quia Sullae favebant, trucidati a. 667. De singulis dictum supra: de Catulo c. 35. de Antonio c. 36. de C. Iulio c. 48.

Eodem anno] Id est, a. 667. Hic enim annus significatur praecedentibus, *tres proximo trium aetatum oratores erant crude-*

anno etiam Moleni Rhodio Romae dedimus operam, et actori summo causarum et magistro. XC. Haec etsi videntur esse a proposita ratione diversa, tamen idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam voluisti, Brute, possis (nam Attico haec nota sunt), et videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. 308. Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga (nam aberant etiam adolescentes M. Crassus et Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius, magis magisque quotidie probabatur Antistius, Piso saepe dicebat,

C. 90. proposita ratione] Non mutat ed. pr. *proposita oratione* Asc. prob. Lamb. Verum minime haec ab oratione recedebant, quam Cicero de studiis suis iuvenilibus instituisset.

spatio] *stadio* Orellius. Cf. c. 64. extr. [In illo nomine frequenter offenderunt critici, cum deberent cursum sive certaminibus sive confabulationi litteratae destinatum intelligere. V. Huschkii Ep. Crit. in Propert. p. 73. sqq.]

ipsius] Item ed. pr. *ipsis* Lambinus: quasi pedisequus notaretur.

308. quotidie] Deest ed. pr.

probabatur] *probatur* ed. pr.

lissime interfecti: id quod in annum 667. cadere nemo negat. Clintonus autem a. 666. intellexit, ad superius illud *occiderat Sulpicius illo anno* redeundum esse ratus. Nos Fabricium sequimur in vita Ciceronis a. 666. Octavio et Cinna coss.

Moloni] V. annot. in c. 70.

C. 90. proferuntur] C. 16. *nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem.*

308. Triennium] A. 668. 669. 670. quos significat c. 63. *Antistius temporibus floruit iis, quibus inter profectionem reditumque L. Sullae sine iure fuit et sine ulla dignitate res publica.*

sed oratorum] Particulam non assecutus est Ernestius, *et* refingens. Recte Orellius: Triennium fere fuit urbs sine armis, nec tamen ideo plures vigebant oratores, quos aemulos metuendos habuisset Hortensius; quorum quia gravissimi aut interierant aut discesserant aut fugerant, eo facilius primas in causis agebat. [Hiat tamen etiam in Orellii ratione, qui distinctionem horum verborum primus emendavit, iunctura membrorum inter se parum convenientium; neque par fuit ab moestitia triennii, quod iure et dignitate destitutum ex arbitrio hominum seditiosorum penderet, magnos in eloquentia profectus expectari. Malim igitur *sed* ad statum illius temporis, quod oratores nihil iuvabat, quam ad cogitationem triennii pacati et ab armis cessantis trahi: nihilominus (inquit) aliquis oratorum numerus tum extitit, inter quos primas agebat Hortensius. Dictum vero *sine armis* instar adiectivi: ut Ovidius Met. I, 20. *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus* (sc. pugnabant). Et Trist. V, 2, 65. *Nec me tam cruciat nunquam sine frigore coelum.*]

M. Crassus] V. c. 65. Mox de Lentulis duobus dictum in c. 66. item de Antistio in c. 63.

Piso] V. c. 67.

minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. 309. Eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est: sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam esse dilatatam putant, consequi non posse. Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. 310. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie; id-

309. Diodoto] *Diodoro* ed. pr.
apud me mecumque] *apud me: cum Quinto* ed. pr. Correxit Hervag.
dilatatam esse] *esse dilatam* ed. pr. *esse dilatatam* praetuli cum Lamb.
tamen] Firmat ed. pr. *tum* Asc.
310. aliquo] *alio* Hervag.

Pomponius] V. c. 57.
Carbo] V. c. 62.
Philippus] V. c. 47.
309. Diodoto] Hunc domi suae familiarissimum Cicero coluit atque sepelivit. Acad. II, 36. *Diodoto quid faciam Stoico, quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror et diligo.* Huius eruditionem et singularem litterarum amorem idem collaudat Epp. XIII, 16. Tusc. V, 39.
nuper] Id est, a. 694. ad Att. II, 20.
dialectica] V. annot. in c. 41. f.
310. declamitans] Id Ciceronis demum temporibus novissimis ad commentationes rhetorum est translatum; neque ipsa vox *declamare* ante Ciceronem invenitur. De quo copiose dixit Bonnellus *De mutata sub primis Caesaribus eloquentiae Romanae condicione* (Berol. 1836.) p. 16. monens simplicem et nativam significationem fuisse, *clamando vel vehementer dicendo aliquid prodere* (quasi qui sitim quaerat, v. Philipp. V, 7.), quo spectet Ciceronis apud Senecam Controv. I. Praef. p. 63. finitio, *Declamare est iam non mediocriter dicere;* item declamationem non aliud nisi actionem istius studii, qualem describat Auctor ad Herennium III, 12, 20. *De ea parte firmitudinis, quae conservatur ratione declamationis, et de mollitudine vocis, quae maxime necessaria est oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis comparatur, dicendum videtur.* Nunquam igitur Cicero, id quod post eum increbruit, de *opere* dixit sive adumbrata orationum imagine. Adde Ciceronis filii vocem Epp. XVI, 21, 9. *praeterea declamitare Graece apud Cassium instituí; Latine autem apud Bruttium exerceri volo.*
M. Pisone] De quo dictum in c. 67.
Q. Pompeio] V. c. 68.
[aut cum aliquo] Est hic locus ex iis, in quibus grammatici so-

que faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem neque doceri. 311. Tumultus interim pro recuperanda republica et crudelis interitus oratorum trium, Scaevolae, Carbonis, Antistii; reditus Cottae, Curionis, Crassi, Lentulorum, Pompeii; leges et iudicia constituta; recuperata respublica; ex numero autem ora-

[afferebat] *afferret* Ernestii suspicio quam maxime perversa, quam ille proposuit motus subiunctivo *possem*. Hunc tamen apparet ad condicionem interiectam, *nisi Graece dicerem*, referri, quasi qui propius absit a notione plusquamperfecti *potuissem*. Cf. annot. in c. 33, 126.]

311. interim pro] *pro* om. ed. pr.

resp.] *rep.* ed. pr.

lent *aliquis* interpretari dictum pro *alius aliquis*. V. Ruhnk. in Vellei. I, 17. extr. et potissimum Oudend. in Suetonii Tib. 47. Sed intelligitur homo quilibet, quisquis est, ὁ τυχών. Hinc illud in Academ. II, 43. *Quemlibet, modo aliquem*. Itaque nolim a doctis viris illud de c. 44, 163. contendi: *Vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum . . libuisset scribere;* quasi *aliquid* idem esset quod *aliud quid*.]

sed Graece saepius] De qua studiorum ratione nemo disertius ipso Cicerone pronunciavit apud Sueton. de clar. rhett. 2. ubi post alia: *Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse*. Compara de Orat. I, 34, 155. — *ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem. quibus lectis hoc assequebar, ut cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.*

311. Tumultus] Cum Sulla ex bello Mithridatico in Italiam a. 671. redisset, bellum civile novo furore coortum est. Tum Damasippus praetor, antequam Urbs a Sulla reciperetur, auctore C. Mario consule senatores, qui Sullae favebant, neque Romam deseruerant, occidit: inter quos Q. Mucium Scaevolam iurisconsultum et pontificem maximum, C. Papirium Carbonem Arvinam et P. Antistium. Id accidit a. 672. Cf. De Orat. III, 3. Drum. T. II. p. 463.

Scaevolae, Carbonis, Antistii] De hoc dictum in c. 63. de *Carbone* c. 62. de *Scaevola* c. 89. N. D. III, 32. *cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est Q. Scaevola trucidatus?*

reditus] Rediere cum Sulla Romam a. 672. cum ii qui cum eo in bellum Mithridaticum erant profecti, tum ii qui Marium timentes profugerant.

Cottae] Tum exulis: v. in c. 55.

Curionis] De quo dictum in c. 58. Item de rebus *Crassi* in c. 65. de *Lentulorum* in c. 66. de *Pompeii* Magni in c. 68.

leges et iudicia constituta] Sulla dictator a. 673. et 674. leges

torum Pomponius, Censorinus, Murena sublati. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. 312. Eodem tempore Moloni dedimus operam: dictatore enim Sulla legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat. Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna nostro patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas nos diligenter elaboratas et tanquam elucubratas afferebamus.

XCI. 313. Nunc quoniam totum me, non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cogno-

312. quas nos dil.] Sic ed. pr. *quas non dilig.* Ven. *quas non minus dilig.* vulg. inde ab Asc. pr.
et tanquam] *etiam quam* D. cum aliquot edd. vett.

tulit gravissimas, quibus cum tota res publica tum iudicia aliter sunt constituta. De quibus singulatim exposuit Zachariae *Sulla* Parte II. Cf. Drum. T. II. p. 478.

Pomponius] V. in c. 57. Is mortuus est a. 673. Eodemque anno *Censorinus* extinctus est, obiitque diem *Murena:* de quibus diximus in c. 67.

privatas] Cicero primam causam privatam pro Quintio dixit a. 673. XXVI. aetatis anno.

312. Eodem tempore] Eodem fere a. 673.

Moloni] De quo dictum in c. 70. Is Rhodiorum legatus Romam venerat, qui cum bello Mithridatico fidem Romanorum retinuissent, Sullae faventes eumque multum adiuvantes, legatos tum ad senatum miserunt, ut praemia poscerent, quod a Mithridate rege multa et iniqua passi essent, dum acerrimum eius impetum excipiunt. V. Cic. Verr. II, 65. Liv. Epit. LXXVIII. Vellei. II, 18, 3. [Ea res obest Schneidero, qui cum haud male animadvertisset subtractis *Eodem tempore — venerat*, quae narrationem de forensi Ciceronis opera temere videntur interpellare, suam sermoni continuitatem reddi posse, prius membrum *Eodem ... operam* damnavit; alterum vero *dictatore enim — venerat* ad finem c. 89. retraxit. Sed tum temporis cum Moloni Tullius operam dabat, neque Sulla dictaturam tenebat, nec probabile Rhodios bello vehementius flagrante de praemiis rerum quasi confectarum fuisse acturos: id quod Wetzelius perspexit. Itaque pro certo habebimus Molonem bis Romae esse versatum, olim magistrum disciplinae privatae, post eum personam publicam tueretur. Praeterea fugit Schneiderum *itaque* particula, quae cum in illius sententia speciem quandam arrogantiae iactet, modestiam Ciceronis eximie decet, quippe qui laudem illam et approbationem eloquentiae iuvenilis ad auctoritatem atque consilia Molonis iubeat referri.]

prima causa publica] Eam Cicero dixit a. 674. V. Gell. XV, 28.

C. 91. 313. naevo aut crepundiis] Talibus signis poetae scenici solebant uti, ut a parentibus agnoscerentur liberi amissi vel expositi: v. Ruhnk. in Terent. Eunuch. IV, 6, 15. [Non puto Ciceronem de monumentis istis scenicis, quae Graeci dicebant γνωρίσματα praesidium ἀναγνωρίσεων,

agere, complectar nonnulla etiam, quae fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis: procerum et tenue collum, qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio, eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. 314. Itaque cum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. Sed cum censerem, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi me et periculum vitare posse et temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque cum essem biennium versatus in causis, et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. 315. Cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho,

C. 91. 313. accedit] Item ed. pr. *accedat* mg. 1584. probante Ern.

314. discedendum] Sic libri. *desciscendum* Ernestius: nam *discedere a sperata gloria* (inquit) vix bene et commode dicitur; at *a spe desciscere* commode. [Festinabat tum vir eximius, quem proprietas verbi *discedere* vel aliquantisper fugerit. Nam quae plerorumque locorum est ratio, ut tempestiva quaedam declinatio ab instituto viaque proposita intelligatur, eadem in hanc Ciceronis sententiam cadit, qui de tramite honoris ad tempus deflectere iuberetur, donec vires eloquentiae necessarias offirmasset. Itaque cogebatur ille cursum laudis interpellare, nec vero plane deserere et quasi defectione parata, quod Ernestio placet, a forensibus studiis desciscere.]

et iam] *etiam* ed. pr. Vid. c. 25.

cogitasse; vel ob eam causam quod extat *cognoscere*, hoc est, universam studiorum et vitae iuvenilis rationem intueri. Iam notae genuinae, quibus solemus habitum et formam humanam animo imprimere vel ex oblivione temporum investigare, partim sunt fortuitae et externae, velut *crepundia* et quicquid initia puerilis aetatis renovat, aliae vero nativae, potissimum *naevi* (ut Ovidius canit) *in egregio corpore*. His enim et oblectabantur periti formarum spectatores (ut Alcaeus apud Cic. N. D. I, 28. et idem Ovidius ap. Senec. Exc. Controv. II, 2. *dicebat interim decentiorem esse faciem, in qua aliquis naevus esset*), et insignes erant familiae generosae: v. Tyrwh. et Herm. in Aristot. Poet. 16. Itaque *sed corpore omni*, quod nobis est, *völlig und leibhaft*.]

complectar nonnulla] De hisce causis v. Plutarchi Cic. 3.

314. consuetudinem] Operam forensem, quam tum navare solebam.

in Asiam profic.] Tetigit rem Quintil. XII, 6, 7.

biennium] A. 673. et 674.

315. Athenas] Cicero Athenas venit a. 675.

veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae nunquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio tota Asia illis temporibus disertissimus:

315. Syrum] Item ed. pr. *Syrium* mg. 1584. probante Orellio, cui Syrus rhetor ab illis temporibus abhorrere videtur.
lubentibus] *libentibus* ed. pr.

veteris Academiae] Ne mireris Antiochum veteris philosophum dici, quem constet recentioris Academiae signiferum fuisse, cum illud tenendum, quod supra in c. 40, 149. breviter est indicatum, ab Cicerone non satis discerni gradus et familias Academicorum ac Lycei, quae per ignaviam temporum paulatim coaluissent, tum Antiochus, refutato Philone, vetustam Platonis domum studuit ad convenientiam cum Stoicorum secta revocare, sive, quod Cicero Acad. I, 4. posuit, in domum veterem e nova remigravit. Idem alibi Acad. II, 43. *qui appellabatur Academicus, erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus.* Ceterum satis habuit huius consuetudinem ut excellentissimi philosophi memorare, quamquam utebatur etiam Zenone et Phaedro Epicureis familiarissime.

Eodem tempore] A. 675.

Post] A. 676.

[cum summ.] Notabilis praepositionis ambiguitas, quasi summos oratores in cohorte secum duxerit, non per singulas quemque civitates audisset. Quae res coniecturam elicuit *tum* sane infelicem, ab Orellio reiectam. Sed elegans est orationis efficacitas, *Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, ganz Asien habe ich besucht mit allem was es eben an ausgezeichneten Rednern besafs.* Vocis *cum* iuncturam illam, cui solet accedere *totus*, ubi annotavit Ruhnkenius praef. Schell. p. VII. ad indignationem quandam referebat; contra Heinrich. in Orat. p. Scauro p. 41. sq. contemptum interpretabatur. Favet utique magna locorum pars. Catull. 79, 2. *quam te cum tota gente, Catulle, tua.* Iuven. VI, 171. *et cum tota Carthagine migra:* adde Claudian. II. Eutrop. 38. Nec desunt in contrariam partem testimonia gravis orationis, quibus tota possessio sub unius nominis auctoritate celebretur. Ipse Cicero p. Scauro 45. ed. Beier. p. 215. *postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria — vanissimae genti — condonetur?* Et Ennius solennem formulam secutus, quem Virgilius A. VIII, 72. imitatur: *Teque pater Tiberine tua cum flumine sancto.*]

[Menippus Stratonic.] Sive Car, quem Plutarchus Cic. 4. iungit Dionysio Xenoclique, celebrat etiam Strabo XIV. p. 660. uterque fidem Ciceronis secutus. Hic tamen eloquentiam Xenoclis ex aliorum testimonio praedicavit XIII. p. 614. Aeschylum vero quod Westerm. H. Gr. Eloqu. p. 177. narrat a Plutarcho memorari, id secus est.]

et, si nihil habere molestiarum nec ineptiarum Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. 316. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles. hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem applicavi, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos et superfluentes iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitatior, sed prope mutatus. nam et contentio nimia vocis resederat, et quasi deferverat oratio, lateribusque vires et corpori mediocris habitus accesserat.

nec ineptiarum] *et inept.* Nor.

316. Cnidius] *Gnidius* ed. pr.

scriptoremque] *scriptoque* ed. pr.

superfluentes] *suprafluentes* ed. pr. *supraf.* Gu. 1. 2. Pro interpretatione vocis *redundantes* habuit Schützius, non invito quidem Orellio, praesertim cum minus suaviter *superfluentes* et *diffluentes* deinceps ponantur. Verumtamen exaggeratio quaedam videtur sententiae convenire. Neque de suspicione fraudis assentior, cum istud *superfluentes* magis ad figuram extremi membri *extra ripas diffluentes* quam ad tritum *redundantes* accedat.

diffluentes] *diffluentem* Orellius ex Gu. 1. 2. D. Sed retinendum cum ed. pr. *diffluentis* sive *diffluentes:* neque enim quisquam tam infans, ut *ripas diffluentes* iungat.

resederat] Sic Lamb. *reciderat* libri: nisi quod *residerat* Orellius. Cf. c. 3, 10. *consederit.* c. 24, 93. *consedit.* De hac re doctorum hominum opiniones collegit Eckstein. in Aristarcho Vossii P. II. p. 840.

deferverat] Sic etiam D. ut videtur. *referverat* edd. vett. et Gu. 1. 2. *referbuerat* ed. pr. *deferbuerat* Lamb. Conf. quae Orellius in orat. Caelianam c. 18, 43. nos in Orator. 30. diximus; item Eckst. P. I. p. 829.

corpori] *corporis* ed. pr. Correxit Ernestius cum Gu. 1.

mediocris habitus acc.] *mediocres accesserant* nescio quis apud Corradum.

Atticorum est] Cf. c. 82, 284.

316. Rhodum veni] Eodem anno 676.

Molonem] Vide modo c. 89. 90. Ceterum recte monet Wetzelius Posidonium inter magistros Ciceronis sileri, quod nunc ipsum satis habeat afferre rhetores sibi auditos.

nimis redundantes] Iuvenilem illam redundantiam ipse agnoscit Orat. 30. f.

biennio post] Cicero Romam rediit a. 677.

XCII. 317. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam; alter ornatus, acer et non talis, qualem tu eum, Brute, iam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Etenim videram in iisdem causis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensum et agentem et canorum, concursus hominum forique strepitus desiderat. 318. Unum igitur annum, cum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus, cum quaesturam nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus, Cotta ex consulatu est profectus in Galliam; princeps et erat et habebatur Hortensius. Cum autem anno post e Sicilia me recepissem, iam videbatur illud in me, quicquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quandam suam. Nimis multa videor de me, ipse praesertim: sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum, sed ut laborem et industriam. 319. Cum igitur essem in plurimis causis et in principibus patronis

C. 92. 318. e Sicilia] *ex Sic.* ed. pr.

C. 92. 317. tum excellebant] A. 677.

Cotta] De quo v. c. 55.

propriis verbis] Raro translatis: cf. c. 79, 274.

pro M. Canuleio] Hortensius et Cotta defenderunt M. Canuleium repetundarum reum a. 677.

pro Cn. Dolabella] Cn. Corn. Dolabellam, qui consul a. 673. fuerat et ex Macedonia triumpharat, ab C. Iulio Caesare in ius vocatum, prospero successu defendere Cotta et Hortensius a. 677. Huius causae supra in Caesaris memoria c. 71. mentio est facta.

agentem] I. e. incitatum et actuosum. Similiter dictum de Orat. II, 87, 358. *Utendum est imaginibus agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere celeriterque percutere animum possint.* Item Auct. ad Herenn. III, 22.

318. Unum annum] A. 678.

causas nobiles] Unam quidem pro Roscio comoedo a. 678. dictam tenemus; ceteras ignoramus.

me quaestorem] Cicero quaestor Siciliam administravit a. 679. eamque provinciam, quam summa laude et caritate hominum gestam libenter commemorat, dicit annum Siciliensem. Cf. Ruhnk. in Vellei. II, 51.

Cotta] Cotta consul a. 679. post consulatum Galliam proconsulari imperio rexit a. 680.

Nimis multa] Sc. dicere. De qua brevitate sermonis familiaris v. Zumpt. Gr. p. 617.

quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus aedilis cum designato consule Hortensio. XCIII. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, verum etiam praecepta quaedam desiderat: quid tanquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio, breviter licet dicere. 320. Nam is post consulatum (credo, quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent) summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus et secundus annus et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens posset cogno-

C. 93. 319. oratoriam] Sic codd. et ed. pr. Simplex erat *oratorum*, quod volebant Corradus, Lambinus, Schützius, me non repugnante; quamquam genitivi sententia debet adiectivo etiam inesse. Huius enim libri finis is est, non ut oratorum tantum nomina cognoscamus, sed ut artis praecepta simul edisserantur, quidque in iis laudandum quidve sit vituperandum. [Contra senserit, qui perspectum habeat adiectivum utrique membro esse commune. Significanter autem posuit Cicero *enumerationem oratoriam*, hoc est, tabulam generis oratorii, quae nihil nisi res oratorum nudas colligat: neque perinde est dicatur *animus accusatorius* an *accusatoris animus*, aut Ovidius carmen suum facile *artem amatoriam* inscripsisset, quamquam is saeculum implevit *sententiis amatoriis*. Cf. var. lect. in §. 294.]

320. videret] *viderit* ed. pr.

quasi] Deest ed. pr. Usus vocis sane notabilis.

non quivis unus] Duo sunt, *non quivis* et *unus ex populo*. Quare virgula distingui iussit Silligius in Cirin. Virgil. 90. [Tantulam distinctionem opinor aures ignorabant Romanae. Formulam tritam *quivis unus* cur auxerit Cicero verborum *ex populo* accessione, demonstrat c. 54.]

existimator] *extimator* ed. pr.

posset cognoscere] *posset magnum scelus* D. Gu. 2. ubi latet,

319. quinquennium] Ab a. 680. ad a. usque 684. Tunc enim patrocinio Siciliae suscepto Verrem accusavit.

C. 93. 320. post consulatum] Hortensius consul fuit a. 685.

[de picturae veteris] Elegantissimam figuram (quam nemo non videt efficaciorem esse nostratium formula, *vom Glanz der alten Herrlichkeit*) poetae Graeci praeierant, ut Aeschylus Agam. 1330. item Eurip. Pelei fr. 4. et Antiphanes a Toupio Emend. T. I. p. 173. correctus. Eodem spectat locus de opt. gen. oratt. 4. *si teretes aures habent intelligensque iudicium, tanquam ad picturam probandam adhibentur etiam inscii faciendi cum aliqua solertia iudicandi*. Cf. in c. 85, 293.]

existimator] V. annot. in c. 24, 92.

scere. Longius autem procedens, ut in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie. 321. Nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis tum maxime stilo nostrum illud, quod erat, augere, quantumcunque erat. Atque, ut multa omittam in hoc spatio et in his post aedilitatem annis, et praetor primus et incredibili populi voluntate sum factus. nam cum propter assiduitatem in causis et industriam tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram. 322. Nihil de me dicam; dicam de ceteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius quam vulgus hominum studuisse litteris, quibus fons perfectae eloquentiae continetur; nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum; nemo, qui ius civile didicisset, rem ad privatas causas et ad ora-

ut Orellio videtur, *agnoscere*. Sed *posset cognoscere magnum scelus* ed. pr. et Gu. 1. ut verum falso permixtum simul exhibeatur. [Equidem vereor ne lusus scholasticus olim in marginem coniectus frustra diffingatur.]

ut in ceteris] Recepimus post Orellium ex Gu. 1. 2. D. et ed. pr. probante Hand. in Tursell. T. II. p. 538. T. III. p. 605. *et in ceteris* olim vulg. ab Ald. Lambini coniectura *et cum in ceteris* per se non reiicienda, sed praestat artissime iungi *adhaerescens sui diss. videbatur fieri.*

321. quod erat] Tenet ed. pr. Deest Nor. Intellige: quantum facultatis tum mihi comparaveram. Supra §. 318. *quicquid esset.*

et in his] Sic ed. pr. cum plerisque recentioribus (nam in vett. quibusdam est *et in iis*); neque improbat Hand. in Turs. T. III. p. 280. Locus sanissimus, quamvis interpretes eum alii corruptum, alii toto membro *et in his post aedil. annis* interpolatum esse contenderint. Nimirum *ut multa omittam* solebant notis parenthesis includi. Hic autem sensus est: ut multa omittam, quae in hoc spatio et in his post aedilitatem annis (accuratius enim illud definitur additis *in his .. annis*) praestiti, vel, ne omnia enumerem, quae in his post aedilitatem annis effeci. Ceterum anni fuerant tres, inter a. 685. aedilitatis et praeturae a. 688. interiecti. Orellius tamen coniecit aut *et meis post aedilitatem annis* aut *et. II. post aedil. annos.*

et praetor primus] *ut p. r. primus* ed. pr. *praetor et primus* Lamb.

populi] Sic Lambinus, quod Ernestio placuit et Orellio. *populari* codd. et ed. pr. *populi Romani* ipsius Orellii coniectura, quae cadit potius in oratoriam dictionem, ut in Pison. 1.

321. praetor] Functus est praetura a. 688.

322. nemo erat] V. annot. in c. 42. extr.

ad oratoris prudentiam] Ius civile teneat necesse est orator, ut in omnibus causis illud *qua de re agitur* intelligat. Orator au-

toris prudentiam maxime necessariam; nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret; nemo, qui breviter arguteque incluso adversario laxaret iudicum animos, atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret; nemo, qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traduceret; nemo, qui delectandi gratia digredi parumper a causa, nemo, qui ad iracundiam magno opere iudicem,

322. orationem traduceret] Sic codd. et ed. pr. Speciose Manutius, quem probat Ernestius, *traducere*, pendens illud e *posset*. Schützius malebat etiam *revocare*, ne ter inculcarentur *traduceret*, *traducere*, *adducere*.

degredi] *digredi* scripsi cum ed. pr.

magno opere] *magnopere* ed. pr.

tem iuris scientia destitutus prudentia simul destituitur, h. e. rerum civilium intelligentia. Tetigimus in c. 6, 23.

[beneque dictorum] Nolim cum Wetzelio (coll. c. 41.) ad dialecticam referre, cuius diversa est ratio. Sed intellige praeclaras voces ac sententias philosophorum, nominatim Peripateticorum, quibus plurimum sese debere Cicero confitetur.]

[ab inferis] Durius id Ernestio visum est, qui putabat *quasi* intercidisse, his probantibus, illis audaciam Ciceronis excusantibus. Verum nulla subest figura, qualem Eupolis in Demis fabula splendidissimam effinxit, cum Miltiadem et sanctissimos quosque reipublicae gubernatores in scenam introduceret: et egregie quidem, ut poetam decuit εὐφαντασίωτον. Oratores autem in modicis finibus sese continuerunt, ut exemplis civium fortissimorum et testimoniis defunctorum propositis (huc enim redit Tullianum, *ab inferis locupl. testes excitaret*) auditores praesentes pellerent aut deterrerent. Hanc rationem de Graecis Demosthenes explicuit copiosissime, cuius e tot luminibus et documentis rerum domesticarum (*οἰκείοις παραδείγμασιν*) satis habemus Olynth. III. p. 35. Philipp. III. p. 117. 120. sqq. Chers. p. 108. Aristocr. p. 686. 689. designasse. Ciceronis autem qui Demosthenis ad auctoritatem in hoc etiam genere totum se composuit, locos infinitum est congregare, cum orationes suas exemplis ex annalium vetustate et memoria rerum florentissimarum erutis (de quo praeceperat de Or. I, 5.) distinguere soleat et illustrare. Sed afferenda tamen exquisita demonstratio Sestianae c. 65—68.]

breviter arguteque] Brevibus acutisque dictis urgens adversarium, quem irretitum et in angustias compulsum quasi includeret.

ad hilaritatem risumque traduc.] Iisdem verbis Crassi factum c. 53. laudavit; ipsius autem Ciceronis miram in hoc genere elegantiam ac festivitatem et oratio pro Murena declarat, et L. Flacci defensio, cuius manifesta crimina iocis ab eo diluta fuisse docet Macrobius II, 3. Corrado citatus.

hominis ac temporis] Nemo causam certam et singularem, in qua de certo vel homine vel tempore quaerebatur, ad rationes communes ita reducere poterat, ut tanquam speciem generi suo subiiceret.

magno opere] Ita ut magnam

nemo, qui ad fletum posset adducere; nemo, qui animum eius (quod unum est oratoris maxime proprium), quocunque res postularet, impelleret. XCIV. 323. Itaque cum iam paene evanuisset Hortensius, et ego anno meo, sexto autem post illum consulem consul factus essem, revocare se ad industriam coepit, ne, cum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, cum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, coniunctissime versati sumus; consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. 324. Maxime vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, quam perterritum armis hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito et obmutuit: cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se vel potius easdem novi veniebamus quotidie. quibus quidem causis tu etiam, Brute, praesto fuisti, compluresque et nobiscum et solus egisti: ut, qui non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc cursum confecerit. Annis ante decem causas agere coepit, quam tu es natus. idemque quarto et sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus una tecum socerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque, orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.

impelleret] *impellere* Ern., item ut supra *traducere*.
C. 94. 323. Sic duodecim] *sic et duodecim* D.
324. idem] *idemque* scripsi cum ed. pr.
quarto et] Deest *et* ed. pr.

incenderet iracundiam. Cf. Hand. in Turs. T. III. p. 580.

ad fletum] V. annot. in c. 51.

C. 94. 323. anno meo] Anno legitimo, qui erat annus quadragesimus tertius. Gessit autem consulatum a. 691. sex annis post consulatum Hortensii a. 685.

duodecim] Ab a. 692. usque ad a. 704. quo anno decessit Hortensius.

324. paulo ante quam] Paulo ante quam bellum civile inter Pompeium et Caesarem erupit.

lege Pompeia] De qua diximus in c. 69, 243. *iudicialis anni:* cf. p. 198.

hunc cursum] Hortensius etiamsi diutius vivere posset, magnum tamen cursum iam confecerat, qui multorum annorum spatium in foro transegisset. Illius autem cursus qui fuerint extremi fines continuo declarat, ab a. 659. profectus ad annum viri novissimum.

annis ante decem] Hortensius primam causam dixit a. 659. Brutus autem natus est a. 669.

quarto et sexagesimo] Hortensius natus a. 640. vita decessit a. 704.

Appium] Dictum in c. 64, 230. 77, 267.

XCV. 325. **Sed si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo quam senior Hortensius, causas reperiemus verissimas duas. Primum quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum quam senectuti. Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis; qualis in historia Timaeus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater eius, fuit: quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum; quali est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum: in**

C. 95. 325. et severis quam conc.] *etsi veris nunquam concinnis* ed. pr.

qualis] Tuetur ed. pr. *quali* Schützius. Hoc significat (item ut infra, *quali est nunc*), quo genere utitur; illud vero, quem colorem expressit, *in welchem Tone spricht*. Timaeus quidem non eandem concinnitatem generis Asiatici sectatus est, sed in argutis tamen sententiis sibi placuit.

Menecles] *Menocles* ed. pr.

quali est] *quali et* ed. pr.

et faceto] Deest ed. pr.

C. 95. 325. primum] Alteram causam reddit ab illis §. 327. *Sed cum iam honores et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret* etc. Similia Heusing. in I. Offic. 14, 7. indicavit. Ernestius autem poscebat *primam:* in altera enim scriptura delendum fuisse *quod.* Cicero tamen, ut est in talibus varius et sui iuris, faciliorem praetulit rationem.

genus Asiaticum] Totum hoc genus nuper explicuit Bernhardy *Gr. Litt.* I. p. 379. [Bipartitam istius generis descriptionem nisi fallor nemo praeter Ciceronem instituit, qui differentiam satis quidem illustrem inter declamatores et scriptores vel magistros Asiaticos, sed a fortuitis tamen notis repetitam videtur observasse. Huc spectat definitio similis et si quid iudico magis sibi consentanea Orat. 69. qua sectatores Hegesiae, numerorum illi fractorum amantissimi, ab Hieroclis schola distinguuntur, quae miram dicendi facultatem angustis formulis modisque exiliter concludebat. *Tertium est* (inquit) *in quo fuerunt fratres illi Asiaticorum rhetorum principes Hierocles et Menecles, minime mea sententia contemnendi.* Eosdem iunxit de Orat. II, 23. item Strabo XIV. p. 661. summam eorum famam testificantes.]

concinnis] Infra: *ornata sententiarum concinnitas non erat.* Hoc est, numerus arte et aurium iudicio expolitus et minutis numerorum vinculis constrictus. Supra de Hegesia c. 83. *At quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa (quam tamen consequitur) concinnitate puerilis.* Nos: *zugeschnittene und zierliche Gedanken.*

Timaeus] Ingeniosissimus scriptor (de Orat. II, 14.), sed in dicendo saepe frigidus et puerilis. V. Goeller. de Timaeo p. 185.

exornato et faceto] Dicit lasci-

quo fuit Aeschylus Cnidius et meus aequalis Milesius Aeschines. in his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. 326. Haec autem (ut dixi) genera dicendi aptiora sunt adolescentibus; in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius utroque genere florens clamores faciebat adolescens. habebat enim et Meneclium illud studium crebrarum venustarumque sententiarum; in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc, erant quaedam magis venustae dulcesque sententiae quam aut necessariae aut interdum utiles; et erat oratio cum incitata et vibrans tum etiam accurata et polita. Non probabantur haec senibus: saepe videbam cum irridentem tum etiam irascentem et stomachantem Philippum; sed mirabantur adolescentes, multitudo movebatur. 327. erat excellens iudicio vulgi et facile primas tenebat adolescens. etsi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse aetati videbatur: et certe, quod et ingenii quaedam forma lucebat, et exercitatio perfecta erat, verborumque astricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat. Sed cum iam honores et illa senior auctoritas gravius quid-

Cnidius] *Gnidius* ed. pr.
in his] Sic ed. pr. cum Manutio: *in iis* Ern.
326. Meneclium] *Menoclium* ed. pr.
probabantur] *probantur* edd. vett. Correxit Ernestius: spectatur enim, quid senes tum senserint, non quid universe sequantur.
cum irridentem] *tum irridentem* ed. pr.
327. erat excellens — adolescens] Schützius et Ell. uncis includunt, nec quisquam ea, si deessent, desideraret. Sed abundantia difficilius est in Cicerone recidi quam in Sallustio. [Non adeo longe abiit Orellius, quem miror senis verba e redundantia iuvenili repetisse. Verum nihil desideres, modo superioribus adiungantur *erat excellens ... tenebat*, subtracto tamen *adolescens*.]
lucebat] Sic etiam ed. pr. *elucebat* Lamb. Illud autem sua gravitate praestat: illustris erat et luminibus distincta.

viam et acumina sermonis figurati, qualem solebant captare declamatores.

Aeschylus] V. c. 91, 316.

Milesius Aeschines] Qui solum vertere coactus est, cum Pompeium immodica libertate perstrinxisset: v. Strab. XIV. p. 635. Idem πολιτικὸς συγγραφεὺς dictus Diogeni Laert. II, 64. Inter bonos declamatores Seneca rettulit Controv. I, 8.

326. ut dixi] Initio capitis: *genus orationis Asiaticum*, *adolescentiae magis concessum quam senectuti.*

Philippum] V. c. 47. Nam Hortensium *cum Philippo iam sene* causas egisse dixerat c. 64.

327. quaedam forma] Sive χαρακτήρ. Orat. 11. *formam, qui χαρακτὴρ Graece dicitur.*

dam requireret, remanebat idem, nec decebat idem; quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio et florentem facultate audire potuisses. XCVI. 328. Tum Brutus, Ego vero, inquit, et ista quae dicis video qualia sint et Hortensium magnum oratorem semper putavi, maximeque probavi pro Messalla dicen-

exercitatione] *exercitatio* ed. pr. Quae nescio an optima sit lectio, ita ut et ingenium et exercitatio dicendi et comprehensio verborum maximis laudibus ferantur. [Nos in ipsum ordinem recepimus: nam vulgata scriptura habebat *et* perperam immissum post *lucebat*, quod minime fugit Schützium acute refingentem: — *forma lucebat, exercitatione perfecta, eratque verborum a. comprehensio.* Hortensius quantam attulerit exercitationem intelligi licet ex c. 88. quam quidem credibile est in eo oratore, qui melius dixisse quam scripsisse feratur plurimumque valuerit actione, praeclaram et omnibus numeris absolutam fuisse. Contra parum sibi constiterit Cicero, si Hortensio, quem iuvenili nec satis matura forma placuisse tradat, splendidam ingenii formam tribuisset *exercitatione perfectam.*]

decebat] *dicebat* ed. pr.

florentem facultate] Supra c. 88. *facultate copiosus*, ubi v. annot. Or. p. Quintio c. 2. *Hortensio summam copiam facultatemque dicendi natura largita est.* Itaque vana fuit Ernestii dubitatio, qui proposuit coniecturam otiosam *flor. aetate*, probatam Schützio.

C. 96. 328. qualia sint] Item ed. pr. *q. sunt* D. Gu. 1. 2.

Messala] *Messalla* ed. pr. Vide c. 70, 246.

C. 96. 328. pro Mesalla] M. Valerius Messalla, qui consul a. 701. cum Cn. Domitio fuit, cum anno superiore ambitus esset accusatus (v. ad Att. IV, 16. ad Qu. Fr. III, 8.), iterum eodem crimine reus factus a. 703. ab Hortensio defenditur avunculo: quo absoluto cum theatrum esset ingressus, populus eum exsibilavit, qui intactus a sibilo pervenisset ad senectutem: v. Caelii epistolam VIII, 2. Tunc Cicero proconsulatum Ciliciae tenebat. Idem Messalla varios condidit libros cum augurali disciplina coniunctos. Macrob. Sat. I, 9. *M. Messalla, Cn. Domitii in consulatu collega, idemque per annos quinquaginta et quinque augur, de Iano ita incipit* etc. Festus p. 175. (cf. p. 267.) *Messalla augur in Explanatione auguriorum.* Gellius XIII, 15. *Liber M. Messallae auguris de auspiciis primus, cum hoc scriberemus, forte affuit. propterea ex eo libro verba ipsius Messallae subscripsimus* etc., eundemque librum profert c. 14. Porro *de Familiis* scripsit, origines gentium contexens, si quidem Plinium diligentius interpretamur. Hic enim XXXV, 2, 2. *Extat Messallae oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suae Laevinorum alienam imaginem. Similis causa Messallae seni expressit volumina illa, quae de*

tem, cum tu afuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio. Ergo ille a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules floruit; nos in eodem cursu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere consules. Sic Q. Hortensii vox extincta suo fato est, nostra publico. 329. Melius, quaeso, ominare, inquit Brutus. Sit sane ut vis, inquam, et id non tam mea causa quam tua: sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit cum fierent, quae providit futura. saepe enim inter nos impendentes casus deflevimus, cum belli civilis causas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quae consecutae sunt, morte vindicasse.

330. Nos autem, Brute, quoniam post Hortensii, clarissimi oratoris, mortem orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam septam liberali

afuisti] *affuisses* ed. pr.

fato suo] Restitui cum ed. pr. *suo fato*.

329. providit] *praevidit* Lamb. Illud tamen significat etiam solicitam curam praevidentis.

vindicasse] *vindicavisse* ed. pr. et Lamb.

familiis condidit etc. Apparet igitur et recte fecisse, quisquis Indicem auctorum Plinianis libris praefixit, qui Messallam senem ab oratore distinxerit, et senis fuisse narrationem de familiis. Contra Vossius de Histor. Latin. p. 89. cuius auctoritatem secuti sunt alii scriptores litterarum Romanarum (v. Bernh. p. 260. Bähr. p. 390.), Messallam Corvinum oratorem in senectute putabat librum de familiis composuisse. Idem Messallae liber a Plinio commemoratur XXXIV, 38. *Servilia familia, illustris in Fastis, trientem aereum pascit auro et argento, consumentem utrumque. Origo atque natura eius incomperta est mihi. Verba ipsa de ea re Messallae senis ponam* etc. Restat ut Kordesii faciamus mentionem, qui in libello Eberhardtii p. 143. auctorem de Familiis non eundem putat, qui de auguriis similibusque quaestionibus tradiderit, sed consulem a. 693. supra narratum c. 70. Sane potest etiam tertium fieri, ut neuter intelligatur.

a Crasso consule] Floruit enim ab a. 659. usque ad a. 704. Cf. c. 64.

a Sulla dictatore] Ab a. 673. usque ad a. 704. fere: nam interrupit eius cursum administratio Ciliciae et flamma belli civilis. Vide c. 90.

publico] Everso statu reipublicae. Videndum libri primordium.

329. a publico consilio] Sive ab iis qui reipublicae consulere deberent. Cf. inter tot Ciceronis voces saltem c. 2. et annot. in c. 76. extr.

330. orbae — sumus] In his Victorius Varr. Lectt. XIV, 11. nescio quam imitationem Epistolae Aristotelicae, quae Rhetoricae ad Alexandrum praemittitur, ed. Buhl. T. V. p. 21. sibi visus est deprehendisse.

custodia, et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque ut adultam virginem caste, et ab amatorum impetu quantum possumus prohibeamus. Equidem, etsi doleo, me in vitam paulo serius tanquam in viam ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc rei publicae noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis litteris; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me etiam me tacente ipsa loquerentur mortuo viverentque: quae, si recte esset, salute rei publicae; sin secus, interitu ipso testimonium meorum de re publica consiliorum darent. XCVII. 331. Sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna rei publicae. Hic me dolor tangit, haec cura sollicitat, et hunc mecum, socium

330. amatorum] *armatorum* male Gu. 1. 2. D. ed. pr. [Egregia figura, quae sua sponte et versum Aristophanis Equ. 520. *πολλῶν γὰρ πάνυ πειρασάντων ὀλίγοις αὐτὴν χαρίσασθαι*, et scenam Pytinae Cratineae in memoriam revocat, quamque totam depinxit scriptor Epigrammatis ap. Sueton. de ill. gramm. 18. Item Cicero finxit eloquentiam tanquam virginem castam et diligenter custoditam, hoc est, *κατάκλειστον*: de quo v. Iacobsii Opusc. T. IV. p. 301. Ceterum licet forsitan dubitare, quos amatorum impetus Cicero significarit: nam vulgatae scripturae *armatorum*, ab Lambino Ernestioque damnatae, frustra defensionem suscepit Wetzelius. Ego nullos invenio nisi grandes declamatorum numeros, quorum specimina delibavit Seneca pater.]

mortuo viverentque] Recepi ex ed. pr. *mortuoque viverent* edd. vulgg. Minus etiam probatur Ernestii coniectura, *quae de me etiam tacente ipsa loq. mortuoque me viverent.*

salute] *saluti* ed. pr.

C. 97. 331. vehentem] *volantem* Lamb. Sed *vehens in equo* ac similiter conformata munierunt intpp. Appuleii Metam. p. 11. sq.

tangit] *angit* Corradus et Lamb. quod receperat Wetzelius. Sic III. ad Q. fratrem 3, 1. *sed me ita cura sollicitat angitque*, ubi ed. Romana *tangitque*. [Parum attenderunt viri docti ad collocationem verborum, quae cogit in vulg. acquiescere. Nam sollicitudo, quam nos dicimus *Interesse*, *lebhafte Theilnahme*, non solum debilior sed etiam prior est angore.]

haec me] *me* delevimus ex auctoritate Gu. 1. 2. D. ed. pr. et Schützii.

tuis litteris] V. c. 8.

si recte esset] Si res publica staret. Huius igitur salutem ab Ciceronis praeclare gestis, interitum autem a contemptu saluberrimorum consiliorum repeti volebat Brutus.

C. 97. 331. [quasi quadrigis] Horatius Serm. I, 6, 23. *Sed fulgente trahit constrictos gloria curru.* Figuram a poetis excultam enarravimus in Dionys. Perieg. 651. Wetzelius minus apte nobis tradit adolescentem ardentissimo studio laudibus anhelantem.]

et hunc] Atticum.

eiusdem et amoris et iudicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus, tibi optamus eam rem publicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses. 332. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod iam propemodum vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Graeciae? quid illa vetus Academia atque eius heres Aristus, hospes et familiaris meus, si quidem similes maioris partis oratorum futuri sumus? 333. Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse?

sed et ipsam] Sic ed. pr. *sed ut ipsam* Gu. 2.

laude iunxisses] *cum summa eloquentia devinxisses* Gu. 1. 2. et ed. pr. ex interpolatione.

332. nec enim decet te] *nec te enim decet* D.

domo] *domi* ed. pr.

333. constitisse] Scripturam librorum cum simpliciore *extitisse* commutabant Rivius et Lambinus. Sed consulto elegit Cicero *con-*

duorum generum] Iuniorum et Serviliorum: quo spectat in Phil. X, 6. *paternum maternumque Bruti genus et nomen.*

graviorum artium] Brutus quam peritus litterarum, inprimis philosophiae fuerit, exposuimus in Prooemio.

332. ex urbe ea] Athenis. Similiter urbem humanitatis altricem descripsit Epp. VI, 1. 3. pro Flacco c. 26.

Pammenes] Cicero ad eundem Brutum scribens, ubi mentionem iniecerat Demosthenis, Orat. 30. *quoniam et hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti.* Seneca Controv. I, 4. *Pammenes ex bonis declamatoribus:* cf. II, 13.

Aristus] Antiochi frater, quo Brutus utebatur familiarissime: Acad. I, 3. Tusc. V, 8. Plut. Brut. 2.

futuri sumus] Amanter dixit in cohortatione Bruti, quo significatur ipsum *futurus es.*

333. vix singulis aetatibus] De Orat. I, 2, 8. *Iam vero, consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publ. possent, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum ex-*

Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior, et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt; Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi, quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit; Antonius, Crassus; post Cotta, Sulpicius; Hortensius, nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, si operosa est concursatio, magis optimorum — — —.

stitisse, quod in *binos* accurate conveniat: *constitisse* enim significat *una extitisse*, *mit einander auftreten*. Orellius coniiciebat *contigisse*.

tantum] Sic recte ed. pr. *tamen* D.

in multis — opportunorum] *in multis si operosa est concursatio magis optimorum*. ed. pr. [Obscura libri conclusio nec paucis vitiis inquinata; sed assentiendum Corrado, cui non multa deesse viderentur. Is tamen vehementer laborabat in explicandis *magis opportunorum*, quibus nulla lux interpretationis potest adhiberi. Porro necesse est emendetur *si operosa esset*. Interim distinctione facta post *concursatio* recepi verissimam Romanae scripturam, quae faciat probabile hanc fere sententiam olim extitisse: Hortensius et illius aemulus, si licet parem me huic adiungi; certe maximo studio perfeci, ut numero multorum eximerer; si tamen contra fortuna cecidisset mihique temporibus obscuris inter oratores mediocres fuisset dicendum, ego saltem optimorum quorumque vestigia persequi constituissem.]

titerunt, *cum boni perdiu nulli*, *vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur*.

Galba — Carbo] De *Galba* v. c. 21, 82. de *Catone* c. 16, 63. de *Lepido* c. 25, 95. denique de *Carbone* c. 27.

nam Gracchi] Principem tertiae aetatis Carbonem esse ponit, non Gracchos: hos enim in concionibus tantum, quod multo facilius et liberius dicendi genus sit, non in iudiciis excelluisse.

Antonius, Crassus] V. c. 36.

Cotta, Sulpicius] V. c. 55. In prima igitur aetate Galba, in secunda Lepidus, in tertia Carbo, in quarta Antonius et Crassus, in quinta Cotta et Sulpicius, in sexta Hortensius et Cicero praestiterant.

nihil dico amplius] Apparet ipsum Ciceronem intelligi.

INDICES RERUM.

custodia, et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque ut adultam virginem caste, et ab amatorum impetu quantum possumus prohibeamus. Equidem, etsi doleo, me in vitam paulo serius tanquam in viam ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc rei publicae noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis litteris; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me etiam me tacente ipsa loquerentur mortuo viverentque: quae, si recte esset, salute rei publicae; sin secus, interitu ipso testimonium meorum de re publica consiliorum darent. XCVII. 331. Sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna rei publicae. Hic me dolor tangit, haec cura sollicitat, et hunc mecum, socium

330. amatorum] *armatorum* male Gu. 1. 2. D. ed. pr. [Egregia figura, quae sua sponte et versum Aristophanis Equ. 520. *πολλῶν γὰρ πάνυ πειρασάντων ὀλίγοις αὐτὴν χαρίσασθαι*, et scenam Pytinae Cratineae in memoriam revocat, quamque totam depinxit scriptor Epigrammatis ap. Sueton. de ill. gramm. 18. Item Cicero finxit eloquentiam tanquam virginem castam et diligenter custoditam, hoc est, *κατάκλειστον*: de quo v. Iacobsii Opusc. T. IV. p. 301. Ceterum licet forsitan dubitare, quos amatorum impetus Cicero significarit: nam vulgatae scripturae *armatorum*, ab Lambino Ernestioque damnatae, frustra defensionem suscepit Wetzelius. Ego nullos invenio nisi grandes declamatorum numeros, quorum specimina delibavit Seneca pater.]

mortuo viverentque] Recepi ex ed. pr. *mortuoque viverent* edd. vulgg. Minus etiam probatur Ernestii coniectura, *quae de me etiam tacente ipsa loq. mortuoque me viverent.*

salute] *saluti* ed. pr.

C. 97. 331. vehentem] *volantem* Lamb. Sed *vehens in equo* ac similiter conformata munierunt intpp. Appuleii Metam. p. 11. sq.

tangit] *angit* Corradus et Lamb. quod receperat Wetzelius. Sic III. ad Q. fratrem 3, 1. *sed me ita cura sollicitat angitque*, ubi ed. Romana *tangitque*. [Parum attenderunt viri docti ad collocationem verborum, quae cogit in vulg. acquiescere. Nam solicitudo, quam nos dicimus *Interesse*, *lebhafte Theilnahme*, non solum debilior sed etiam prior est angore.]

haec me] *me* delevimus ex auctoritate Gu. 1. 2. D. ed. pr. et Schützii.

tuis litteris] V. c. 8.

si recte esset] Si res publica staret. Huius igitur salutem ab Ciceronis praeclare gestis, interitum autem a contemptu saluberrimorum consiliorum repeti volebat Brutus.

C. 97. 331. [quasi quadrigis] Horatius Serm. I, 6, 23. *Sed fulgente trahit constrictos gloria curru.* Figuram a poetis excultam enarravimus in Dionys. Perieg. 651. Wetzelius minus apte nobis tradit adolescentem ardentissimo studio laudibus anhelantem.]

et hunc] Atticum.

eiusdem et amoris et iudicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus, tibi optamus eam rem publicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses. 332. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod iam propemodum vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Graeciae? quid illa vetus Academia atque eius heres Aristus, hospes et familiaris meus, si quidem similes maioris partis oratorum futuri sumus? 333. Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse?

sed et ipsam] Sic ed. pr. *sed ut ipsam* Gu. 2.
laude iunxisses] *cum summa eloquentia devinxisses* Gu. 1. 2. et ed. pr. ex interpolatione.
332. nec enim decet te] *nec te enim decet* D.
domo] *domi* ed. pr.
333. constitisse] Scripturam librorum cum simpliciore *extitisse* commutabant Rivius et Lambinus. Sed consulto elegit Cicero *con-*

duorum generum] Iuniorum et Serviliorum: quo spectat in Phil. X, 6. *paternum maternumque Bruti genus et nomen.*

graviorum artium] Brutus quam peritus litterarum, inprimis philosophiae fuerit, exposuimus in Prooemio.

332. ex urbe ea] Athenis. Similiter urbem humanitatis altricem descripsit Epp. VI, 1. 3. pro Flacco c. 26.

Pammenes] Cicero ad eundem Brutum scribens, ubi mentionem iniecerat Demosthenis, Orat. 30. *quoniam et hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti.* Seneca Controv. I, 4. *Pammenes ex bonis declamatoribus:* cf. II, 13.

Aristus] Antiochi frater, quo Brutus utebatur familiarissime: Acad. I, 3. Tusc. V, 8. Plut. Brut. 2.

futuri sumus] Amanter dixit in cohortatione Bruti, quo significatur ipsum *futurus es.*

333. vix singulis aetatibus] De Orat. I, 2, 8. *Iam vero, consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publ. possent, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum ex-*

Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior, et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt; Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi, quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit; Antonius, Crassus; post Cotta, Sulpicius; Hortensius, nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, si operosa est concursatio, magis optimorum — — —.

stitisse, quod in *binos* accurate conveniat: *constitisse* enim significat *una extitisse, mit einander auftreten.* Orellius coniiciebat *contigisse.*

tantum] Sic recte ed. pr. *tamen* D.

in multis — opportunorum] *in multis si operosa est concursatio magis optimorum.* ed. pr. [Obscura libri conclusio nec paucis vitiis inquinata; sed assentiendum Corrado, cui non multa deesse viderentur. Is tamen vehementer laborabat in explicandis *magis opportunorum*, quibus nulla lux interpretationis potest adhiberi. Porro necesse est emendetur *si operosa esset.* Interim distinctione facta post *concursatio* recepi verissimam Romanae scripturam, quae faciat probabile hanc fere sententiam olim extitisse: Hortensius et illius aemulus, si licet parem me huic adiungi; certe maximo studio perfeci, ut numero multorum eximerer; si tamen contra fortuna cecidisset mihique temporibus obscuris inter oratores mediocres fuisset dicendum, ego saltem optimorum quorumque vestigia persequi constituissem.]

titerunt, cum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur.

Galba — Carbo] De *Galba* v. c. 21, 82. de *Catone* c. 16, 63. de *Lepido* c. 25, 95. denique de *Carbone* c. 27.

nam Gracchi] Principem tertiae aetatis Carbonem esse ponit, non Gracchos: hos enim in concionibus tantum, quod multo facilius et liberius dicendi genus sit, non in iudiciis excelluisse.

Antonius, Crassus] V. c. 36.

Cotta, Sulpicius] V. c. 55. In prima igitur aetate Galba, in secunda Lepidus, in tertia Carbo, in quarta Antonius et Crassus, in quinta Cotta et Sulpicius, in sexta Hortensius et Cicero praestiterant.

nihil dico amplius] Apparet ipsum Ciceronem intelligi.

INDICES RERUM.

custodia, et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque ut adultam virginem caste, et ab amatorum impetu quantum possumus prohibeamus. Equidem, etsi doleo, me in vitam paulo serius tanquam in viam ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc rei publicae noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis litteris; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me etiam me tacente ipsa loquerentur mortuo viverentque: quae, si recte esset, salute rei publicae; sin secus, interitu ipso testimonium meorum de re publica consiliorum darent. XCVII. 331. Sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna rei publicae. Hic me dolor tangit, haec cura sollicitat, et hunc mecum, socium

330. amatorum] *armatorum* male Gu. 1. 2. D. ed. pr. [Egregia figura, quae sua sponte et versum Aristophanis Equ. 520. *πολλῶν γὰρ πάνυ πειρασάντων ὀλίγοις αὐτὴν χαρίσασθαι*, et scenam Pytinae Cratineae in memoriam revocat, quamque totam depinxit scriptor Epigrammatis ap. Sueton. de ill. gramm. 18. Item Cicero finxit eloquentiam tanquam virginem castam et diligenter custoditam, hoc est, *κατάκλειστον*: de quo v. Iacobsii Opusc. T. IV. p. 301. Ceterum licet forsitan dubitare, quos amatorum impetus Cicero significarit: nam vulgatae scripturae *armatorum*, ab Lambino Ernestioque damnatae, frustra defensionem suscepit Wetzelius. Ego nullos invenio nisi grandes declamatorum numeros, quorum specimina delibavit Seneca pater.]

mortuo viverentque] Recepi ex ed. pr. *mortuoque viverent* edd. vulgg. Minus etiam probatur Ernestii coniectura, *quae de me etiam tacente ipsa loq. mortuoque me viverent.*

salute] *saluti* ed. pr.

C. 97. 331. vehentem] *volantem* Lamb. Sed *vehens in equo* ac similiter conformata munierunt intpp. Appuleii Metam. p. 11. sq.

tangit] *angit* Corradus et Lamb. quod receperat Wetzelius. Sic III. ad Q. fratrem 3, 1. *sed me ita cura sollicitat angitque*, ubi ed. Romana *tangitque*. [Parum attenderunt viri docti ad collocationem verborum, quae cogit in vulg. acquiescere. Nam solicitudo, quam nos dicimus *Interesse*, *lebhafte Theilnahme*, non solum debilior sed etiam prior est angore.]

haec me] *me* delevimus ex auctoritate Gu. 1. 2. D. ed. pr. et Schützii.

tuis litteris] V. c. 3.

si recte esset] Si res publica staret. Huius igitur salutem ab Ciceronis praeclare gestis, interitum autem a contemptu saluberrimorum consiliorum repeti volebat Brutus.

C. 97. 331. [quasi quadrigis] Horatius Serm. I, 6, 23. *Sed fulgente trahit constrictos gloria curru.* Figuram a poetis excultam enarravimus in Dionys. Perieg. 651. Wetzelius minus apte nobis tradit adolescentem ardentissimo studio laudibus anhelantem.]

et hunc] Atticum.

eiusdem et amoris et iudicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus, tibi optamus eam rem publicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses. 332. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod iam propemodum vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Graeciae? quid illa vetus Academia atque eius heres Aristus, hospes et familiaris meus, si quidem similes maioris partis oratorum futuri sumus? 333. Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse?

sed et ipsam] Sic ed. pr. *sed ut ipsam* Gu. 2.
laude iunxisses] *cum summa eloquentia devinxisses* Gu. 1. 2. et ed. pr. ex interpolatione.
332. nec enim decet te] *nec te enim decet* D.
domo] *domi* ed. pr.
333. constitisse] Scripturam librorum cum simpliciore *extitisse* commutabant Rivius et Lambinus. Sed consulto elegit Cicero *con-*

duorum generum] Iuniorum et Serviliorum: quo spectat in Phil. X, 6. *paternum maternumque Bruti genus et nomen.*

graviorum artium] Brutus quam peritus litterarum, inprimis philosophiae fuerit, exposuimus in Prooemio.

332. ex urbe ea] Athenis. Similiter urbem humanitatis altricem descripsit Epp. VI, 1. 3. pro Flacco c. 26.

Pammenes] Cicero ad eundem Brutum scribens, ubi mentionem iniecerat Demosthenis, Orat. 30. *quoniam et hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti.* Seneca Controv. I, 4. *Pammenes ex bonis declamatoribus*: cf. II, 13.

Aristus] Antiochi frater, quo Brutus utebatur familiarissime: Acad. I, 3. Tusc. V, 8. Plut. Brut. 2.

futuri sumus] Amanter dixit in cohortatione Bruti, quo significatur ipsum *futurus es.*

333. vix singulis aetatibus] De Orat. I, 2, 8. *Iam vero, consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publ. possent, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum ex-*

Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior, et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt; Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi, quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit; Antonius, Crassus; post Cotta, Sulpicius; Hortensius, nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, si operosa est concursatio, magis optimorum — — —.

stitisse, quod in *binos* accurate conveniat: *constitisse* enim significat *una extitisse, mit einander auftreten.* Orellius coniiciebat *contigisse.*

tantum] Sic recte ed. pr. *tamen* D.

in multis — opportunorum] *in multis si operosa est concursatio magis optimorum.* ed. pr. [Obscura libri conclusio nec paucis vitiis inquinata; sed assentiendum Corrado, cui non multa deesse viderentur. Is tamen vehementer laborabat in explicandis *magis opportunorum*, quibus nulla lux interpretationis potest adhiberi. Porro necesse est emendetur *si operosa esset.* Interim distinctione facta post *concursatio* recepi verissimam Romanae scripturam, quae faciat probabile hanc fere sententiam olim extitisse: Hortensius et illius aemulus, si licet parem me huic adiungi; certe maximo studio perfeci, ut numero multorum eximerer; si tamen contra fortuna cecidisset mihique temporibus obscuris inter oratores mediocres fuisset dicendum, ego saltem optimorum quorumque vestigia persequi constituissem.]

titerunt, cum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur.

Galba — Carbo] De *Galba* v. c. 21, 82. de *Catone* c. 16, 63. de *Lepido* c. 25, 95. denique de *Carbone* c. 27.

nam Gracchi] Principem tertiae aetatis Carbonem esse ponit, non Gracchos: hos enim in concionibus tantum, quod multo facilius et liberius dicendi genus sit, non in iudiciis excelluisse.

Antonius, Crassus] V. c. 36.

Cotta, Sulpicius] V. c. 55. In prima igitur aetate Galba, in secunda Lepidus, in tertia Carbo, in quarta Antonius et Crassus, in quinta Cotta et Sulpicius, in sexta Hortensius et Cicero praestiterant.

nihil dico amplius] Apparet ipsum Ciceronem intelligi.

CORRIGENDA.

Quoniam huic libello non contigit ut opera continente posset excudi, nemo mirabitur in superioribus potissimum plagulis et earum rerum quae ad diligentissimam orthographiae rationem pertinent minorem esse aequabilitatem, et errores quosdam a typothetis illatos aciem emendatorum quamvis intentam elusisse. In Addendis quidem, quorum numerus si commodum foret haud mediocris colligi posset, nunc ipsum non iuvat immorari: velut in illis c. 57. extr. *ut sibi ipse non conveniat* memoria exciderat locus aptissimus de N. D. I, 30. *confiteri potius nescire quod nescires, quam ista effutientem nauseare atque ipsum sibi displicere;* porro in explicando consilio verborum *interdum etiam facetum*, quae laudem aliquantam largiri videntur, non debuit praetermitti definitio luculentissima pro Cael. 3. *maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam: quae si petulantius iactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur;* item in c. 90. *urbs sine armis* contendere licebat Tusc. II, 3. *lectionem sine ulla delectatione negligo*, a quibus discedit nonnihil p. Quint. 9. *sine iniuria potentiam levem atque inopem esse arbitrantur.* His tamen neglectis convenit ut ex annotatione quae adhuc animadversa sint menda paulo foediora tollantur: quorum indicem subscripsi.

P. 24. §. 23. v. 13.	corrigatur	*etiam:*
- - §. 25. v. 16.	-	*ita* unco sublato
- 38. §. 48. n. cr.	-	*iudiciaria;*
- 44. §. 57. v. 16.	-	*C. Flaminii*
- 101. §. 114. v. 5.	-	*revocabant,*
- 111. b. extr.	-	*L. Calpurnius*
- 115. n. cr. v. 2.	-	*coniecturam*
- 127. b. v. 11.	-	*a.* 660. (94.) *administravit,*
- 182. b. v. 12.	-	*sibi necem conscivit*
- 230. §. 275. v. 14.	-	*Top.* 8.

HALIS, TYPIS ORPHANOTROPHEI.